


HISTORIA DIABOLI

SEU

COMMENTATIO DE DIABOLI

MALORUMQUE

SPIRITUUM EXSISTENTIA,

STATIBUS, IUDICIIS, CONSILIIS,

POTESTATE,

AUCTORE

M. J. G. MAYER.



TUBINGÆ,

TYPIS GEORGII HENRICII REISII,

1777.



PRAEFATIO.



Pauca ſunt, de quibus Lectorem in limine huius commentationis admonitum volo. — In *conſilio*, doctrinam de Diabolo maliſque ſpiritibus ſcripturariam, orthodoxam, veram, è libris ſacris eruendi, contra recentiores diſſentientes defendendi, dicta vtriusque teſtamenti de hac materia, multa, plana, euidentia colligendi, & illuſtrandi, à multis, quibus omni aeuo onerata eſt, opinionibus, hypotheſibus, ſuperſtitionibus, purgandi defaecandique, haud facile quicquam reprehendi iure poterit. Et temporum noſtrorum ratio, & mo-

mentum caussae pro illo instituto, quod satis sit, dicent. Id vero quo effectu praestitum sit & peractum, non meum est, sed aliorum, ab caussae huius & difficultatum, eam prementium, cognitione recte instructorum iudicare. Si quis meliora, defaecatiora, solidiora, dabit, & docilem me & gratum habebit. — Interior Oeconomia spirituum, natura humana subliniorum, & bonorum & malorum, cum nobis maximam partem in praesenti infantia, (1 Cor. XIII. 11. f.) inexplorata sit, argutiis, coniecturis parum, conuiciis erga dissentientes nihil dedi, (haec enim Spiritum euangelii plane non redolent,) quamuis illud intolerabile videatur, omnem hanc doctrinam, etiam vbi Christi Apostolorumque sententiis, & euidentissimis oraculis sustenta & confirmata est, gentilibus & iudaeis, a quibus hausta sit, reddi, tamquam ab indole Christiana & natiua vi euangelii, illiusque fructuosa cognitione, abhorrentem & longe alienissimam. Excessum id sapit, nulla οἰκονομίᾳ, nullo humano artificio, nullo artis hermeneuticae praesidio excusabilem. Reliqua *Praecognoscenda* dabunt. — Hunc igitur laborem, vti optimo animo suscepimus, & Scripturae, verborumque Domini, in ea contentorum, irrefragabilis & inconcussa auctoritas, quam pro viribus tueamur, nobis vnice spectata est, ita eiusdem Domini prouidentiae, gratiae, benedictionique demisse commendatum esse volumus.

Dab. d. 20. Febr. 1777.

SE-

SERIES ET ORDO EORUM, QUAE IN COMMENTATIONE TRADUNTUR.

In praecognoscendis ostenditur, ad ea, quae nostra aetate in controuersiam veniant, § 1. pertinere etiam locum de Diabolo, malisque spiritibus, §. 2. ratio instituti, § 3. 4. momentum. § 5.

C. I. agitur de *exsistentia* Diaboli, nec è ratione, nec traditione § 1. nec ex *Judaeorum* scriptis, § 2. sed ex sola reuelatione diuina, demonstrabili, § 3. contra adaemonistas § 4. *crassiores*, § 5. *Sadducaeos*, § 6. & *subtiliores*, § 7. imp. Cel. D. TELLERUM § 8. 9. 10. De principio hermeneutico, quo recentiores nituntur, *oeconomico* dicendi genere, § 11.

C. II. De *statu* Diaboli ante, in, & post lapsum, § 1. *ante* lapsum, § 2-4. *in* lapsu, § 5-8. *post* lapsum, § 9. 10. peccatum Diaboli seductione protoplastorum auctum, §. 11. 12.

C. III. De variis *periodis iudicii* diuini, in Diabolum statuti § 1.
1) in *proteuangelio*, § 2.
2) in plena *Christi* victoria, § 3. 4. speciatim
a) in *tentatione*, § 5. 6.
b) in *morte* Christi, § 7. 8. 9.
c) in descensu ad inferos, § 10. 11. 12.
3) per pugnam illam apocalypticam, § 13.
4) per captiuitatem mille annorum in abysso, § 14.
5) per iudicium vltimum, § 15.

His annectitur quaestio de *restitutione* Diaboli §. 16. & de *rationibus longanimitatis* diuinae in tolerando hoc hoste. § 17.

C. IV. De *consiliis* Satanae; *generatim* § 1. 2. *speciatim* in *peccatis* § 3. in *erroribus*, § 4. in *Enthusiasmo*, § 5. in *Deismo*, § 6. in *superstitionibus*, § 7.

Artium

Artium harum diabolicarum theatrum maxime conſpicitur in *gentiliſmo*.

1) quoad *idololatriam* § 8.
2) varia diuinationum genera, § 9. ſpeciatim
3) oracula. § 10.

Ex his deducuntur criteria quædam actionum Diaboli § 11.

C. V. De *poteſtate* Satanæ, *inſigni*, § 1. 2; *limitata*, § 3.

Sect. I. in *animam*, quæ probatur, § 1. *modus* declaratur, § 2. circa animas a corpore ſeparatas. § 3.

Sect. II. in *corpus*, quam multi non admittunt § 1. 2. probatur ex *daemoniacis* N. T. § 3. cur *rariora* ſint hodie obſeſſorum exempla § 4. quid de exorciſmis *Gaſnerianis* ſentiendum ſit. § 5.


Sect. III. in *naturam*, quæ exponitur § 1. probatur ex *Magia*, non *naturali* § 2. ſed ſupernaturali, de cuius exſiſtentia agitur § 3. & natura, § 4. quænam ſint in illa partes Dæmonum, § 5. *grauitas* huius criminis exponitur, § 6. num miracula facere poſſit Diabolus, § 7. ſuperſtitiones quædam, circa hoc genus operationum Diabolicarum, tanguntur, § 8.

Sect. IV. in hominem *naturalem*; quis ſit homo naturalis § 1. num Diaboli poteſtati ſubſit, § 2. & quomodo? § 3. Cur *princeps huius mundi* dicatur, § 4.

Sect. V. in hominem *ſpiritualem*; quis ſit, § 1. quid in ipſo *tentet* hoſtis, & quomodo, § 2. quid in ſingulis caſibus, § 3. quænam ſint *fidelitatis* Dei in his tentationibus ſpecimina, § 6.

Sect. VI. de *armis*, quibus pugnandum ſit, § 1. non ſpuria ſint, § 2. ſed vera & genuina. § 3. 4.

CAP. I.



PRAECOGNOSCENDA.

Ad ea, quae nostra aetate in controuersiam veniunt, —

Ad signa sui temporis animum adtendenti, quemadmodum id officii unicuique, qui recte animatus esse vult, incumbit, (Matth. XVI. 3.) inter multa facile occurrit & illud, hominum τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων (Rom: I. 18.) ingentem quotidie crescere numerum, nec esse fere vllum dogma, religioni christianae peculiare, quod vel leuiter conuellere, vel ad rationis placita refingere, vel ex veritatum salutarium choro expungere non audeat nostrorum hominum, pro ea, quae in ipsis est, & rationis & voluntatis ad verbi diuini normam attemperandarum, impatientia, nouarum rerum studium. Nec vero nos ii sumus, qui temporum nostrorum luci quicquam derogemus, & ab illis egregiis adiumentis, sacras litteras plenius intelligendi, dogmata fidei solidius probandi, veritatum salutarium fundamenta firmius stabiliendi, abhorreamus, quae ipsis propria sunt, vt potius nostrae aetati, nobismet ipsis, in ea natis, sincera mente congratulemur. Non itaque sub censuram S. R. *Semleri* ne cadam, verendum mihi videtur, quando τῶν πολλῶν, ad temporum nostrorum lucem caecutientium, vel malignitatem vel caecitatem perstringit, idque pluribus in locis, e. g. in *Wetstenii Libellis ad crisin N. T.* praef. p. 2. „ est illud commune & quasi epide-
„ micum in theologica republica vitium, quod, si qua semel sunt re-
„ cepta aut obseruata, iis aeternitatis sacram maiestatem fere adiun-
„ gamus, quasi ius & fas quidem sit, aliis in rebus & in cunctis hu-
„ manae vitae adiumentis emendationi & perfectionis successibus sem-

 „ per

„ per dare operam, minime autem liceat, sententiam, quam hi illi
„ semel tulerint, de rebus, ad religionem pertinentibus, leuiter con-
„ uellere aut immutare. Atque ista in statuendo malignitas non so-
„ lum cognitionem ipsam non parum impedit, quam semper crescere
„ oportebat cum mutatis humanarum rerum & intelligendi caussis,
„ sed etiam segnitiem & fœdam hominum indolem & perpetuas qua-
„ si dissensiones alit; his postulantibus, vt omnes sic statuant, ut ipsi
„ consueuerunt, aliis autem turpissimam seruitutem non patientibus.„
At longe aliter statui debet, vbi haec ipsa maioris nostro tempore obortae lucis iactatio in veritatis, diuinitus reuelatae, obfuscationem vertitur; vbi ea sacrarum litterarum notitia adfectatur, quam ne antiquissimi quidem patrum, aeuo apostolico proximi, adsecuti sunt; vbi principes veritates doctrinae caelestis ad rationis infirmae & in suis ipsius praeceptis rite exsequendis, languescentis decempedam exiguntur; vbi ea conscientiae, superbo liberalitatis titulo tumescentis & vulgus theologorum, veluti mancipia, multis parasangis post se relinquentis libertas venditatur, quae non nisi in effutiendis quibuscunque doctrinis, veritati vel non necessariis, vel plane noxiis exercetur. Huiusmodi homines nihil prohibet, inquit b. WEISMANNUS in diss. inaug. I. de *praeiudicio, quod adcrescit* &c. p. 5. „ in certis maxime periodis temporum & reuolutionum spiritualium, in campum liber-
„ tatis effrenis latissimum excurrere, iustoque tunc Dei iudicio per-
„ mittitur, vt optimarum aeque, (immo forte adhuc magis) quam
„ minutarum doctrinarum contemtus, negligentia ac taedium apud
„ ipsos inualescat, & locum tandem reperiat in istis ruinis animo-
„ rum, quod diuinus psaltes dixit: fundamenta subruunt, iustus quid
„ fecerit? (Ps. XI. 3.) „ Hanc quidem libertatem, vel potius licentiam, veritati salutari noxiam esse & periculi plenam, quis non videat? Vbi grauissimae doctrinae, quae *prouerbialium sententiarum* auctoritatem inconcussam possidere inter Christianos debebant, in discrimen adducuntur; vbi fastidiosa & indiscreta auersio animi ab omni eo, quod tritum est & notum multis abhinc saeculis, inualescit, vt vel solo hoc nomine odiosum sit & suspectum, quicquid a pluribus recipitur, & probatur, placeat contra atque arripiatur auide, quod lenocinium nouitatis habet: Vbi fidelissima quaeuis sancti depositi custodia (1 Tim. VI. 3. 2 Tim. I. 13. 14,) caeci & inoliti praeiudicii nomine excipitur, exagi-

exagitatur, illuditur. Habet quidem nostra aetas cum omnibus antegressis id commune, vt veritas euangelica varios experta sit hostes, antagonistas, cauillatores, & inter tot fluctus, inter tot rerum discrimina, inter plaustra calumniarum, quibus impetita fuit, quas nullo non tempore contra eam infernalis genii & hoc instigante, hominum vires euomuere, immota steterit, inuicta vicerit, & contra orci portas insuperabilis visa fuerit: (Matth. XVI. 18.) at hi aduersarii, quibuscum conflictabatur ecclesia, vel extranei erant, quoad maximam partem, extra pomoeria ciuitatis nostrae constituti, vel alio vitae & disciplinae genere impliciti: nullam vero aetatem, internorum hostium feraciorem, & cum nostra comparandam, cognitum habeo, vbi doctores eruditionis theologicae & pietatis latius propagandae & promouendae studio, dicam, an fuco, in pretiosissima religionis christianae cimelia, in doctrinas capitales tam aperte grassati fuissent, tam manifestis cuniculis fundamenta religionis subruere tentauissent, & veritates principes, ad carnis & rationis sensum reformandas & adcommodandas, tam infelici omine, tanto doctrinae adparatu, detorsissent. Vidit id certe & sagaci suo in theologicis iudicio praesagiit b. WEISMANNUS, in cuius scriptis vbicunque conquisitis veram & salutarem medicinam contra tot insultus veritati perniciosos inueni: (Vtinam eorum lectio inter nostros frequentaretur!) quando in diss. I. cit. p. 58. stultis *Hobbesii*, *Petri Baelii*, *Spinosae*, *Collini* opinionum portentis recensitis haec subiungit verba: „*Inter christianos* „ *talia proferri non dicam, sed etiam tolerari, immo etiam laudari,* „ *aeternum christiani nominis opprobrium est. Vt taceam, de praxi ipsa hodie inualescente peruersae planae in rebus sapientiae & religionis petulantiae, quam certo certius* NOUO IUDICIO *deus est puniturus, nisi nos omnia fallant indicia atque praesagia: quae & ratio est, cur tenui nostro iudicio, numquam a prudentibus & recti cordis hominibus conscientiae libertas, (quae vtique per se est cimelium longe pretiosissimum) laudari & commendari debeat, nisi cum protestatione cordata adversus frequentes abusus nostri temporis, & cum sincera significatione odii in pestem illam, qua deteriorem nunquam, dum est, orbis vidit christianus: Sicut contra nunquam de his abusibus tam acerbe, aut tam imprudenter querendum, vt in libertatem conscientiae rectam & legitimam pericu-*

 „ *lum*

duas igitur partes, alteram dogmaticam, historicam alteram, aut si inscriptioni satisfaciendum sit, in historiam generalem & specialem, dispescenda erit, quae de malis spiritibus instituitur, disputatio. In qua id inprimis spectatum nobis esse contendimus, vt sanam nostram & orthodoxam doctrinam asseramus, recentiorum adaemonistarum sententias profligemus, multa scripturae loca illustremus in eorumque sensum inquiramus, imperiti vulgi praeiudicia grauiter & cordate perstringere & mentes ab inanibus terriculamentis auocare valeamus, librorum symbolicorum, precum nostrarum publicarum, ecclesiasticarum, liturgicarum fidem, auctoritatem, dignitatem vindicemus. In medio igitur tutissimis inter ἀπιςίας & superstitionis deuia, incedendum nobis erit, in quo quidem itinere rite persequendo, ne vlla ex parte deflectamus, sanctioris Spiritus auxilium, in omnem veritatem nos ducturi, e fonte salutis & gratiae inexhausto, pie subinde deriuabimus.

§. 5.

Momentum.

Et ea quidem est haec doctrinae caelestis pars, vt ***momentum*** habeat longe maximum. Nam diuinarum nobis reuelatarum doctrinarum ambitum ita peruadit, vt per varias παρερμηνείας & vitilitigationes submota hac doctrina, vbi tuto consistamus vix reperiri possit ratio. Otia vero in his momentis recensendis nobis fecit longe iucundissima Reuerendiss. D. D. Faber in disq. academica, ***an adaemonismus cum fide & pietate christiana conciliari possit***, Tub. 1763. ex qua, plene quidem heic inserenda, pauca delibabimus. Illud omnino maximum est & praecipuum, quod hoste hoc eiusque viribus non recte cognitis, liberationis a Christo nobis praestitae amplitudo & dignitas infringatur, & iustum illi pretium plane non statui possit. Quemadmodum enim *gratiae*, per Christum partae, summa vis, excellentia, potestas, efficacitas & remedii huius praestantissimi vsus ac dignitas non melius perspicitur atque intelligitur, quam cognito recte & accurate ***morbo***, quicum conflictabamur omnes, ita nec iustum redemtionis ab hoc infensissimo hoste pretium, nisi cognita prius illius vi & malitia, statuemus vmquam. Profundissima sub illius imperio hominum miseria arguit ereptionis ab huius titannide magnitudinem, gratiam atque excellentiam. Pro eo, ac potentior vel imbecillior

cillior fuit hostis, crescit vel decrescit virtus atque gloria victoris. Qua porro *reuerentia* excipitur verbum Dei, de hoc hoste grauissime & saepissime nos docentis & commonefacientis? qui honos habetur testimoniis S. Scripturae, quibus prouidentia Dei singularis in dirigendo & destruendo Satanae imperio occupata exponitur? quam elumbes erunt admonitiones ad seriam resipiscentiam, (2 Tim. II. 25. 20.) ad vigilantiam, (1 Pet. V. 8.) ad indulgentiam erga lapsos, (2 Cor. II, 11.) ad studium humanitatis & precum, (2 Cor. XII. 8.) ad prudentiam spiritualem aduersus eius & ministrorum imposturas (2 Cor. XI. 14.) ad sobrietatem & castitatem? (1 Tim. V. 15.) Qua remissione animi contra regnum diaboli pugnabimus, illud aut plane è natura rerum tollentes, aut non recte de ipso sentientes? quam vanum terriculamentum & inane μοϱμολύκειον, ne puerulis quidem iniiciendum, suis obiecit Petrus, quando adversarium, quicum decertandum ipsis sit, nonnisi sobrietate, vigilantia, precum studio vincibilem, ὡς λέοντα ὠϱυόμενον pinxit? (1 Pet. V. 8.) Quid denique in theologia remanebit saluum, quid incolume, quid ingenii humani proteruitas non ausura est, quid temporis nostri iniuria & hominum nostrorum infidelitas non proculcatura sunt, si nobis vnam alteramque partem veritatum, nec sensibus facile obuiarum, nec intelligentiae rationis peruiarum, sed diuinitus reuelatarum, sereniori vultu patiemur eripi?

Cap. I.

De Exsistentiâ Diaboli.

Iam vt ab eo, quod in hac quaestione primum est & fere praecipuum, ordiamur, *esse* diabolum, spiritum malignum, malorum angelorum principem, euincendum est. Hac enim veritate non recte adstructa, historiam illius, quod non esset, describeremus, mere σκιαμαχȣ̃ντες. Sunt enim plures & antiquioris & recentioris aeui, qui animum ab omni eo, quod vel rationis vi vel sensuum adminiculo assequi nequeunt, alienum declarant, suisque praeiudicatis opinionibus seruiunt, si vel singulis sacrarum litterarum paginis falsitatis earum arguantur. Absit vero, vt *rationi* heic, quicquam asseramus, in hac re μυωπαζȣ́σῃ. Sensus quidem communis, sed nonnisi sa- crarum

Exsistentia diaboli non ex *ratione*, nec ex *traditione*.

crarum litterarum lumine irradiatus, respiciens ad simplicissimum, vtilissimum & necessarium in bono, & ad multiplex genus rerum noxiarum, & diuinis finibus maxime peregrinarum, colligere posse videtur, visibilia, ab inuisibilibus progenerata, habere similia boni & mali discrimina in inuisibilibus; sed rationis cultissimae vis, quod in gentilium-Philosophis videre est, numquam eo valuit, vt ad angelorum, vel spirituum nobis sublimiorum exsistentiam adscenderet, sed quicquid de illis intellexit, coniecturae subobscurae gradum sustineret, ex lege gradationis & varietatis in vniuerso mundo a sapientissimo illius conditore obseruari solita, oriundae. Sed quî factum, vt inter gentilium philosophorum familiam de daemonibus in vtramque partem disputaretur, ut essent, qui illorum in rerum natura exsistentiam negarent, vt *Aristoteles*, & qui cum eo facerent, peripatetici; essent vero etiam, qui eandem mordicus adfirmarent, vt *Plato*, Academici? Certe haec, de sublimioribus spiritibus, quos daemonum nomine insigniebant, notitia, quaecunque sit, aliunde deriuari nequit, quam ex *traditione* patriarcharum, quae ad omnes eorum posteros, variis subinde accessionibus & imminutionibus aucta & deprauata transiit. Prisci enim fideles, de quibus historia mosaica lineas tantum quasdam ducit, per viam reuelationis, traditionis fidelis, communionis cum Deo & institutionem viuae vocis, rectissime sciuerunt, quaenam esset religio, quam diuinum Numen ab ipsis requireret, quinam visibilium & inuisibilium nexus? Praecipuae hinc veritates, quae in sapientissimis extra ecclesiam hominibus reperiuntur, traditionem potius & reliquias veritatis, olim a Deo reuelatae, qualitercunque retentas & propagatas sapere mihi videntur, quam quicquam aliud. Ex hoc igitur cognitionis fonte, non depurato quidem illo, sed vt fit, ingenii humani additamentis aucto & inquinato, originem sacrificiorum, dierum festorum, diluuii daemonumque notitiae, ducere non dubitem, & inde omnia, quae de his idolorum cultoribus innotuissent, repetere. Consentit Reuerendiss. D. D. Faber in diss. cit. p. 2. n. 1. „ Vetustissima illa gentium opinio, quae daemones inter Deum & homines quasi medios collocauit, e fontibus diuinis in omnes nationes videtur dimanasse. „ Nec abnuit Weismannus in orat. acad. p. 85. ss. inquiens. „ Testimonium traditionis orientalis ostendit, inter omnes reliquas corruptiones religionis primitiuae, conseruatam

„ fuisse

„ fuisse cum admiratione ideam trium mundi statuum, primitiui, de„ prauati, restaurandi. Has veritates primitiuas in Oriente, tanquam „ sede originali veneratio & memoria antiquae reuelationis & do„ ctrinae traditae conseruauit: posteriorum vero temporum tenebrae, „ mixturae, corruptelae deprauarunt.„ Recentiorum quoque suffragia facile colligas; S. R. JERUSALEM & Ven. HERDER multa eruditione, religionem patriarchalem traditionum omnium fontem esse & originem, ostendunt, mythologiae & hieroglyphicae disciplinae mysteria peruadentem, ille quidem *in Betrachtungen der vornehmsten Wahrheiten*, hic *in den ältesten Urkunden des Menschengeschlechts*. Hinc quoque JUSTINUS MARTYR in fabulis Homeri, Hesiodi aliorumque graecorum, aliquam veri vmbram quaesiuit, cum nihil facile in sacris scripturis, praesertim de Christo, promitteretur, cuius impletionem non aliqua imitatione praeuerterint daemones, idololatriae auctores, Deique simiae. Traxit huc fabulas de *filiis Deorum*, de Aesculapii arte salutari, de Herculis robore atque exustulatione, de Persei ex Danaë susceptione, ac Mineruae ex cerebro Jouis natiuitate; baptismum lotionibus variis, eucharistiam Mitrae sacris, imitatos eos esse, ratus est philosophus christianus. Ad vltima igitur, quae de gentilium philosophorum placitis supersunt, si retrogrediamur documenta, de Daemonum vi, eorumque in res humanas potestate, multa garriunt, multa praecipiunt; eaque fuit huius doctrinae ratio, vt ad mysteria, vel disciplinam gentilium arcanam & philosophiam esotericam referretur. Antiquissimi certe philosophi, quos vesana plebis inscitia vel vatum, diuinitus inspiratorum, loco habuit, vel Deorum honore coluit, multa de Daemonibus habent, nonnisi ex traditionis obscurae fontibus hausta, quae quo propius loca illa, vbi vera de angelis bonis malisque sententia viguit, & tempora primaeua attingunt, eo puriora & defaecatiora videntur. ZOROASTRAE apud Persas, CONFUCII apud Chinenses, PYTHAGORAE apud Aegyptios scripta, & quae supersunt, documenta, de Daemonibus plena sunt. Thom. HYDE in hist. religionis veterum persarum eorumque magorum copiosus est in recensendis angelorum officiis & praefecturis ex veterum persarum sententia, conf. b. CLEMMII *Einl.* p. 188. ss. De PYTHAGORA constat ex PORPHYRIO, illum rerum reconditarum & obscurarum caussas retulisse ad Daemonas, morbosque si

non omnes, certe multos, a Daemonibus corpora incolentibus deriuasse, quos ipse & discipuli incantationibus curauerint: & quantum Platonismus, cuius auctor ex his ipsis fontibus maxime sapuit, veram de Daemonibus doctrinam in ecclesia peruerterit, in aprico est. Et quid quaeso vniuersalem illam persuasionem de Deo bono & malo apud Magos, Persas, Chaldaeos, Aegyptios magis peperit, quid Manichaeismi ante Manetem, omnes terras ad ortum solis sitas peruadentis, caussa exstitit, quam deprauata illa de auctore mali traditio? quid potius totius philosophiae orientalis systema coagmentauit, cuius mixtura cum doctrinae christianae capitibus *Gnosticismi* infelicem partum genuit, & cuius de variis Aeonum emanationibus disciplina nonnisi peruersa nititur de angelis bonis malisque traditione? res ipsa quomodo acciderit, coniectura facile assequi possumus. Postquam nimirum patriarchae, quique hos insecuti erant, aetatum priscarum homines, qui magna Dei opera, benefacta, poenas, praecepta & promissa & vaticinia per omnes rerum classes, vel suis viderant oculis audituque ipsimet acceperant, vel per traditionem fidissimam ad sese derivata, fide non minore conseruauerant, defuncti iam essent, nouae plane generationes, rerum praeteritarum & antiquarum non aeque consciae, vel etiam propria sua culpa ignarae, surrexerunt. Hae veritatis reliquiae & scintillulae superstites, cum additamentis ingenii humani, & luxuriantis phantasiae figmentis, mixtae, religionis priscorum temporum partem maximam constituunt. Etsi enim Deus illis, quemadmodum omnium temporum hominibus, qui in ipso viuebant, mouebantur & erant, palpandum sese offerebat, non tamen ipsum & res ab illo profectas, quaerebant, sed suas ab ingenio suo & imaginationis vi praescriptas vias, quas tererent, sibi eligebant, & cum in suaemet ipsorum rationis vi, de ipsius impotentia & toties frustrata ab omni erroris periculo immunitate, commonefacti, non confiderent, diuinae reuelationis auctoritas, vt accederet, necesse erat, quam quovis modo fingere & veri aliqua specie & similitudine ornare allaborarunt. Hinc nulla vmquam natio sub sole vixit, quae religionem mere naturalem statuisset, nec diuina reuelatione innotuisse sibi persuasa fuisset. Hoc omnino praetextu gratiam, suisque inuentis auctoritatem, apud plebem imperitam conciliare tentarunt non legislatores tantum, sed & ii, qui religionis informandae prouinciam sibi sumsere, sacerdotes, qui longis

gis saepe & difficillimis peregrinationibus susceptis, veri videndi & apud omnes gentes, quae cultiores audiebant, conquirendi studio nec inhonesto desiderio detinebantur, vnde tot & a se inuicem dissitas religiones consarcinarunt, & in vnum aliquod systema coagmentarunt. Nec inanis est illorum labor, qui vestigia priscae & primaeuae religionis, vel ex abditis & summis idololatriae tenebris emicantia, eruunt, & in originem suam, vnde orta sunt, deriuant.

§. 2.

Ex his igitur impuris fontibus nil lucrabimur, pro asserenda, quod conscientiae satisfaciat, Diaboli exsistentia. Nec ex *Judaeorum*, penes quos veritatis huius fixam sedem quaesiueris, quibuscunque lacunis & Rabbinorum somniis, stabilem & firmam in hac re sententiam invenias. Constat enim, Judaeos si in vlla re, certe in doctrina de angelis, ingenio nimium tribuisse. Singulis omnino vitiis malum genium praefecere; in vino quatuor impuros spiritus inuenere, vt in Spicilegio Grabiano legere est T. I. p. 183. *ἔςι γὰρ ἐν αὐτῷ (οἴνῳ) τέσσαρα πνεύματα πονηρὰ, ἐπιθυμίας, πυρώσεως, ἀσωτίας, αἰχροκερδίας*, quatuor haec contineri in vino, testamentum *Judae* affictum §. 16. (inter testamenta XII. patriarch. apud Fabricium Cod. Pseudepigraph. V. T. T. I. p. 607.) septemque alios spiritus vitae, visus, auditus, obfactus, loquelae, gustus & coniunctionis obscenae, qui ad errorem peccatumque deducant, testamentum *Rubenis* §. 2. coll. §. 3. (ib. p. 521.) docet. De *Philone* certum est exploratumque, illum in doctrina de angelis quam maxime iudaizare; vti Pharisaeorum secta in excessu heic peccat, ita Sadducaeorum, & qui cum ipsis fecere, Cabbalistarum familia in defectu, qui quidem naturâ malos non dari putant angelos, sed Deum angelorum in se & sua natura bonorum opera vti, ad inferenda hominibus mala. Legi meretur & expendi Ill. MICHAELIS *in Erklär. des Briefs an die Hebr. I. Th. p. 84-97.* WARBURTONUS, episcopus anglus, vt hypothesi de auctore & tempore scriptionis libri Hiobi patrocinium creet, aliam non minus precariam hypothesin in subsidium vocat, iudaeos nimirum doctrinam de Satana in captiuitate babylonica demum accepisse; *Göttliche Sendung Mosis III. Th. p. 240. ss.* Sed directa si respiciamus re-

— nec ex *Judaeorum* scriptis,

testimonia, nos quidem cum fiducia asseri posse existimamus, notitiam malorum angelorum, non potuisse omnibus omnium temporum hominibus, & primae adeo generis humani aetati deficere, cum iam satis constet, lapsus protoplastorum historiam, quam Moses tradit, absque hac hypothesi explicari non posse. Bonorum angelorum notitiam iudaeos ante captiuitatem babylonicam habuisse, vel sole clarius Genesis demonstrat, quis igitur dubitet, quin, intelligentias etiam malignas exsistere, antiquissima fuerit iudaeorum opinio? falsus ille & mendax Spiritus, qui ad Ababum seducendum exiuit, quis quaeso fuit? (1 Reg. XXII. 21. ss.) quis numerandi populi consilium Davidi inspirauit? (1 Chron. XXII. 1.) Vt praetereamus, quae Scherlockius vestigia de lapsu adami, de seductore generis humani collegit, vnde iudaeorum antiquissimos originem mali cognouisse dubium non est, multo minus nesciuit prisca aetas, quod tantis a malis vindicem misericordia Dei constituerit: *Abhandl. vom Zweck und Gebrauch der Weissagungen I. Th. p. 70 ss.* Et quis quaeso in medio Satanae regno, i. e. dominio idololatriae vniuersalis, ne quicquam de nequitiis spiritualibus regni satanici & malorum Spirituum, priscorum temporum simplicitati in mentem venisse adseueret? Constat etiam de Judaeis, malos angelos sibi repraesentasse sub hirsutis, macilentis & terribilibus speciebus, quas variis nominibus, שֵׁדִים, צִיִּים, אֹחִים, שְׂעִירִים insigniebant, quamvis longe aliud denotent; credidisse igitur reuera malorum angelorum exsistentiam, & operationes, sed iusto latius extensas, ita vt quosuis malos homines, aut quasuis creaturas, malitiae hominum vindices, quaevis phaenomina, humanis mentibus horrorem incutientia, *δαιμόνια* adpellarent, sic LXX. Ps. XCI. 6. מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם vertunt per *δαιμόνια ἐν μεσημβρίᾳ*, adeoque pestem *δαιμονίῳ* cuidam adsignabant. Quam inique igitur nobiscum agunt omnes, qui in hoc doctrinae Christianae capite è iudaeorum lacunis nos tantummodo sapere, & ingenium iudaeorum in Christianis reuiuiscere tam confidenter asserunt. Ex his vero, quae iam dicta sunt, perspicitur atque intelligitur id, credo, nullam ab omni aeuo gentem principii cuiusdam noxii & mali notitia caruisse, quin omnium gentium consensus id manifeste declarat, conuenisse omnes populos, vt principium bonum malumque crederent. In omnibus igitur orbis terrarum partibus

tibus semper angelos, minorum aut validiorum Deorum nomine, cultos esse, profana historia docet, & Ill. MICHAELIS *Erklär. des Briefs an die Hebr.* p. 112. fatetur, latinorum Deos nonnisi nostros esse angelos. Theologiam gentilem de daemonibus, eorumque variis speciebus, quorum aquei voluptuosae vitae, aërei actiuae, ignei contemplatiuae dominentur, distincte exposuit MARSILIVS FICINUS in argumento, quod *Platonis* apologiae Socratis praemisit p. m. 466 ss. Quemadmodum igitur argumentum theologorum, pro exsistentia Dei, a consensu omnium gentium petitum, non plane contemnendum videtur, ita etiam in hac re, quam probandam nobis sumsimus, vniuersalis ille omnium gentium omniumque temporum consensus, exsistere malos genios, non prorsus omitti debet.

§. 3.

Ex his omnibus, quam inaestimabile sit beneficium, *diuina reuelatio*, scripto verbo nobiscum communicata, clarissime patet. Haec nimirum ex impuris, hac in re, gentilismi & iudaismi fontibus reuersis optime sapit, haec è tenebricoso opinionum variarum labyrintho eluctantibus viam planam atque facilem ostendit, vt firma possit & stabilis inueniri sententia, in qua conscientiae vnicuique, amore veritatis ductae, acquiescendum sit. Percurrentibus nimirum totius reuelationis ambitum, sub diuersis oeconomiis, per diuersorum hominum, & locis & temporibus & opinionibus dissitorum, ministeria administratae, tot subinde, tam clara, tam perspicua veritatis huius, exsistere diabolum malosque angelos, inuenire datur testimonia, vt si oculorum aciem subterfugiant, talpâ sint caeciores, necesse sit. Et in hac quidem re, quae tamquam certissima & euicta, supponenda magis, quam probanda visa fuisset, recte demonstranda, primam argumentum classem, cetera quoque luce sua irradiantium, constituunt dicta Christi, qui in grauissima sua obiurgatione, in iudaeorum *ἀπιςίαν* inexpugnabilem & odium sui implacabile inuecta, coram ipsis declarat, Joh. VIII. 44. *ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τῦ διαβόλυ ἐςὲ, καὶ τὰς ἐπιθυμίας τῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν, ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ ὐχ ἕςηκεν, ὅτι ὐκ ἔςιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ. ὅτι ψεύςης*

— sed ex sola *reuelatione* haurienda.

ἐςὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτȣ̃. Ex multis, quae in hac Chrifti fententia continentur, vt confilio noftro fatisfaciamus, hoc vnum annotabimus: fac, haec locutum effe Chriftum, nec tamen vere exfiftere diabolum, perfonam, malorum angelorum principem, quae, qualis, quanta obiurgationis inanitas! fac, ad prauas iudaeorum ἐννοίας de daemonibus fe adcommodaffe Chriftum, de qua regula hermeneutica poftea erit dicendi locus, quae agendi, dicendi, obiurgandi ratio erit illius, qui de fe praedicat, ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια (Joh. XIV. 5.) Carnalem genituram ex Abrahamo fine Abrahami operibus ℣. 39. & fpiritualis generationis gloriam ex Deo ℣. 41. 42. obfufcare dicit veram generationis diabolicae indolem ℣. 44. quemadmodum igitur Abrahamus & Deus in iis, quae antecedunt, verum perfonalitatis characterem geftant, ita etiam diabolus geftet, neceffe eft. Et quid quaefo eft & dici, & effe patrem, ab illo patre effe, quid eft, illius patris cupiditates explere, quid eft, homicidam effe, idque ab initio, in veritate non perftitiffe, quid eft, *loqui* mendacium, fontem, architectum, primum auctorem effe mendacii, fi is, de quo haec praedicantur, non perfonae characterem fuftineat? quid porro clarius illa fententia Chrifti, in impios die παντοκριτικῷ ferenda, vbi oratio eius minime figurata dici poteft? (Matth. XXV. 41.) quid Salomo N. T. Johannes, & mentis Domini & dictorum eius tenaciffimus difcipulus, in ἀποφθέγμασι fuis ponderofiffimis, de hoc hofte docet? 1 Ep. III. 8. cf. diff. Ill. Canc. D. Reussii de recta ratione interpretandi dicta N. T. de malis fpiritibus p. 15-45. Nec minori euidentia, Chriftus inter fruftratos & interuerfos verbi diuini fructus, diaboli artes refert (Luc. VIII. 12.) εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσι. Satis aperte, perfonam effe & vere exfiftere diabolum, his quidem verbis oftendit Chriftus, multa retegens, ὁ ἐκ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ καταβὰς, ingenii humani acumini plane imperueftigabilia. Quid enim eft, venire ad concionem, loca, ecclefiam, in qua verbi diuini praedicatio viget, chriftianorum conuentibus intereffe, auferre femen verbi ab animo, ne ingrediatur, multis fibris radicetur, efflorefcat, idque peftilentiffimo & vere diabolico *confilio*, vt fides, quae ex auditione (Rom. X. 14.) & illis falutaris fructus, aeterna beatitudo interuertatur? Sed fortaffe & haec de concupifcentiis

tiis praui & peruerſi animi intelligenda ſunt? quid verò abſurdius dici excogitarique poteſt, idque inprimis, cum has diaboli artes primam fruſtrati verbi cauſſam faciat, & tertiam in curis diuitiis vitaeque voluptatibus, quibus ſemen verbi diuini ſuffocetur, vt fructum non perferat, ſapientiſſimo conſtituat? Et quid nomen illud denotat, quod Chriſtus diabolo peculiariter vindicat, quando ter illum ἄρχοντα τῦ αἰῶνος τύτυ nominat? (Joh. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11.) Nonne eſt, is, qui Paulo 2 Cor. IV. 4. ὁ Θεὸς τῦ αἰῶνος τύτυ audit? Si ad alia iam progredimur loca, ex quibus, vere exſiſtere poteſtatem talem inuiſibilem, euincitur, illorum multitudine magis obruimur, quam deſtituimur. Inſignem huic veritati lucem ſuppeditat totius Scripturae V. Nque T. conſenſus, omniumque, quos diuinus Spiritus ad eam exarandam impulit, ſcriptorum & locis & temporibus, & ingeniis & inſtitutionibus maxime diſſitorum, harmonia, ita, vt ſi haec euidentiſſima veritas eliminari, eradi, variis ingenii humani moliminibus oblitterari poſſit, nil firmo ſtet talo, nulla doctrina tam in aprico poſita cenſeri poſſit, cui non triſtes quaedam induci poſſint tenebrae, & funeſtiſſima mentis humanae arte, his ipſis radiis veritatis, ſole clarioribus, occaecatae, infauſto omnine tentata caligo. Expediemus fortaſſe, quicquid heic probatum imus, enumeratione variorum nominum & operationum, quibus in S. S. noui præſertim fœderis inſignitur, ex quorum collatione neminem, niſi ſpiritum quendam malignum intelligi poſſe, adparebit. Dicitur διάβολος Matth. IV. 5. ſ. שָׂטָן σατανᾶς Matth. IV. 10. &c. ὁ πειράζων ib. v. 10. ἄρχων τῶν δαιμονίων Matth. IX. 34. ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλέμενος διάβολος, ὁ σατανᾶς Apoc. XII. 9. ὁ ἀντίδικος διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος 1 Petr. V. 8. ὁ ἰχυρὸς Matth. XII. 29. τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα Matth. XII. 43. ὁ πονηρὸς Matth. XIII. 19. ὁ ἐχθρὸς ib. 25. ὁ Θεὸς τῦ αἰῶνος τύτυ 2 Cor. IV. 4. ὁ ἄρχων τῆς ἐξυσίας τῦ ἀέρος princeps poteſtatis aëris Eph. II. 2. πατὴρ ψεύδυς Joh. VIII. 44. ἀνθρωποκτόνος ib. Multo magis ex operationibus intelligitur, perſonam eſſe, quae talia perpetret, qualia ſunt, tentatio protoplaſtorum, (Gen. III. 1. ſſ. 2 Cor. XI. 3.) Chriſti (Matth. IV. 1. ſſ.) perſecutio piorum (Luc. XXII. 36. Rom. XVI. 20. Apoc. II. 10.) Seductio Phariſaeorum (Joh. VIII. 44.) Judae proditoris (Joh. VI. 70.) Ananiae & Sapphirae, (Act.

(Act. V. 3.) adflictiones Hiobo immissae (Hiob I. II.) directio idololatriae, quae nisi potestate, plusquam humana, suffulta fuisset, numquam totum fere terrarum orbem inundasset (Leu. XVII. 7. Deut. XXXII. 17. 2 Chron. XI. 15. Ps. CVI. 36. f. coll. 1 Cor. X. 20.) Quibus si nominibus & descriptionibus non persona quaedam intelligens & ad omnia malorum genera prona intelligenda sit, nescio sane, quî vllius personae exsistentia tuto probari & demonstrari possit? Et filii vnigeniti & inprimis Spir. S. personalitas non minori proteruia & calumnia conculcari & ad prosopopoeiae figuram redigi poterit. „ Rabulismo „ opus fuerit, inquit Reuerendiss. D. D. FABER diss. I. cit. p. 25. „ cui similem hactenus orbis non vidit, si quis omnia scripturae testi- „ monia in allegorias, figuras, prosopopoeias, visiones, notiones vulgi „ conuertere vellet, quibus memoratur cacodaemon. „

Not. quae de operationibus dicenda essent, infra occurrent. In *nominibus* quaedam sunt, quae hoc loco explicare non pœnitebit. Inter omnia frequentissimum est nomen διαβόλυ, quod, si ἔτυμον spectes, calumniatorem denotat, quo sensu Paullus diaconissas non vult esse διαβόλυς, calumniatrices (Tit II. 3. 1 Tim. III. 3.) Et hoc illi nomen κατ' ἐξοχὴν competit, nam id agit sagacissimus ille veterator, vt homines apud Deum & Deum apud homines criminetur, (Gen. III. 1. ss.) piorum & fidelium ὁ κατήγορος, ὁ κατηγορῶν (Apoc. XII. 9. 10.) audit. Nec occurrunt διαβόλοι, sed δαιμόνια, nam illud singulare est & de indiuiduo dicitur. Hebraicum nomen שָׂטָן (Zach. III. 1. 2.) LXX. vertunt διάβολος, his terue exprimunt σατᾶν, & ne de pluribus personis intelligantur, sed de vno aliquo indiuiduo, coniunguntur haec duo nomina; (Apoc. XII. 9.) adpellatiue quoque sumitur, 1 Reg. V. 17. XI. 14. coll. ℣. 23. & Christus Petrum adpellat Satanam, quod ei in via passionis se obiiceret, Matth. XVI. 23. (proprie,) & Judam, Joh. VI. 70. διάβολον; in genere notatur διαβόλυ & σατανᾶ nomine adversarius, gentes, v t διάβολος, Judaeos, vt σατανᾶς, infestans; & hanc duplicitatem, inquit b. BENGELIUS, ad Apoc. XII. 9. „ ad iudaeos & gentes, ne „ ego nimiae subtilitatis arcessar, refert GROTIUS. „ Aliud nomen *serpentis* est, & quidem antiqui, sed non aeterni & originalis, (Apoc. XII. 9.) qua voce aperte respicitur ad seductionem protoplastorum,

florum, de qua nobis infra erit dicendi locus. *Draco* m'gnus & rufus, inimicus horribilis, virulentus, potentissimus ad nocendum, ardens inuidia & ira. Quod vero plurimum negotii facessit, nomen δαίμονος, δαιμονίυ est; quod, si ἔτυμον spectes, a δαίω scio, disco, descendit, & δαίμων, quasi δαήμων dicas, rerum peritus est; quam multiplici sensu apud graecos haec vox sumta sit, Reuerendiss. D. D. FABER ostendit, diss. II. de *daemoniacis aduersus Wetstenium*, p. 23. n. 5. Nimirum de Deo ipso, de geniis, de animabus defunctorum, (cum viuentibus aliquid commercii habentibus & corpusculis suis subtilioribus in viuentes operari valentibus,) de aliis spiritibus, Diis vsurpatur, vt ex significatione huius vocis πολυσήμυ, nil certi ad mentem diuinorum scriptorum eruendam, iu vsu illius, adplicari possit, sed Scriptura Scripturam hac maxime in voce explanare debeat; apud profanos, mox in bono mox in malo, accipiebatur sensu, quemadmodum δεισιδαιμονία religionem, pietatem, & superstitionem denotabat. Propria igitur huius vocis significatio est, si & philosophica, & medica & historica testimonia euoluas, ut substantias spirituales, induiduales, veras denotet, homini modo proficuas, modo noxias, improprie morbum insolentiorem, maniam, epilepsiam, & quicquid insoliti occurreret, cuius caussae detegendae impares se sentirent homines. Vsitata igitur vocis δαίμονος, δαιμονίων significatio non est deserenda in N. T., ob similem vsum in optimis profanorum auctorum scriptis, cui tantum veras & menti diuinae & veritati conformes determinationes addi oportebat, conf. S. Ven. ERNESTI theol. bibl. band III. p. 799. ss. quem etiam locum Reuerendiss. D. D. FABER allegavit, & toti huic caussae ex asse satisfacit. De notione vocis δαίμονος, confer, quae BENGELIUS docet *Erkl. Offenb.* p. 480. *Reden* p. 461. s. Quemadmodum *angelorum* nomen ad res quoque inanimatas traductum est, vt phrasi poëtica aqua, ignis, aër, turbines, procellae, metaphorice angeli, voluntatem supremi iudicis exsequentes, nuncuparentur, quod Ill. MICHAELIS ad Ps. XXXV. 5. 6. docet, *Uebersetz. des A. T. Anmerk.* p. 65. ita voci δαίμονος idem accidit, qui vero metaphoricus significatus proprium plane non evertit atque eliminat. sed supponit magis eundemque confirmat. Apud LXX. & apostolos δαίμων, δαιμόνιον semper de malis spiritibus accipitur, numquam de Deo, vt apud Athenienses Act.

XVII. 18. conf. MICHAELIS *Erkl. der Hebr. Ep.* p. 113. & diss. S. R. D. NOESSELT ad Matth. XVIII. 6. ss. *de offendendo contemnendoque nullo minimorum, qui credunt in Christum*, Halae Magdeb. 1770. p. 19. Judaei singulare nomen Diabolo dant βεελζεβοὺλ, quod in V. T. nomen erat Idoli, 2 Reg. I: 2. 6. Deus habitationis, quod exulibus habitationem & domicilium indulgere crederetur; aut Beelzebub vocarunt, quod domicilium, in quod semel immigrauiisset, non facile relinqueret: & Beelzebul, quod per omnia vagetur loca, (Hiob II. 2.) conf. HILLERI Onom. S. p. 759. & b. BENGELII Gnom. ad Matth. X. 25. XII. 24. Nomen βελίαρ (2 Cor. VI. 15.) aperte diabolo tribuitur, ab hebr. בְּלִיַּעַל, quod pro varia etymologia, vnde philologi id deducunt, vertitur sine iugo, ἀποστάτης, germ. *meisterlos*, vid. HILLERI Onom. Sacr. p. 291. vel sine ascensu, i. e. infimae conditionis, humillimi & obscuri loci, vel ita depressi & ad omnia vitiorum genera proiecti animi, vt inde, tamquam summa profunditate, nullo modo emergere & ad altiora & meliora adspirare possit & velit, nequissimus, *Erzbösewicht*. Hic postremus sensus arridet quoque Ven. TELLER *Lehrbuch des christlichen Glaubens* p. 82. Sunt & alia nomina, quibus Diabolus in S. S. insignitur, a nobis in medium allata, princeps e. g. & Deus mundi huius, princeps potestatis aëris, de his vero disputandi locus tum erit, cum de potestate diaboli commentabimur. Illud iam ad oculos patet, tot & tanta nomina nonnisi personae, indiuiduo, malorum Spirituum principi tribui, ita vt si quis ea omnia ad malorum hominum adfectiones, personae specie repraesentatas, ad praua hominis studia, concupiscentias, voluntates adplicare ausit, interpretem agat, τῇ ὑποθέσει mere δουλεύοντα.

§. 4.

De adaemonismo — Quamuis vero haec, si sacrae scripturae sua fides constet & auctoritas, sine insigni vitilitigandi studio, negari nequeant, fuere tamen semper, quos antiquior & recentior aetas tulit, scriptores, qui in hac quidem veritate maxime alucinarentur; eo acutius se sentire ac perspicacius videre arbitrati, quo longius a communi omnium sententia, in hac quidem re, secessissent, suumque ingenium & praeiudicatas opi-

opiniones, normam doctrinae salutaris, sacras litteras, praeteruecti, securi essent. Non dicam de *philosophis*, qui idolum suae perspicaciae, tam arctis certe limitibus definitae, adorantes, in cognitione & inuestigatione caussarum naturalium toties haesitant, quoties ad primas rerum origines descendunt & hypotheses hypothesibus cumulant, qui, vt est ingenii humani fastus & altioris principii, nimirum veritatum reuelatarum, amplectendi, suaeque phantasiae in gyrum rectae rationis deducendae impotentia, omnia eliminant, refellunt, nec admittunt, supra cognitionis suae naturalis sphaeram posita. Nil itaque de *Aristotele* & sequacibus, nil de *Epicureis*, qui, cum nonnisi materiam & vacuum admisissent, & suaemet ipsorum animae immaterialitatem, spiritualitatem, adeoque & immortalitatem negauissent, non poterant non Daemonum spirituumque explodere exsistentiam, in medium adferam. Nil de aliis incredulis, Deistis, Naturalistis dicam, qui vt omnem veritatum reuelatarum ambitum conculcant, ita & crassioris adaemonismi propugnatores se sistunt omnium acerrimos, saepe etiam ineptissimos. In horum censum referas HOBBESIUM in Leuiath. C. XXXIV. p. 186. & in adpendice C. III. p. 362. SPINOSAM, opp. posth. ep. LV. p. 364. & Ep. LIII. p. 560. EDELMANNUM qui in *Glaubensbekäntniß p. 273.* „ *Engel* „ *bedeutet würkliche Menschen, wenn sie als Gesandten und Boten* „ *gebraucht werden; wenigstens bedeutet dieses Wort menschliche* „ *Gedanken, Leidenschaften, Affecten und Beschaffenheiten.* „ Succenturiari his, si opus esset, multo plures possent, e. g. DAVID GEORGI, s. Joris, qui non esse peculiares creaturas, quae vocentur angeli, contendit, sed si quando Deus suam exserat potentiam ad nocendum, vel puniendum, hoc malum angelum, è contrario bonum adpellari, si quando Deus nos custodiat & conseruet; in aliorum quoque fanaticorum, immo in anabaptistarum antiquiorum caetibus recepta haec fuit sententia. De his aliisque crassioris adaemonismi fautoribus ac defensoribus, e. g. GUIL. NAUDAEO, WEBBER, JOH. WAGSTAAFF, REICH, VANINO conf. S. R. D. D. COTTA in diss. I. & II. hist. *succincta dogmatis de angelis*, & Reverendiss. D. D. FABR in diss. I. cit. p. 2 - 4.

§. 5.

— crassiori, Crassiorem adaemonismum nostra aetate acerrime defendendum in se suscepit CHRISTIANUS TOBIAS DAMMIUS, gymnasii Coloniensis Rector Berolinensis, in noua versione N. T. qui praeter ea loca, quae iam S. R. D. D. COTTA diss. II. cit. p. 39. ss. (§. 6. in nota) in medium attulit, alibi diaboli malorumque angelorum praesentiam & exsistentiam praefracte negat: „ *Die jüdische Fabel-* „ *krämer hatten, aus den buchstäblich-verstandenen Ausdrüken des* „ *poetischen Buchs Hiob, und andern verblümten Stellen, ein besonde-* „ *res Reich der bösen Geister gestiftet.* „ Longius vero procedit DAMMIUS, & quod hactenus, quantum memini, pauci fecere, dari *posse* diabolum malosque angelos, demonstrandum sibi sumsit, hoc potissimum argumento vsus, quod illi philosophia Leibnitiana subministrasse videtur: Vix fieri potest, vt Spiritus, humana natura illiusque dotibus, vel summo gradu sumtis, multo excellentior tam prauus sit, tam nefarius, quam vulgo diabolus existimatur. Tantum iudicii acumen, tanta intellectus vis & perspicacia, humano ingenio multum superior, & summa animi malitia in vna eademque persona sibi repugnant, cum ex sanis philosophiae principiis, adpetitus mali, ex animi impotentia & confusarum perceptionum turbine, oriatur, quibus subinde fit, vt ex idearum confusione & ignorantia verum bonum deseratur & adparens eligatur; diabolo itaque plurimum iudicii & plurimum ignorantiae simul adfingitur, id quod in notionibus implicat. — Quam infinitis vero instantiis infringi potest haec sententia? Et omnino disputari potest, vtrum intellectus maior vis in voluntatem exsistat, an voluntatis, propensionum, adfectuum in intellectum. Si experientiam consulamus, parum abest, quin in posteriorem sententiam propensiores simus, quoties enim πολυθρύλλητον illud ingeminandum est? — Video meliora proboque
Deteriora sequor. —

Libertatis abusus, non rerum solum ignoratio, gignere potest peccatum. Intelligentissimi sæpe pessimi, vel in hominibus. Sic graeci Romanique, cultissimi gentium, simul etiam ad omnia, vel abominabilissima vitiorum genera, proiectos se praebuere. (Rom. I. 25 - 31.) Vim & naturam *peccati* plane ignorat, illiusque in omnes vires pesti-

ferum

ferum influxum nescit, qui his quidem ratiociniis vel minimum tribuit. Alia adaemonistarum, qui summum temeritatis & impudentiae gradum conscenderunt, argumenta, quibus non operationes tantum, sed etiam exsistentiam & possibilitatem Diaboli infringere tentarunt; adhucque crambe bis vel centies recocta, tentant, huc redeunt: Nullam creaturam absque essentiali praesentia Dei aliquid esse, aut creaturam vocari posse. Itaque si Diabolus creatura sit, nec ipsum talem esse, nisi per essentialem Dei praesentiam. Quodsi autem esset spiritus, qui non modo a Deo separari, sed etiam in aeternum a Deo separatus manere potest, Deum non fore amplius vnicum, quia potius diuisum, a se ipso, in caussas duas contrarias, contra aduersarios suamque praesentiam propriam pugnaturum, id quod Deum in prodigiosum, & sibi ipsi hostile, conuertat monstrum. Nec bonitatem Dei permittere, vt exsistat Diabolus. Si malam istam & contrariam essentiam a se ipso habeat, tunc duos fore Deos, reipsa nullum. Si vero natura bonus fuit & essentiale bonum in ipso erat, vnde ergo malum, quod vocant, in eo oriri coeperit? Ex bono nihil mali potuisse gigni: multo minus Deum ipsum id potuisse indere. Cum igitur hoc malum sit imaginarium, ipsum quoque diabolum esse imaginarium. Non potuisse fieri, vt huiusmodi malum, quod praeuidit Deus, omnibus suis finibus aduersaturum, & maximam partem suarum creaturarum perditurum, non modo crearet, sed etiam in sua duratione & essentia conseruaret: talia enim faciendo Deum sibi ipsi fore contrarium. — Leuitas vero & inanitas intolerabilium horum thrasonismorum & ingenii, sibi sapientis & deliri abortuum, tum adparebit, cum C. II. in ortum diaboli inquiremus. Talia vero nostrae quoque aetati & nostris hominibus arridere, ad eorumque gustum accommodata esse & talia deliramenta concoqueres posse, recentissime videre est ex libro: *Untersuchung über die Bedeutung des Worts Teufel und Satan in der Bibel*, c. praef. J. C. F. Schulzii Giessae 1774. ex angl. Id nimirum agit Anonymus, vt quaevis S. S. dicta de diabolo ad homines, prauas cupiditates, absurda hominum de illo commenta torqueat, & illum tamquam spiritum & personam è systemate rerum exsistentium proscribat. Idem fecit magna audacia recentissimus adaemonista, auctor anonymus libelli: *Versuch einer biblischen Daemonologie*, Halle 1776. cuius temeritatem & gladiato-

diatoriam artem detexit profligauitque Magn. Dn. Canc. D. Reuss diff. cit. Quid iam de his nostri temporis Φαινομένοις sentiendum? Non possum non, quin b. Weismanni iudicio sincera mente manuque subscribam: „ Characterem reprobationis, inquientis, in „ fronte gerunt, qui in tanta luce scripturarum, seu diuinae reue„ lationis, nostra aetate adaemonismum, seu abnegationem praesen„ tiae & operationis hostilis malorum spirituum in hoc mundo, fo„ vere, confirmare & maxime cum insultatione & ferocia defen„ dere audent. „ diss. *Varia sacra* p. 31. n. 15. Idem in diss. *priuilegium populi christiani & iudaici contra vexationes Satanae & fidelium aduersus tentationes illius internas* p. 28. n. 5. „ Qui ho„ die, inter tot monstrosos nostri temporis diabolismos, serio potest „ esse adaemonista, is nescit adhuc, cuius spiritus sit filius & quod „ nosse debebat, crasse ignorat. „ Similia his iam in *Institt. theol.* p. 433. aphor. 5. docuerat: „ quod adaemonismus, nostra aetate, stu„ pendum adeo in modum, inualuerit inter christianos, signum est „ grauissimi Dei iudicii in homines, & extremae horum malitiae „ non minus, quam excaecationis. Doctrina enim de spiritibus quae„ vis sapientiae & religionis praeiudicia pro se habet stantia. aph. 6. „ Huc pertinet tortura totius sacrae scripturae, ad quam coguntur „ per suam incredulitatem, certum enim, tutiorem esse sententiam „ adfirmantem, quam negantem. Nemo vmquam illuminatus, „ (sensu huius vocis vere scripturario & theologico) adaemonista „ fuit: patriarchae potius & auctores primi systematis adaemonistici „ fuerunt homines suspectissimi. „ Ipse certe Diabolus exsistentiae suae, praesentiae & operationum abnegationem non inuidet, in his tenebris opus suum eo felicius perfecturus. (Apoc. XII. 12.) Qui vero is, qui verbum Dei normam credendorum & agendorum agnoscit, doctrinam de regno cacodaemonis tuto posse negligi & proscribi, sine summa in ipsum illud verbum contumelia, sine summa in ipsam fidem & pietatem iniuria, sine proterua calumniandi libidine & audacia, existimare possit, plane non video.

§. 6.

§. 6.

Mirum fortasse est, praelusisse his crassioris adaemonismi patronis iam *Sadducaeos*, scripta Mosis, in quibus tot angelorum adparitiones recensentur, pro diuinis agnoscentes. De his enim testatur Lucas (Act. XXIII. 8.) σαδδυκαῖοι μὲν λέγυσι, μὴ εἶναι ἀνάςασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα Quemadmodum pharisaei orbem daemonum plenum finxere, adeoque in excessu peccauere, ita Sadducaei pro ea, quae est ingenii humani vertigo, in defectu, feruore disputandi sine dubio eo abrepti. Traditiuncula enim illa, quam RICH. SIMON, & ex eo GUIL. SALDENUS in Ot. Theol. L. III. Exerc. IX. in medium adferunt, Sadducaeos concessisse quidem, creatos fuisse angelos, sed post completam pentateuchi historiam, eos in nihilum euanuisse, & post Mosen non fuisse vel spiritum, vel prophetiam, incertis nititur documentis. Posito, b. WEISMANNI ἐπίκρισις est, Institt. theol. p. 269. „ hanc traditionem veram esse, „ illud tantum certum est, quod Sadducaei isto tempore, nullum ex- „ sistere angelum vel spiritum, crediderint. Sed reuera huiusmodi „ traditiunculae solent esse incertissimae. Notanda vero est socordia „ ecclesiae iudaicae, in tolerandis tantis erroribus, quales l. c. com- „ memorantur: reuera enim fundamentum diuinae reuelationis & re- „ ligionis subruunt. Quamuis hac parte nihil habeant christiani, quod „ Judaeis obiiciant dum apud eos quoque Sadducaei & Epicurei, theo- „ retici & practici, non modo passim ciuiliter tolerentur, sed etiam „ partem habeant in communione ipsorum ecclesiastica, dum ipsis „ libuerit. „ Nec indignum illud etiam est, quod notetur, Sadducaeos nec angelos, nec spiritus, nec mortuorum resurrectionem admisisse, adeoque circa ea, quae sunt fidei proprie, inuisibilia alucinatos, (Hebr. XI. 1.) sine dubio ex rationis, verbi diuini reuerentia & obsequio non subactae, studio. Sollemne enim fuit, apud iudaeos, credere spiritum hominis defuncti (Luc. XXIV. 37.) & μετεμψύχωσιν (Matth. XVI. 14.) cui contradicendi studio abrepti Sadducaei eo vsque, vt fit, progressi sunt, vt angelorum, spirituum exsistentiam & resurrectionis veritatem negarent, adeoque in incredulitatem, vti pharisaei in superstitionem, delaberentur. Commune illud vitium, quod toties in controuersiis de religionis capitibus videre est.

— Sadducaeorum.

§. 7.

§. 7.

— subtiliore. Mitius omnino sentiendum est de iis, qui adaemonismum *subtiliorem* defendunt, & religioni quidem sibi ducunt, diabolum malosque angelos rerum exsistentium numero eximere, sed *operationes* eius vel omnes vel aliquas restringunt, extenuant, vel plane negant. Varias illius formas & species ea, qua eruditionis copia & iudicii ἀκριβείᾳ floret, recensuit Reuerendiss. D. D. FABER diss. I. cit. p. 4-10. In hanc classem recte referas PETRUM POMPONATUM in libro de incantationibus, seu de effectuum naturalium caussis, Basil. 1567. qui, vt praeiudiciis sui temporis strenue occurreret, operationes diaboli admodum restrinxit; WILH. STOSCH, Berolinensem, in libro de Concordia rationis & fidei; famigeratissimum BALTH. BEKKERUM, quem in libro, qui Mundus fascinatus inscribitur, falsitas aut falsitatis suspicio, in rebus quibusdam accessoriis, audacem reddidit, ad negandam omnem praesentiam & operationem spirituum, inter homines atque in mundo visibili. Nam inter argumenta eius saepe adparent ineptae conclusiones ab incertitudine vel falsitate doctrinarum & factorum partieularium ad incertitudinem & falsitatem caussae principalis ipsius, quae nullibi, omnium vero minime in tam arduo negotio fieri debent. Vt vero huic hypothesi inseruiret, ea, quae Deus aut immediate aut per caussas naturales operatus esset, in sacris litteris angelis tribui contendit, vnde per angelos vel homines vel alias creaturas, quarum opera Deus vsus sit, vti tonitrua, fulgura, nubes, & per malos angelos, diabolum, homines prauos, cupiditates, morbos intelligit. Auctores, qui virum refutauere, dedit b. C. M. PFAFFIUS ad calcem diss. de operationibus diabolicis in hoc mundo p. 21. s. ANTON. VAN DALEN, celebrem illum & eruditum medicum Harlemensem, qui erudite quidem probauit, innumeras imposturas potuisse intercedere, ac reuera intercessisse in famosis veterum oraculis: sed quod numquam vis quaedam spiritualis & humana superior, nulla operatio daemonum sese rebus illis miscuerit, quod ille tam operose molitus est adstruere, atque ex illius penu multi etiam alii, id excessum sapit, nimis audacem, & obfirmatum animum, tuendi opinionem iam ante praeiudicatam, de nullitate operationum daemoniacarum in genere, quam tueri

tueri non potuiſſet, niſi obiectionem ab oraculis illis, ex hiſtoria ampliſſima idololatriae gentilium petitam, extremo conatu voluiſſet deſtruere. „ In horum Duumvirorum rationes, inquit b. WEISMANNUS diſs. I. inaug. p. 70. ſ. referri poſſe exiſtimo, quod in „ Belgio & Germania venenum illud hodie tam late graſſetur & con„ traria doctrina de malorum Spirituum exſiſtentia, potentia & in„ fluxu efficaci in res huius mundi ſpiritualis & corporei, quae tamen „ veriſſima & in ſacris litteris fundatiſſima, prope in ludibrium ceſ„ ſerit, vſque adeo, vt ſollemne ſit, gentiles, iudaeos & chriſtianos „ ſacerdotes ſeu theologos, eiusdem figmenti & impoſturae in hoc „ genere damnare. „ *Wetſtenii* & *Semleri* adaemoniſmum optime noueris ex iis, quae a Reuerendiſſ. D. D. FABRO diſſ. I. & II. cit. copioſe, ſolidiſſimeque diſputata ſunt. Id vnum in ſcriptis huius deprehendiſſe mihi videor, eum in ſententiis ſuis & cogitatis de daemonibus aperiendis, cum *οἰκονομικὸν* ſcribendi genus in interpretatione ſacrorum librorum toties vrgeat & ipſe ſequatur, ſemper longius proceſſiſſe, & cum ab initio non tantum exſiſtentiam cacodaemonum, ſed & infauſtum illorum in nos dominium & inſanam animorum noſtrorum cum illis coniunctionem concedere videretur, iam audaciorem factum, omnemque illum miſerum, vt loquitur, locum de diabolo è ſyſtemate veritatum ſalutarium expungere, & ad iudaicas *ἐννοίας*, ad ſtulta gentis ſuperſtitioſae deliria & commenta ablegare. conf. Ej. *Unterſ. des Canons II. Th. p. 96.* Nec hodie, inquit, diſſ. de diſcrimine notionum vulgarium & chriſtianarum §. X. 16. „ deſi„ nit theologia judaico- chriſtiana, cuius inſignem facit partem ille „ de diabolo maliſque angelis locus. Ille locus de Diabolo bonis im„ probiſque doctoribus ſolet opportunitatem quaſi multorum verbo„ rum, iraeque vanae & furoris inanis ſuggerere, vt plerique latam „ illam viam ſequantur, & fortiſſime loquantur, ne homines au„ deant & chriſtianam mentis ingeniique indolem experiri longe fe„ licius, quam talium phraſium crudi atque rudes inuentores. Illa „ iudaica diabologia impedit atque obſcurat lucem & benignum „ ſplendorem perfectioris cognitionis. „ Hanc ipſam gradationem docet & obſeruat Ill. Canc. REUSS, diſs. cit. p. 4-13. § I-VI. Conf. etiam quae collegit in diſs. de Oeconomia p. 32. 40. vbi Viri Celeberrimi principia, quoad hunc locum, quatuor abſol-

muntur sententiis, iusto ordine propositis, quas non possum non huc transferre: nimirum complecti, inquit,

1) SEMLERUM rerum physicarum nomine etiam *angelos* eorumque operationes: arbitrari eum,

2) non exstare in sermonibus Christi & Apostolorum aut euangelistarum scriptis de angelorum, malorum certe, operationibus certum aliquod & firmum testimonium aut documentum, pertineantne ad *caussas, mutationum in rebus corporeis, an minus?*

3) De his aliisque rebus physicis earumque caussis loqui Christum & apostolos *ex opinione vulgari*; h. e. verba ista, phrasesque eorum non significare atque indicare, quid ipsi de rebus eiusmodi earumque caussis senserint, sed quid illorum temporum & locorum homines, (qui imperiti & in caussis potissimum ac rationibus rerum inuestigandis ac cognoscendis minus exercitati fuerint,) sint *opinati*, eamque ob caussam

4) istis *in rebus liberum nobis esse arbitrium;* vti nos iure nostro, si adhibitis nouis nostri temporis, ad res eiusmodi physicas earumque caussas melius cognoscendas, adiumentis, aliam iam de iis sententiam amplectamur, quam quae verborum, ab ipso etiam Christo & apostolis vsurpatorum, sensu contineatur.

Ex his ipsis fundamentis factum est, vt Vir Cel. omnem *Apocalypseos* librum, tanquam eiusmodi iudaicarum ἰνvοιῶν plenissimum & christiana cognitione perfectiore indignissimum reiiceret, conf. in WETSTENII Libellis ad crisin N. T. p. 217 - 246. cum tamen hic ipse liber pretiosissimum sit cimelium, ecclesiae pie custodiendum, in quo visibilium & inuisibilium nexus accurate describitur, & thronus (Apoc. IV. 2.) veluti centrum sistitur, vnde omnium euentuum fontes aperiuntur, vnde exeunt & continuo remeant. Apocalypsis, inquit Dign. GRIESINGER de commodis angelorum bonorum ex opere redemtionis p. 40. euentorum qua laetorum, qua tragicorum catenam latissime protensam explicat, regnum Dei cum fontibus & effluuiis, πολυποικίλῳ sapientiae plenissimis, aperit, velum rebus inuisibilibus & arcanis & nouissimis obtentum reducit, & in totam spirituum ciuitatem, in viuorum mortuorumque, in caelitum inferorumque oras patentissimum prospectum pandit.,, Et lege ac perlege, quae b. BENGELIUS *Erkl. Off.* p. 299. aliisque locis plurimis docet, e. g. in

Gnom.

Gnom. ad C. VI. 9.,, non modo ecclesia sub Christo & mundus sub Satana militans, sed etiam ecclesia consummata & regnum tenebrarum, describuntur hoc libro. Quin piarum juxta atque impiarum copiarum in terra actiones & ex hac in statum beatiorem miserioremue translationes, diuersis temporibus inter se succedentes, per varios gradus distinctae, per plausus varios celebratae, atque ipsius exspectationis tripudiique caelestis, ipsiusque terroris ac poenae infernalis incrementa commonstrantur.,, Supposita igitur diuina & canonica libri huius auctoritate, & nos ad illius testimonia cum fiducia prouocabimus, nec recentiorum contumeliosas de eo sententias, quibus nihil magis quam iusta & idonea probatio deest, admodum morabimur. Non enim probamus nouarum rerum studiosorum conatus, qui omni orthodoxia proscripta & proculcata, nefanda quaeuis veterum haeresiarcharum somnia, (e. g. Manichaeorum de V. T quorum patrocinium in hac re aperte suscipit Cel. SEMLERUS *Unters. des Canons II. Th. p. 154. ss.*) ex orco quasi reuocant, eidemque nouam speciem inducere laborant. Sunt tamen alia, de quibus multum nostrae aetati debemus, dum illa haud exiguam ex studio philologico lucem foenerata est, diuersis ac fere innumeris scripturae locis δυσνοήτοις, ac cum laude versatur circa difficultates hinc inde reliquas è medio tollendas. Quare de diuina prouidentia, ecclesiae solicitissime inuigilante, certus, non possum non, quin de futuris optime sperem, & quamuis doctrinas graues & arduas docere & maxime post ruinas veritatis restituere, magnum sit opus & singularia saepe dona postulet, haec tamen ipsa liberalissime indulgebit Deus, iusto ordine deriuanda, & quemadmodum sua in parte Heroes quoque suos adplicat regnum tenebrarum, cum stabilitas & regnantes veritates primarias & salutares adgredi necesse sit, sua etiam organa instruet Deus, quae per ἀντιπείςασιν hos ipsos fines depriment & euertent. Multum enim, imo plurimum interest, nosse tenebrarum vires, nondum plene exhaustas, vt aures & animi eo minus seductionibus vel mirabilibus illis adhuc futuris pateant (Apoc. XIII. 15. XI. 7. XVIII. 6.) Arduum igitur est pensum, in quo pertexendo iam laboramus, & multa circumspectione in eo versandum, partim quod interior reipublicae diabolicae constitutio, quoad maximam partem, sit inexplorata, partim quod medium, inter quod hac in re veritas duos scopulos incredulitatis &

 super-

superstitionis praeteruehitur, quarum altera iusto tenuius, altera iusto amplius de diabolo sentit, & ad quos scopulos nullo non tempore tam vehementer allisum est, recte & accurate tenendum sit. „ Neminem enim magis decet, inquit b. WEISMANNUS c. diss. II. inaug. p. 75. quam theologum aut ministrum ecclesiae, vt diligenter & religiose expendat, quam necessarium sit in graui & ad conscientias hominum directa scripturae sacrae explicatione, summam rei probe distinguere a cogitatis accessoriis, atque ab arbitraria, quamuis animo non malo facta, amplificatione circumstantiarum, prudenter se continere, nostro maxime tempore, quo nec expresso atque irrefragabili verbo Dei amplius credunt homines, nedum consequentiis aut conclusionibus longius petitis, non necessariis, dubiis, saepe etiam falsis. „

§. 8.

Speciatim Cel. TELLERI de diabolo malisque angelis doctrina examinanda proponitur.

Recensuimus hactenus duas adaemonismi species, alteram crassioris, alteram subtilioris. De vtraque & superiori & initio praesentis saeculi, in periodo maxime BEKKERIANA, tam multa disputata sunt, vt argumentum hoc ad puluisculos vsque excussum videri potuisset; sedimenta vero errorum, post inundationem subsidentium, nequaquam contemnenda aut innoxia esse, nostra inprimis aetas sua experientia comprobat. Quod de adaemonismi sedimentis dixit WEISMANNUS in diss. 1743. hoc titulo ventilata p. 11-13. id iam nostris temporibus sole clarius videre est. Noua subinde forma, nouo habitu reuiuiscere vtramque adaemonismi speciem, omnibus constat, in iis, quae intra ecclesiae euangelicae pomoeria geruntur, non plane hospitibus. Condonari fortasse posset philosophis, nonnisi in eruendis caussis, e natura rerum intelligendis, & quidem adminiculo sensuum & rationis, occupatis, si hoc vel illud praeiudicium de his vel illis operationibus diabolicis, in Scriptura non fundatis, sphaerae suae subiicerent, & in eo eradicando laborarent, sed quid de Theologis sentiendum est, hoc tam arduum & toti veritatum reuelatarum compagi arctissime innexum argumentum vellicantibus, immo e ciuitate doctrinarum caelestium proterue proscribentibus? Accenseri his iure meritoque S. R. TELLERUM, virum omnino eruditissimum,

mum, sed ad Socinianorum partes pronum, nemo mirabitur, qui ea, quae in *Wörterbuch des N. T. zur Erklärung der christlichen Lehre*, tradidit, cognita habet perspectaque. Agnita & concessa angelorum, spirituum nobis sublimiorum, exsistentia, inquit p. 110. *Nur, dünkt mich, sollte man keinen besondern Lehrsaz in dem Unterricht der Religion daraus machen, weil nie in eigentlichen Vorschriften weder gefordert wird, daß man die Menschen davon unterrichten soll, noch das bestimmt, was von ihnen geglaubt werden soll, noch von den Aposteln selbst etwas als ein nothwendiges Bekenntnißstük davon vorgetragen. Ueberdem scheinen Jesus und die Apostel auch das, was sie nur gelegenheitlich davon sagen, mehr aus der jüdischen höhern Philosophie vorauszusezen, ohne es zum Wesen der Religion rechnen zu wollen.* Haec de angelis in genere docet; concedi omnino potest, locum de angelis non directe caussam fidei & salutis, aut articulos fundamentales tangere; sed ea de caussa è typo salutaris doctrinae omittendum esse, plane non sequitur. Omni, quaqua patet, veritatum reuelatarum nexui ita inuoluta est haec de angelis doctrina, vt sine hac nec de perfectione rerum creatarum, nec de gloria Dei, nec de opere redemtionis, in quo inchoando & perficiendo numquam non tot subiere ministeria, de diuinitate Christi Hebr. I. II. plene & accurate statui possit. Omnem vero hanc caussam solide, pulchre & pie perorauit Dignisſ. Dn. Griesinger, in commentatione de commodis angelorum bonorum ex opere redemtionis, Vlmae 1766. vt dignitas loci de angelis in systemate veritatum salutarium retinendi & tradendi, luculentissime pateat.

§. 9.

Quid iam de Diabolo malisque angelis sentiat S. R. Tellerus, videndum est. Vt vero sententiam illius hac in re recte stabiliamus, verba illis propria vt adponamus oportebit: *Satan, Teufel: WB. p. 328. ss. beide Wörter werden mit einander verwechselt — Eins wie das andere bedeutet einen Verleumder, einen nicht schlechtweg* Ankläger, *sondern falschen im gerichtlichen Verstande — Diese ursprüngliche Bedeutung hatten die Juden im Sinn, wenn sie Jesu den Vorwurf machten, du hast den Teufel Joh. VIII. 48. bistu* Continuatur.

nicht würklich ein Erzverleumder? wollten sie sagen, in Beziehung auf den gleich vorher erhaltenen Verweis, ihr höret nicht, widersezet euch der Wahrheit v. 47. Nach eben derselben antwortet Jesus, ich habe keinen Teufel, ich verleumde nicht. Eben so liegt derselbe in der Geschichte Hiobs C. I. 7. ff. und der Umschreibung Offenb. XII. 10. zum Grunde. Weil nun falsche Anklage und Verleumdung die Lügen in sich schliessen, so bedeutet es auch einen Lügner *Joh. VIII. 44. und in einem noch weitläuftigern Verstande,* Widersacher *1 Pet. V. 8. Nach der höhern speculativen Philosophie der Juden gibt es nun gewisse geistige den Menschen an Kräften überlegene Substanzen, den sie mit einem allgemeinen Namen den Satan, oder den Teufel, den allgemeinen Menschenfeind nannten, Marc. I. 13. 2 Cor. II. 11. Ihnen schrieben sie alles Unglük in der Welt und nicht nur das ganze Sittenverderben der Menschen Off. XII. 9. sondern auch alle leibliche Uebel und Krankheiten zu. Weil dann dieser Lehrsaz sehr gemisbraucht wurde, so machen ihn weder Jesus noch seine Apostel zu einem Erkenntnißstük der allgemeinen Religion, Matth. V. 6. 7. ApostGesch. XVII. 24. ff. weisen geradezu die Menschen auf Gott, als die Quelle alles Guten, und verweisen eben so einen jeden unmittelbar auf sich selbsten, als seinen eignen Feind. Jac. I. 13. 14. daß es also auch recht eigentlich christliche Weise ist, alle hieher gehörige Untersuchungen und Entscheidungen den Philosophen zu überlassen. Ich bemerke nur noch, daß wohl Rom. XVI. 20. 1 Pet. V. 8. Eph. VI. 11. nach der dritten Bedeutung die damaligen Verfolger der Christen unter Satan und Teufel zu verstehen sind; und Luc. XXII. 3. Joh. XIII. 27. der Satan als ein Verführer zu falschen Anklagen, v. 31. aber und Apstgesch. V. 3. als ein Eingeber der Lügen nach der zweiten Bedeutung vorgestellt wird. Cf. in den Zusäzen p. 89. f.*
Haec si recte intelligo, de Diabolo ita sentit Vir doctissimus, vt illius cognitionem ex philosophia iudaeorum speculatiua deriuet & ad philosophiam amittat, tamquam ad veritatum salutarium systema recte perspiciendum minus necessariam, immo fere omnia loca, in quibus de Diabolo sermo fit, ad alia omnia detorqueat, vt dubitari iure possit, num vere credat, esse Diabolum. Qua fide totam hanc doctrinam tractet, adparet inde, quod primariis dictis, exsistentiam, personalitatem, operationes Diaboli probantibus, plane omissis, ad ea

tan-

tantum, quae fucum facere & speciem habere videntur, deflectat; in hac quoque doctrina sibi constans, & ad idem vitium, quod in euincenda & ad oculos vsque demonstranda diuinitate Spir. S. commisit, recurrens. Heic enim ea praetermisit, quae nec critica temeritas, nec vitilitigandi studium vellere potest, & ea tantum tractanda sibi sumsit, quae vel minimam elabendi & neruum probationis eludendi rimam ostenderent; quod merito alii ipsi viri iam dudum exprobrarunt, vid. *Zeichen dieser Zeit* p. 105. In ipsa vero huius doctrinae forma, quam TELLERUS illi indit, perplexam vbique & confusam regnare disciplinam, satis cuique adparet, qui omnibus praeiudicatis opinionibus emancipatus veri videndi & eruendi honesto desiderio ducitur. Quam indigne haec doctrina ad philosophorum scepticismum detruditur, philosophorum, qui vltra ea, quae sensus & ratio non docent, plane non sapiunt; ad quam absurdos iudices omnis haec controuersia deuoluitur, vbi plane ignoratur, & legitimo foro, nimirum theologico defraudatur! Christum in oratione sua montana (Matth. V-VII.) & Paulum (Act. XVII. 24. ss.) apud athenienses, & Jac. C. I. 13. f. vbi ἀμαρτιγενίαν ostendit, Satanae non meminisse, nil probat contra necessitatem huius hostis recte dignoscendi, nec notitiam illius in veritatum diuinarum systemate superuacaneam demonstrat. Si vel his locis mentio illius sit praeterita, eo amplior in aliis fit, & alterius positio non est alterius exclusio. Sic mox soli verbo, mox soli Spiritui S. operationes gratiosae in anima adscribuntur, ex quibus concursum horum duorum principiorum ad regenerationem, conuersionem, sanctificationem euincimus, non separatam eorum in animos hominum actionem, sed inseparabilem coniunctionem. In oratione montana Christi scopus est, veram iustitiam vitae, a lege praeceptam, docere, & promissionibus insignis eorum beatitudinis excitare, qui vitam, mentem, actiones sincere & serio ad eam conformare in omnibus annituntur. Heic omnino, salvis reliquis veritatibus, in ea non contentis, & mentio Diaboli praeteriri poterat, nec tamen silentio hoc negatâ eius exsistentiâ, aut illius recte cognoscendi necessitate. Ceterum, quam multae sunt doctrinae, veritates principes, in oratione montana non contentae, quis vero inde superfluas illas esse, & cognitu & creditu non necessarias, existimauerit? Paulus in praeconio apud Athenienses, & loco & tem-

pori & audientibus conuenienter, a natura ducit ad gratiam, idque sapientissime: nec hoc loco Diaboli mentio necessaria erat, & quis omnia verba, quibus apostoli euangelium apud gentiles & iudaeos annuntiarunt, litteris sacris consignata, nec plura nec pauciora locutos esse, probauerit? Ab harum igitur silentio ad silentium apostolorum, euangelium copiose, cum ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως & plene annuntiantium, inepte concluseris. Quare Jacobus l. c. in ostendenda vera tentationum origine Satanae mentionem praetermiserit, non male resoluit iam PRZIPCOUIUS, quem b. WEISMANN excitat in diss. *Deus tentari & tentare nescius*: „ In eo, inquit, „ Spiritus S. sapientia notanda est: cum enim prauae istius doctrinae „ ex mente Satanae scopus esset, vt homines, coniecta in alium pec- „ cati culpa, sibi viderentur in conspectu Dei excusabiles, atque in „ peccato essent securiores, non expediebat proposito apostoli, cul- „ pam Deo inique attributam in Satanam transferre; sed potius in „ ipsos peccatores reiicienda erat, tamquam ipsorum propria, ob quam „ debitum supplicium merito formidare deberent. — Deinde quam- „ quam Satanas permissu Dei homines frequentissime tentare soleat, „ eas tamen hominibus vires dedit Deus, ac dare promisit, vt nisi „ latissima eorum culpa interueniat, Satanam vincere & profligare „ possint. Nihil est igitur, quod in Satanam peccatorum suorum „ culpam coniiciant, qui neminem ad peccandum violenter trahit, „ sed nonnisi sponte & voluntarie ad se accedentes recipit. — Non „ igitur proposito apostoli consentaneum erat, h. l. Satanam eius „ culpae arguere, quae solis hominibus attribui merebatur. „ Caussam peccati debemus in nobis quaerere, non extra nos. Ne ea quidem, inquit BENGELIUS, ad h. l. „ quae diabolus iniicit, pericu- „ lum facessunt, antequam fiant ἴδια nostra. „ Propriam quisque concupiscentiam habet, ex ingenio, temperamento, more, *suo*. Sit igitur in his aliisque plurimis locis praetermissa Satanae mentio, plurimis ea compensatur aliis, & quidem euidentissimis, vt de omni ipsius opere recte statui possit. Inprimis vero haec de Diabolo sententia iniuria est, in ipsam redemtionis a Christo praestitae amplitudinem, qui venit in mundum, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου (1 Joh. III. 8.) — ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ Θανάτου, τουτέστιν τὸν διάβολον (Ebr. II. 14.) quae quidem benefi-

neficia tanta sunt, vt salua fide & religionis christianae acropoli abnegari, detorqueri, oblitterari nequeant. (*) Quid? quod Christus, in ipso maiestatis diuinae summo fastigio, Paullum, Damascum in Christianos saeuiendi caussa profectum, & caelesti lumine perculsum, ita alloquitur? (Act. XXVI. 16. coll. ℣. 18.) εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι — ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεόν. Egregia vero instructio, si haec vel adcommodate ad prauas iudaeorum de Diabolo opiniones, vel sub hypothesi nullius diaboli, in natura rerum exsistentis, dicta fuissent! Quî vero iam salua veritate dici potest: *Jesus*

(*) Noua est & inaudita ab omni aeuo horum locum interpretatio, quam recentiores quidam in gratiam hypotheseos excogitarunt, per opera Satanae intelligi praua illa iudaeorum commenta & absurdas opiniones de diabolo malisque spiritibus, conf. *Versuch einer biblischen Daemonologie p. 150. ss.* inueterata eiusmodi praeiudicia, & superstitiones nefandas, Christum luce euangelii & doctrinae suae caelestis, abrogasse, & quod absurdae sint & merae nugae, declarasse, illas ex animis suorum eradicando, illorumque mentes a vano metu & inanibus terriculamentis, à diaboli potestate exaggerata iniectis, liberasse. Ecquis vero per ἔργα διαβόλου à Christo destructa & dissoluta tale quid intelligat? Commenta, prauas opiniones iudaeorum & gentilium de diabolo eiusque potestate? Inspicienti τὴν συνάφειαν textus, adparebit, per opera Satanae *peccatum* cum variis suis speciebus, quibus & menti & actionibus Satanae assimilamur, proprie intelligi. Hoc certe Christus morte sua expiatoria dissoluit, & è captiuitate, qua detinebamur, peccati diabolique in libertatem filiorum Dei asseruit. Equidem in omni hac disciplina recentiorum adaemonistarum quid micae rationis subsit, non video, ita argumentantium: Judaei gentilesque doctrinae de angelis malis quaedam admiscuerunt peregrina, in scripturis non fundata, mere commentitia, ergo omnis de malis spiritibus doctrina falsa, erronea, absurda, etiam a Christo apostolisque proposita, ad iudaeorum tantum erroneos conceptus adcommodata est. Quae, qualis, quanta ratiocinandi ratio! Nomen diaboli nonnumquam delatorem, calumniatorem, adversarium denotat, ergo in omnibus locis, quibus occurrit, & apertissime malorum angelorum principem significat, haec notio substituenda est. Declamationibus, petitionibus principii, torturis scripturae, rabulismis ita scatet iste liber, vt nil supra.

sus und seine Apostel machen diesen Lehrsaz (*vom Teufel*) *in ihren eigentlichen Anweisungen zu keinem Erkenntnißstük der allgemeinen Religion!* Egregie Anonymus: *Schreiben an den Herrn Probst und Ober-Consistorial-Rath D.* WILH. ABRAH. TELLER *in Berlin wegen seines Wörterbuchs, von einem öffentlichen Lehrer der H. Schr. Leipz. 1773.* „*Ihr Herr Vatter sagte, wer einen Christus „glaube, der müße auch den Teufel glauben, und wer das Evan„gelium von Christo rein und lauter lehren wolle, der könne die Leh„re vom Teufel nicht entbehren. Ja! er nennte den einen Irrlehrer, „der sie aus der Theologie weglassen wollte. Und Sie nennen es „recht eigentlich christliche Weise.*„ conf. Ven. D. HIRTII *Orient. und Exeget. Bibl.* P. III. p. 168 ss. Si quid video, omnibus illis, quae supra rationis sphaeram S. Scriptura docet, sublatis, ad id tendere Virum doctissimum, sibi vero in *Lehrbuch und Wörterbuch* dissimillimum, vt religionem mere naturalem, i. e. vniuersalem coagmentet, me intelligere putem.

§. 10.

Continuatur. Vt vero mens S. R. TELLERI eo luculentius pateat, agedum! ad dicta quaedam specialiora, in quibus Satanae fit mentio, descendamus, & qua ratione neruum probationis incidat, videamus. Joh. VIII. 48. Judaeorum ad Christum: δαιμόνιον ἔχεις, vertit: *bist du nicht würklich ein Erzverleumder*; sed heic sibi non constat, nam ex ipsa TELLERI sententia Judaei credidere Satanam, cuius vi ac efficacia ea faciat, dicat, perpetret, de quibus tum sermo erat, & manifeste id, quod Christus ipsis vere induxit, ℣. 44. ὑμεῖς ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστὲ, in ipsum Dominum retorquent, quod pro more suo nefando & sacrilego alibi quoque fecere, (Luc. XI. 15. Matth. XII. 24.) Num Hiobi I. II. Satanas vel quiuis obtrectator, calumniator subsit, qui dramatice in scenam producatur, non aperte, nec ea, quam toties nouarum rerum studiosi depraedicant, liberalitate, definit *Wörterbuch.* Nec hominem, quamuis malignum, nec vllum alium hic intelligi posse, nisi malorum spirituum principem & coryphaeum, facile patet ex analogia textus, & actionum ceterarum, quibus dignoscitur,

tur, similitudine, nam κατήγορος τῶν ἀδελφῶν adpellatur. (Apoc. XII. 10.) Posito, non vero concesso, adparitionem Satanae coram Deo, & ipsius colloquium poëtice & figurate describi, id tamen verum sit, necesse est, Deum esse & Satanam, alioquin omnis figura & repraesentatio absurda esset & plane incommoda. Rom. XVI. 20. ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει de persecutoribus quam insulse intelligat, omnes vident. Habuere forsitan Christiani romani vnicum tantum aduersarium, ipsos persecutum, nec plures nec pauciores, cuius si interitum deprecatus esset Paullus, inter gentiles nulla vmquam vexatio, nulla persecutio superfuisset? Nonne potius certa spe victoriae ad fortiter debellandum communem hunc hostem exstimulat suos? Et quid sobrietate & vigilantia opus est, si sec. TELLERUM 1 Petr. V. 8. de persecutoribus hominibus sermo sit; hac certe illorum vexationes non effugient. Sed quid euidentius & primo statim obtutu clarius, crudelitatem Satanae in omnes occasiones piorum deuorandorum intenti describi? Nonne in merum fumum grauissimae haec aliaeque plures, e. g. Eph. VI. 11. ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, hortationes, exstimulationes, admonitiones abibunt, si de persecutoribus hominibus sermo sit apostolo? Luc. XXII. 3, Joh. XIII. 27. Satanas ingressus Judam Iscariotem dicitur, Luc. XXII. 31. Christus Petrum de tentatione ipsi a Diabolo intenta commonefacit, Act. V. 3. Ananiae & Sapphirae mendacium patri mendaciorum adscribitur, quid TELLERUS: *Das erstemal wird er als ein Verführer zu falschen Anklagen, das zweitemal als ein Eingeber der Lügen NB.* vorgestellt, nimirum οἰκονομικῶς, ad prauas iudaeorum opiniones accommodate, de qua methodo inferius quaedam monebimus. Singularis & Christo propria denominatio, quam Diabolo indit, illa est, qua eum ter (Joh. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11.) ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου nominat. Quid TELLERUS? *WB.* p. 4. *Hier ist es genug zu bemerken, daß die ganze Verbindung der Rede, besonders in der ersten Stelle diese Erklärung erfordert: „Nun ist das Verdammungs-Urtheil über die Juden, die iezt auf meine Gefangennehmung bedacht sind, gesprochen, wie mich die göttliche Stimme versichert hat.„* Quid iam hac ipsa explicatione absurdius fingi excogitarique potest?

 facta

facta erat Christo vox è caelo demissa, καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω ꝟ. 28. obstupefactam multitudinem, tonitru audiuisse ratam, vel angelum ei locutum esse, veram huius vocis rationem docet, non factam esse propter se, sed propter auditores, vt hoc diuino testimonio ad fidem, Christo habendam, erigerentur, additque illud, iam iudicium esse huius mundi, agi de illius possessione & imperio coram throno Dei, & illius principem, nimirum Diabolum, qui (2 Cor. IV. 4.) ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου audit, eiectum iri ex totius ipsius regni, diuinitus ipsi a patre dati, terminis, quaqua in caelis & in terra patent. Morte nimirum Christi, vt mox videbimus, potestas huius in mundo, tamquam diabolicarum suarum artium theatro, grassantis hostis & vsurpatoris, eo vehementiori ira, quo nil boni animo suo de Christo praesagiisset, saeuientis, circumscripta est & limitata, immo plane abrogata, i. e. iudicata & condemnata, vt variis temporum periodis, liberrime & sapientissime constitutis, penitus ex possessione sua exstirpandus sit. Jam de magistratu iudaeorum ciuili & ecclesiastico, qui salua verbi divini & illius nexus reuerentia, intelligi haec omnia possunt, de huius iudicio, in caelis hoc ipso momento lato, ita commonefactum esse Christum, vt caelesti allocutione opus esset, quasi Christus horum condemnationem in diuino iudicio non ex natura iniuriarum, pessimo ipsi animo illatarum, exploratam habuisset: *Nun wird die jüdische Obrigkeit, indem sie mich auszurotten denket, aus meinem Reich ausgestoßen.* Haec si per principia id genus hermeneutica ex verbis Christi erui possunt, nescio sane, an vlla veritas reuelata firmo stet talo, nec his principiis è S. Scriptura exsculpi & eradicari possit. Joh. XVI. 11. περὶ κρίσεως dicit Christus, a Spir. S. argatum iri mundum, ὅτι ὁ ἄρχων τούτου τοῦ κόσμου κέκριται, quid TELLERUS? *Er wird die Juden von dem über sie ergangenen Urtheil überzeugen, daß sie, nämlich ihre Obrigkeit, sich selbst verdammet hat, indem sie mich zu verdammen dachte, oder, daß sie nichts an mir haben können.* Nescio, quo vsu linguae sanctae notio *mundi*, toties in libris N. T. occurrens, ad solum iudaeorum populum restringatur, quod alibi quoque facit TELLERUS ad Joh. XIV. 19. 27. XV. 18. 19. An hi soli iudaei a Spir. S. edocendi erant iustitiam a Christo partam, de peccato & de iudicio conuincendi, soline iudaei (Joh. XV. 27.)

erga

erga apostolos infensos se praebuere, nec gentilium furor pari vehementia in praeconium euangelii & illius ministros grassatus deprehenditur? Quid porro magis mirere, quum versionem Eph. VI. 11-17. *Wörterb.* p. 240. *Wir haben nicht mit gemeinen Menschen zu kämpfen, sondern mit Obrigkeiten, mit den unglaubigen Beherrschern des gegenwärtigen Zeitalters, mit den boshaften Menschen in der jüdischen Kirche:* de telis ignitis Satanae ℣. 16. *Das sind die Lästerungen und Verfolgungen der damaligen Feinde des Christentums.* αἷμα ϗ σάρξ vertit *gemeine Leute:* πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: *boshafte Menschen in der jüdischen Kirche:* Ecquis vero ὁ πονηρὸς, qui tela haec ignita vibrat? nonne Diabolus, qui ℣. 11. expresse nominatur: plura infra occurrent. Quis quaeso talia pronunciet, nisi qui nouam linguam, praeiudicatis opinionibus seruientem, in S. Scripturam introducat, non veterem vsum loquendi renovet? quae, qualis, quanta euidentissimorum verborum S. Scripturae detorsio, quae si in Auctore profano tentaretur, risu forsitan vel commiseratione exciperetur? Porro Col. II. 15. ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς ϗ τὰς ἐξουσίας, ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ, *Wörterb.* p. 165. *Er hat die jüdischen Obrigkeiten, die durch ihre Gewalt und Ansehen iene Sazungen aufrecht erhalten wollten, zu schanden gemacht.* Jeiune vero haec de potestate iudaeorum ciuili & ecclesiastica intelliguntur; quod dicti huius, quod infra plenius enucleabimus, solius nexus habita ratio docebit. In eo nimirum est Apostolus, vt suis primaria gratiae diuinae, in ipsos largissime profusae, munera & beneficia enumeret; quid Deus in ipsis operatus sit, & ad ipsorum salutem contulerit: Omnem mundum sibi ipsi reconciliasse, Colossenses cum Christo in resurrectione suscitatos viuificasse, omnia quot & quanta fuissent, peccatorum genera ipsis condonasse, legis intolerabile onus ab ipsis sustulisse, immo hostes, a quibus plurimum metuendum fuisset, omni potestate in membra Christi spoliasse, & publice in inuisibilibus triumphasse, vt iustorum domus victoriae cantu personarent, ob dextram Jehouae, fortiter facientem (Ps. CVIII. 15.) Triplicem ipsis libertatem & immunitatem recuperasse per Christum, τὴν κεφαλὴν πάσης ἀρχῆς ϗ ἐξουσίας ℣. 10. libertatem a peccato, ℣. 13. a lege, ℣. 14. a potestate tenebrarum, ℣. 15. & consectaria huius immunitatis amplissima persequitur Apo-

ſtolus, ℣. 16 — III. 4. Ecquis vero heic de magiſtratu iudaeorum cogitet, niſi qui ea, quae ad mundum inuiſibilem ſpectant, indicia ſcripturae alium in ſenſum torquenda ſibi eſſe in animum praeoccupatum induxerit (*) — Plura fortaſſis non deſideres, aſſerto meo fidem habiturus, TELLERUM in eo infeliciter deſudaſſe, vt doctrinam de Diabolo omnem ex typo ſalutaris doctrinae expungeret, omniaque dicta ita torquerentur, vt aſſumtae precario hypotheſi velificari viderentur. Haec ſi Scripturam ex Scriptura explicandi methodus, quam toties vrget & praedicat, valet, quam lubrica ſunt omnia, quae per tot hucusque ſaecula de diuinitate Chriſti, de peccato originali, de ſatisfactione Chriſti expiatoria, de poteſtate Chriſti in vniuerſum rerum creatarum, qua in caelis terrisque patet, ambitum, tam mordicus

(*) De magiſtratu iudaeorum legis tenaciſſimo, per crucem Chriſti, qua ipſius ſcita nobis contraria è medio ſuſtulit, ℣. 14. & glorioſam reſurrectionem pudefacto, interpretantur quidem S. Ven. ERNESTI *Neueſte Bibl.* T. II. p. 411. & qui cum ipſo facit, Ven. D. MOSCHE *Bibelfreund* L. II. Pace vero tantorum virorum annotauerim, pauca aut fere nulla inueniri loca, in quibus primores populi iudaici & politici & eccleſiaſtici ſtatus, in abſtracto ἀρχαὶ & ἐξουσίαι nominentur, ſed ἄρχοντες Joh. VII. 48. Act. IV. 8. III. 17. 1 Cor. II. 8. Paullus quidem de ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις Rom. XIII. loquitur, ſed iis praedicatis additis, quae non niſi de ſummo imperii romani capite, Nerone, Imperatore, & magiſtratibus ſubordinatis intelligi poſſunt. — Quemadmodum Chriſtus v. 10. κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας dicitur, & hae voces aperte illas poteſtates caeleſtes, ſuper quas in adſcenſione euectus eſt, (Eph. I. 21.) denotant, nec facile quis de magiſtratu ininter homines cogitauerit, ita illas poteſtates principatusque, ipſi regnoque per euangelium ſtabiliendo, aduerſos exſpoliaſſe & triumphaſſe dicitur, quo minus fructibus mortis Chriſti expiatoriae, cum vniuerſo orbe communicandis, aliquid impedimenti remoraeque iniicere poſſent. Nec video, quomodo cœtus Coloſſenſium, ex iudaeis, gentilibusque coactus, inter ampliſſima illa munera, v. 9 - 14. recenſita, de primoribus populi iudaici, morte & reſurrectione Chriſti deuictis & pudefactis, v. 15. tum temporis valde laetari potuiſſet? De poteſtate tenebrarum explicant GROTIUS in annott. T. II. p. 680. & BENGELIUS in gnom. ad h. l. & plerique noſtrûm. Etiam his nominibus inſigniuntur (Rom. VIII. 38. 1 Cor. XV. 24.) varii malorum ſpirituum ordines.

cus defensa sunt, & fortunarum, honorum, vitae dispendio agitata ab antecessoribus! Quam exiles passus, quam tenuia incrementa in inuestigando vero & diuinitus intento S. Scripturae sensu fecimus, claui TELLERIANA deficiente. Infelicissima certe noua linguae eiusque vsus, sacris scriptoribus certo incogniti, notitia, si veritates in vita & morte, in aduersis & secundis rebus tam necessariae, tam foecundae, tam salutares, infinite multis fidelibus viuidissimo gustu & experientia comprobatae è manibus & animis extorquentur, vel admonitiones, cautelae, adhortationes contra regnum diaboli in & extra se strenue & fortiter debellandi eneruantur, prorsus superfluae, & nostris temporibus, quibus, si vlli vmquam aetati, accommodatissimae sunt, inutiles redduntur. Quam parua veritatum caelestium pars nobis relinquetur salua, immo, si dicamus, quod res est, fere nulla, si haec quidem interpretandi ratio inualuerit, quam ieiuna, quam macilenta, quam prauum minutos vbique & frigidos sensus consectandi studium, qui denique candor animi & integritas Viri, omnino sua laude non defraudandi, elucescit, qui, quae *in dem christlichen Lehrbuch* docuit, toties resorbet, vt TELLERUM TELLERO optime quis opposuisset! *Gottlob!* inquit in praef. ad *WB.* p. XIII. *daß ich den Einschränkungen des menschlichen Verstandes nicht unterworfen bin, die man sich nach hergebrachten Landesverfassungen gefallen lassen muß.* Quae quidem libertas ne in licentiam, & quaeuis animi sensa, sine iusto examine & ad normam scripturarum collatione, in vulgus effutiendi pruritum degeneret, & verendum & prouidendum est, cum inde a primis rei christianae incunabulis, ad tuendum veritatem, ad infinitarum controuersiarum farraginem in ipso ortu sopiendarum amoliendam ad dissentientium errores confutandos, ad publicae doctrinae typum recte constituendum, ad amoris vinculum firmandum & φιλαδελφίας studium acuendum, confessionibus publicis, libris symbolicis nil fingi potuisset accommodatius, nil excogitari solidius. (*)

§. II.

(*) In pariete hoc intergerino, religioni illi vniuersali, cui coagmentandae omnibus viribus operam dant recentiores, tam aduerso tamque contrario, penitus è medio tollendo & remouendo nil faciunt reliqui. Conf. S. R. SEMLERI adparatus ad libros Symbb. Ecclesiae Lutheranae. Hinc

§. II.

De oeconomico dicendi genere, quod Christo Apostolisque adfingitur.

Cum vero haec interpretandi ratio, quam hactenus in S. R. TELLERO vidimus, nec a grammatica, nec primis, omnium consensu probatis, artis hermeneuticae praeceptis praesidium habeat, sed omnium, qui vim & efficaciam verbi diuini gustarunt & norunt, scientiae, experientiae, conscientiae refragetur, aliam excogitarunt, aut potius a BALTH. BEKKERO, BURNETO adpositam, recoxerunt hypothesin, qui nostra aetate rei theologicae reformationem sibi sumsere, interpretes. Loqui nimirum Christum & apostolos, vti in aliis grauissimis doctrinis, ita inprimis etiam in loco de Diabolo malisque angelis κατ' ἄνθρωπον, οἰκονομικῶς, adcommodate ad falsas & commentitias Judaeorum illius temporis opiniones, λόγυς & ἐννοίας iudaicas, non proponi dogmata καθολικά, quae christiani homines omni tempore & loco amplecti debeant. Vt vero expeditius in tractatione nostra progredi nobis liceat, & inoffenso pede viam, quam ingressi sumus, persequi, de hac quoque hypothesi pauca monenda sunt. Principiis, iam ab aliis, inpr. Ill. ac Reuerendiss. Canc. REUSSIO, praeceptore summa pietate colendissimo, in diss. de *Oeconomia, qua in docendo ipse etiam Dominus vsus esse dicitur*, & ab Ven. ROOSIO in *Ueberzeugenden Beweis von dem göttlichen Ursprung und Ansehen der Bibel*, & in praef. ad librum, qui inscribitur: *Einleitung in die bibl Geschichte von der Schöpfung an bis auf die Zeit Abrahams* p. XXIV - XLVIII. a b. RAMBACHIO in diss. de Scriptura sacra ad erroneos vulgi conceptus non accommodata, contra BEKKERUM, inp. p. 17 ss. 36. 54. principiis his, inquam, optime stabilitis superstruimus & nostras responsiones, ad caussam nostram spectantes. Loquitur Dominus de Diabolo malisque angelis, cum docet & retegit ὁ ἐκ τῦ ὐρανῦ καταβὰς, ingenii humani acumini imperuestigabilia, quae aliis ne in mentem quidem incidissent, (Joh. XII. 31.) cum fontes interuersorum verbi diuini fructuum aperit,

Hinc tot praecones tolerantiae, saepius intolerantissimi, id quod ex conuiciis insaniae, stupiditatis, iudaici ingenii, fanaticismi, caeci-auitarum opinionum amoris, ignaui ȝe sacrae, inueterati torporis, & cuius non? satis videre est, in illos langissime fusis, qui sua quoque parte libertate cogitandi, iudicandi, sentiendi recta & legitima vtuntur.

rit, (Luc. VIII. 12.) cum de sua functione in terris peragenda dicit, se nimirum in potentis huius domum ingressum esse, vt illius supellectilem diriperet, illo potente prius vincto, vt diripiendae eius domus fieret copia (Matth. XII. 29.) quid? quod in sollemni sua & sacerdotali deprecatione atque intercessione, a patre caelesti id orat & ardentissimis precibus efflagitat, non vt suos ex mundo tollat, sed ἐκ τȣ̃ πονηρȣ̃ tueatur (Joh. XVII. 15.) quis vero est ὁ πονηρὸς κατ' ἐξοχὴν? is, qui alibi ita audit & insignitur, (Matth. XIII. 38. coll. v. 39. Eph. VI. 16.) Quis vero, in hac quoque intercessione, κατ' ἄνθρωπον, coram throno caelesti locutum esse Christum, asserere audeat? Loquitur cum *suis* saepius de Diabolo, loquitur, cum eos ad fidem, ad vigilantiam excitat, cum de sua erga ipsos fidelitate, in intercessione pro ipsis praestita, certiores facit, (Luc. XXII. 31.) cum periculosissima ipsis consilia Satanae ostendit, (ib. & v. 53.) Et Apostoli quidem, quando & ad quos, qua mente de Diabolo loquantur, recogitandum est, nimirum quando redemtionis ab infernali hoc genio pretium docent, (1 Joh. III. 8. Hebr. II. 14 s. Col. I. 13. II. 15.) cum minantur (1 Cor. V. 5.) cum fidei πληροφορίαν testantur, (Rom. VIII. 38.) cum ad πανοπλίαν spiritualem & induendam & tenendam exstimulant, (Eph. VI. 10-17.) quando rationes infidelium mentium excaecatarum dant, (2 Cor. IV. 4.) cum nouissimae ἀποςασίας auctorem & architectum declarant, (2 Thess. II. 9. 10. Apoc. XIII. 2.) cum fidei mortuae naturam docent. (Jac. II. 17.) Apostolorum erat, non falsis iudaeorum opinionibus velificari, sed easdem refellere, veras notiones substituere, vt is, qui aliter de ipsis statuat, hos vniuersi humani generis doctores, donis Spiritus Sancti extraordinariis & ordinariis mirifice delibutos, infra infimam doctorum, vel modica rerum diuinarum notitia praeditorum, sortem & fidem deprimat. Quis enim nostra aetate in suis ad populum orationibus, in proponendis grauissimis doctrinis, in exhortationibus ad virtutem & pietatem, in consolationibus, comminationibus, exprobrationibus, ferret doctorem mere λαοδογματίζοντα, quaeuis vulgi praeiudicia, commenta, falsas opiniones, aniles fabulas sermonibus suis, argumentis & incitamentis inserentem? Mira omnino συγκατάβασις, quae Christo Apostolisque adfingitur, quae de illis, vbi inprimis de tam magnis, & veritatem salutarem euiden-

dentissime ingredientibus, rebus ipsis sermo est, ne cogitari quidem, multo minus de illorum veri dicendi faciendique studio exspectari potest. Sic modo latebrae & effugia conquiruntur a falsae sapientiae τύφῳ inflatis, & patribus, ecclesiae, libris Symbolicis, Compendiis & Systematibus illudendi, *illiberali* cupiditate detentis. Christus & apostoli in redarguendis iudaeorum erroribus plane non otiosi erant, (Matth. XV. 1-20. XXIII. XX. 23-33.) exprobrarunt ipsis multa avita praeiudicia, gloriationem in Abrahamo, (Joh. VIII. 39.) cultum ex mero opere operato praestitum (Matth. XV. 8.) legis mosaicae nimiam venerationem (Act. XV. 1-31.) traditionum studium amoremque cum iniuria in irrefragabile versum. Dei coniunctum, (Matth. XV. 3. 9.) Immo testatur Dominus, (Joh. XVII. 8.) nihil se docuisse suos, nisi quae a patre accepisset, ea se discipulis tradidisse, & eos illa amplexos fuisse, & se a patre missum esse credidisse. Sine dubio haec ad omnem Christi, discipulis traditam, doctrinam pertinent, cuius illustrem aliquem locum etiam occupant sententiae Christi de diabolo malisque angelis defaecatiores. (Joh. VIII. 44. Matth. XXV. 41: Luc. VIII. 12. Matth. XIII. 19. 28. 39. Matth. IV. 1-11. Joh. XIV. 30. XV. 11. XII. 31.) Denique fateor, me nescire, quomodo ista cohaereant. Christus & Apostoli exagitare, euellere, eradicare voluerunt opiniones iudaerum ineptas, de daemonum potestate; ergo suam docendi & agendi rationem adcommodarunt his opinionibus, qua potius auita illa praeiudicia & inueterata commenta stabiliuissent & auctoritate sua muniuissent.

Cap. II.

De Statu Diaboli ante lapsum, in lapsu, & post lapsum.

§. 1.

Ordo, Esse diabolum, & Spiritus immundos plures, hactenus, vt spero, euicimus. Sed quî ortus sit, iam disquirendum est. Habet hîc quidem ingenii humani vis & imaginatio plurimum, in quo se exerceat, & laxatis vinculis, quae S. Scriptura in hoc doctrinae genere iniicit, per

per amplissimum campum exspatiandi potestatem. Nos & hîc, animum reuerentia in verbum Dei subactum, ostensuri, iustis limitibus, quos vel sacra scriptura, vel sana ratio, vel analogia, & conformitas viarum Dei definit, circumscripti, intra angustias subsidiorum, in hac re diligenter adhibendorum continebimus, omnem hanc caussam meditationibus de statu diaboli ante lapsum, in lapsu & post lapsum absoluturi.

§. 2.

Diabolum *angelum* fuisse, spiritum specie a nobis differentem, nostraque humana natura multo excellentiorem, eundemque inter angelos eximii ordinis, declarant nomina & operationes (conf. C. I. §. 3.) Dicitur cum suis ἄγγελος (Jud. ℣. 6.) & quidem ἁμαρτήσας (2 Petr. II. 4.) πνεῦμα ἀκάθαρτον (Matth. XII. 43.) & diabolus cum angelis suis ab ipso Christo coniungitur, (Matth. XXV. 41.) & in quibusdam locis angelorum sit mentio, nonnisi de malis intelligenda, (1 Cor. VI. 3.) quidam etiam loca (1 Cor. IV. 9. XI. 10. 1 Tim. III. 16.) huc referunt, & de bonis malisque angelis intelligunt. Quemadmodum ex ipsa doctrina christiana & scripturaria de bonis angelis constat, esse substantias intelligentes, easque varii ordinis, θρόνους, κυριότητας, ἀρχάς, ἐξουσίας, (Col. I. 16.) sic Christus exaltatus dicitur ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, (Eph. I. 21.) nec maius potest dici quicquam aut excellentius de Christo, quam quod horum omnium, quotquot sunt, ordinum caput sit & Dominus, (Col. II. 10.) cuius mandata suscipiunt, exsequuntur, quem pie adorant; (Ebr. I. 6. Ps. XCVII. 7. 1 Pet. III. 22.) ita eadem fere nomina malis quoque angelis competunt, vt in ipsa quoque malorum angelorum societate esse eiusmodi ordines colligi possit, (Rom. VIII. 38. Col. II. 15.) & contextus satis perspicue docet, ipsorum apostolorum notiones & sententias illis contineri, nec vt S. R. SEMLERUS in paraphr. ad Rom. VIII. 38. autumat, Paulum haec nomina ex more & vulgari Judaeorum opinione vsurpare, a quibus alii fingerentur angeli, qui terrestribus rebus procurandis praeessent, alii horum quasi magistri & praesides. Quibus addit etiam haec, hunc de angelis locum minus aptum & salubrem esse

Status ante lapsum.

aliis hominibus aliorum locorum & temporum, etiam nostram aetatem ab isto *fanatico contagio* non alienam esse. Equidem sapientiae diuinae, Deo ordinis, naturae societatis, tales ordines statuere, conuenientissimum putauerim, tantum abest, vt indignum. Non enim dicuntur ob dominium in terram, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, sed ob excellentiam & praestantiam naturae, maiorem vel minorem, nec video, si haec credantur, quomodo theologia vera, scripturaria, corrumpatur, modo abstineatur ab illa *Dionysii Areopagitae*, quae illi falso tribuitur, hierarchia, de qua conf. b. CLEMMII *Einl.* T III. p. 179. ne vltra id, quod scriptum est, sapere videamur, in ea, ἃ μὴ ἑώρακαμεν, ἐμβατεύοντες (Col. II. 18.) sed ea nos modestia contineamus, quam Augustinus contra Priscillianum C. II. adhibuit; „ esse sedes, inquit, dominationes, principatus, „ potestates in caelestibus, firmissime credo, & differre inter se ali- „ quid, indubia fide teneo; sed quo me contemnas, quem magnum „ putas esse doctorem, quaenam ista sint & quid inter se differant, „ nescio. „ Idem in Enchiridio C. 58, „ quid inter se distent haec „ vocabula, dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quae „ dicunt, ego me ista ignorare profiteor. „ Suo igitur loco b. BENGELII notam ad Rom. VIII. 38. relinquimus, qui per ἀρχὰς angelos adpellari autumat, qui saepius reliquis mittuntur. Gradualem, fortassis & specificam harum vocum differentiam determinandi copiam suppeditabit theologia patriae. De hac republica malorum angelorum cum fiducia asseri potest & illud, eam constare ingenti ciuium numero, si enim in vno homine tota legio inesse potuit, quot sint in vniuersum necesse est? (Marc. V. 9.) Communem porro inter se caussam habere, ex Matth. XII. 26. constat, vnde factum, vt Christo, in initio operum diaboli dissoluendorum occupato acclamarent: . ἔα τί ἡμῖν καὶ σοὶ Ιησοῦ Ναζαρηνὲ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς. (Marc. I. 24.) Differre porro inter se viribus & malitia, historia euangelica omnes praeiudiciis non fascinatos docet. (Matth. XVII. 21.) occurrunt tales, quibus eiiciendis discipuli Christi impares erant, vbi b. BENGELII nota in Gnom. ad h. l. huc redit. „ Non dicitur hoc loco, daemoniorum genus, vniuerse; sed *hoc* „ genus, determinate. Ergo non vnum est genus daemoniorum; „ ejecerant discipuli antea etiam sine precibus & ieiunio: at hoc ge-

nus

nus indolem habet, precibus & ieiuniis maxime contrariam & cedentem. Jenunio non assueuerant discipuli, (C. VIII. 14.) & sobrietatem, absente Domino, tum videntur, minus seruasse. Porro (Matth. XII. 45.) septem alii peiores spiritus memorantur, qui ab vno illo, qui egressus erat, differebant malitia, fortassis etiam inter se. Sunt ergo impuri spiritus, qui tamen minus mali sunt, sunt item spiritus valde maligni alii, sunt, qui subtilius operantur, sunt qui crassius, per vehementiores paroxysmos. Aliud discrimen malorum angelorum b. BENGELIUS ad Eph. VI. 12. (quamuis ob id ipsum τοῖς νεωτερίζουσι vapulet,) annotat: „Videntur alia esse genera malo„rum spirituum, quae magis domi, in arce regni tenebrarum, ma„nent, *imperia*, *potestates*; aliud, hoc tertium (κοσμοκρατόρων) „quod foris mundanas quasi prouincias obtinet.„ Jam si ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις in republica daemoniorum dantur, si alius alium viribus & naturae praestantia vincit, si malorum spirituum ingens est numerus, si eorum, quibus omnibus praest, potentia tam magna, tam formidabilis sistitur; quanta sit principis tenebrarum, coryphaei, ducis defectionis & facis, naturae excellentia, oportet, cui etiam regnum adscribitur, (Matth. XII. 26.) quo in tenebris non est vllus maior, quamuis regis titulo non cohouestetur, est enim merus vsurpator; quis sit & qualis ἄρχων τῶν δαιμονίων ex Matth. XII. 24. intelligi potest; conf. inp. (Apoc. XII. 9. 10.) Miror igitur, S. R. TELLERUM in *WB*. p. 319. *Reich des Teufels; davon wird nur gelegentlich nichts in der Schrift geredet:* cum tamen Christus ipse asserat, (Matth. XII. 26.) πῶς οὖν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; quod omnino regnum constituunt daemonia & qui cum ipsis Deo aduersantur, homines mali. (*)

(*) In dictis his, quae allegauimus, in alia omnia abit Anonymus, *Versuch einer biblischen Dæmonologie*. Videamus aliquot interpretationes locorum maxime illustrium: (Matth. XII. 22 - 32. 43 - 45. offerebatur Christo homo dæmoniacus, cæcus & mutus, quem sanauit, vt loqueretur ac videret. ℣. 22. Attonitum hoc miraculo vulgus, pharisæi, inuidia & ira commoti ita alloquebantur, auctoritatem, fidem, dignitatemque Jesu Christi indies maiorem infracturi: Nonnisi per Beelzebulem, dæmoniorum principem eiicit dæmonia. ℣. 23. Cogitationibus his a Christo intellectis ita respondet, vt absurditatem huius conuicii

§. 3.

Continuatur.

Quae hactenus (§. 2.) in medium attulimus, eo spectant, vt statum Diaboli ante lapsum nobis aliquo modo declarent, radiis prioris dignitatis atque excellentiae, concreataeque lucis vel è spissis illis tenebris, quibus iam inuolutus est, repercussis. Haec ipsa eminentia

& contumeliæ ostendat, omne regnum a sese diffidens desolari & omnem ciuitatem aut familiam, secum ipsam diffidentem, non stare: Satanam, Satanam expulsurum sibi ipsi adversari, nec regnum eius perstiturum esse. ♈. 25. ss. Innuit itaque Christus, dæmonas melius sapere, & hoc agere, vt res suas stabiliant, quod, nisi concordia, fieri non possit. Fatetur aperte, se etiam hac vice dæmonium reuera eiecisse, sed nonnisi diuina vi & Spiritu Dei: Etiam filios eorum eiicere dæmonia, in exorcismis suis & inuocationibus creatoris cæli terræque, Dei Zebaoth, Jehouæ, Dei Abrahami, Isaaci & Jacobi, nomine Jesu ipsius. (Marc. IX. 38. Matth. VII. 22. Act. XIX. 13.) (Varias horum formas & vsus explicat GROTIUS in annott. ad. h. l. nec euentu semper caruisse docet, non quod vis vlla in syllabarum pronunciatione esset sita, sed quod verus Deus iis potissimum nominibus nosci adpellarique vellet, atque ideo vim suam tum demum exsereret, quum apertissima locutione constaret ipsum, non aliquem gentilium deorum esse inuocatum,) quare hos ipsos iudæorum filios extremæ animi eorum malitiæ fore testes, & iudices, ab his ipsis eos conuincendos & condemnandos esse. Pergit Jesus, & ex hac sua dæmonii expulsione criterium desumit, ex quo tempus Messiæ, regnum cælorum aduentans, coniectare possint. ♈. 28. Nam characterem & gnorisma huius regni in eo constitui, vt Satanas cum suis rebus expellatur, id esse reseruatum Messiæ; neminem in alicuius potentis domum ingredi, supellectilis eius diripiendæ caussa, nisi potente illo prius vincto, adeoque se nec mundum nec functionem, a patre demandatam ingressum esse, nisi hoste hoc, tot præsidiis vndique cincto, in tentatione, Matth. IV. & aliis triumphis victo. In bello illo internecino, quod inter Dei seruos & dæmonas intercedat, nemini licere, neutrarum esse partium, medios pro hostibus haberi, & quemque non collecturum, Deo Christoque animas, dissipaturum esse. Jam grauissimam comminationem addit Dominus, metuendum esse omnino, si operationes Spiritus S. in ipso Messia manifestissimas, his conuiciis, blasphemiis & contra ipsorummet conscientiæ testimonia, malitiosis id genus contumeliis proscindere pergant, ne in peccatum illud atrocissimum, blasphemiam Spiritus Sancti incurrant, nec in hoc nec in altero sæculo remissibilem. ♈. 32. Refutata interpellatione iudæorum, prosequitur Jesus sermonem de dæmonibus

tia & admirabiles dotes, quibus Creatoris benignitas Diabolum, in statu instituto, ornare voluit, ex aliis quoque locis recte euincitur. Sine dubio eximia illius dignitas & naturae praestantia honori fuit & admirationi MICHAELI, ἀρχαγγέλῳ, vt inter alia argumenta, quae ad

bus ℣. 43-45. Egressum impurum spiritum ex homine, peragrare loca siticulosa, tamquam inimicum humanorum coetuum ac ciuitatum ἀφρήτορα, ἀθέμιστον & ἀνέστιον, & quærere domicilium, in quo requiescat, hoc non inuento regredi illum in domum prius inhabitatam, quam si inueniat purgatam à malis, bonisque ornatam, nec recuperare valeat, assumere illum septem alios spiritus, se peiores & nequiores, & recuperatam hoc modo sequi illud, vt posterior illius hominis conditio priore fiat deterior. Sic futurum esse etiam huic malæ nationi, cui tum conuersaretur Dominus. Generali huic enunciato Christi, non facile alium sensum sebesse aliquis existimet, quam hunc: eos, qui inquinamenta mundi semel effugissent, iisque denuo inuoluantur, grauius quam antea labi, contemtum gratiæ, infidelitate excussæ, hac ratione Deo puniente, conf. 2 Petr. II. 20. Joh. V. 14, id quod non modo in apostatis, sed in singulis relapsis videre contingat, immo in generatione illa iudaica, e peccatis in atrociora subinde & malitiosiora ruente, a dicteriis in Dominum in conuicia, a conuiciis in blasphemiam, a bhasphemia in necem prouolante, palam & perspicuum futurum sit. Hoc modo disseruit Dominus de Diabolo, dæmonibus, de eorum vi, voluntate, potestate, de fine, cuius gratia mundum intrauerit; loquitur sine vllo, ad praua iudæorum commenta, condescensus indicio, serio rem agit; suas animi sententias aperit, docet, monet, hortatur, ne sui cultores quicquam commercii cum his aduersariis in quocunque statu, etiam gratiæ, habeant, alant, domum a malis purgatam ornatamque, quibuscunque præsidiis muniant, protegant, tueantur, numquam feriari malos spiritus & illius obtinendæ recuperandæque studio indefesso vnitisque viribus laborare. Hæc plana sunt & perspicua, hæc aliis locis, quibus, ad gratiam costodiendam pie & fideliter, excitamur, consentanea. Quid iam Auctor: *Versuch einer biblischen Dæmonologie*? p. 87. *Diese Stelle*, inquit, *verdienet vorzügliche Aufmerksamkeit, weil sie nicht allein die herrschende Meinung der Juden und den Sprachgebrauch derselben aufkläret, sondern auch auf* das allerdeutlichste beweisst, *daß sich Christus in seinen Unterredungen mit den Juden* recht geflissentlich *zu ihren Meinungen und Begriffen herabgelassen, und nach denselben gerichtet habe, ohne selbige auf eine Art zu billigen — Hier liegt die abergläubische Meinung der Juden und Pharisäer klar am Tag. Sie schrieben alle ungewöhnliche und ausserordentliche physische Uebel bösen Geistern zu, und diesen gaben sie Vorsteher, die ihr Geschäffte förderten und hinderten — Wann ich, als ein wahrer Prophet und Gesandter Gottes, durch seinen Geist, die dem Teufel zugeschriebene Macht zu Grunde richte,* da-

ad Deum illiusque gloriam spectant, etiam illâ impediretur, quo minus auderet κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ' εἶπεν, ἐπιτιμήσαι σοι κύριος. (Jud. ℣. 9.) Quicquid sit de hoc certamine, & illius obiecto, corpore Mosis, proprie, vel improprie de ecclesia iudaica

dadurch sein gefürchtetes Ansehen und das Böse, das er bewirket haben soll, aufhebe, so ist ia offenbar, daß Gott durch mich sein Reich unter euch aufrichte, sich durch mich verherrliche und als den wahren Gott offenbare, der die Welt regieret — Daraus, daß ich die dem Teufel zugeschriebene Wirkungen und Macht zu Grunde richte und zerstöre, könnt ihr leicht abnehmen, daß ich der wahre Messias sei, der euch von der abergläubischen Verehrung *des Teufels befreie, und zur Verehrung des wahren Gottes und seiner Regierung zurukführen soll — — Ihr* haltet *den Teufel für einen mächtigen und starken Geist, den menschliche Kräfte in seiner Bosheit nicht hindern können, und die Erde und kranke Menschen vor die Wohnung desselben. Krankheiten, alles Uebel und Böse* haltet ihr *für seine* Wer*kzeuge und* Waffen, *wodurch er an dem Ort seines Aufenthalts wütet. Kann man aber wohl in die Wohnung eines starken Gegners eindringen — — Könnte ich denn wohl auf der Erde und in den unglüklichen Menschen, die nach eurer Meinung, die Wohnung des Satans, als eines sehr mächtigen Feindes, sind, die Krankheiten und alles Böse, das er anrichten, und dadurch er seine furchtbare Macht erweisen soll, aufheben und so leicht wegschaffen, wie ihr sehet, daß ich es kann, wenn ich nicht über die ganze Macht, und über das ganze fürchterliche Ansehen dieses* vermeinten *Feindes der Menschen erhaben wäre? Und so kann ich denn auch sein ganzes Ansehen und seine so sehr gefürchtete Macht zernichten, ich kann seine Wohnung unter den Menschen, und den* Aberglauben, *nach welchem er so lange, theils auf der ganzen Erde, theils in einzelnen Menschen, als in seiner eigenthümlichen Wohnung, so mächtig war, gänzlich* zerstören. Iam loco iustæ & legitimæ probationis in hac scripturæ tortura, mirifice sibi placet, & tamquam ex tripode dictis assentitur. *Das alles hat Christus in seiner Verantwortung den Juden gesagt. Von der wirklichen Macht des Teufels hat er* nichts *gesagt. Von der wirklichen Herrschaft des Teufels über die Erde und Menschen auch* nichts. *Christus zeigte den Juden das Falsche, Unsinnige und Widersprechende in ihren Vorstellungen. Kann er sie wohl auf irgend eine Art gebilliget und für wahr gehalten haben? Und nun mag ein ieder Vernünftiger selbst richten, ob man wohl noch auf Vorstellungen, die Christus so nachdrüklich und einleuchtend als ungereimt dargestellet, beweise von der Macht des Teufels bauen dürfe? Wer bei dieser Rede Christi nicht sehen will, daß er die jüdische Begriffe vom Teufel und seiner Macht verworffen hat, der muß von Vorurtheilen verblendet seyn.* Quid est fucum facere, lectorum oculis puluerem obiicere, scripturam torquere, Christum

daica eiusque religione ſumendo, quicquid ſit de fonte, vnde Judas notitiam illius acciperet, vtrum ex ſola reuelatione, an ex traditione maiorum, illud certo conſtat, archangelum id ſibi non ſumſiſſe, vt de Diabolo maledicam ferret ſententiam, ſed illius iudicium, ceu reſeruatum diuinum, Deo relinqueret. Varia interpretum diuortia, in quae ad h. l. abeunt, vid. in b. Imman. Hoffmanni diſſ. in 2 Petr. II. 9 - 13. coll. Jud. ℣. 8 - 10. quibus adde S. R. Noesselt diſſ. de diſcernenda tropica & propria dictione p. 43. & b. Bengelii Gnom. ad h. l. Nec illud, quod notemus, indignum videtur, cum de Chriſto dicitur, quod Daemonibus ἐπιτίμησεν (Marc. I. 25. III. 12.) occultam eſſe excellentiam Jeſu, in ſtatu exinanitionis

ſtum ſuae hypotheſi, precario aſſumtae, ſeruientem facere, ſi hoc non eſt. Hypotheſi illâ, de oeconomico dicendi genere, quo Chriſtus hac in re vſus eſſe dicitur, nec probata, nec probabili, cadente, (§. 11. C. 1.) totum illud ædificium, lubrico huic fundamento innixum, vna ruit. Matth. XVII. 14 - 21. Marc IX. 14 - 29. Luc. IX. 38 - 43. de filio patris cuiusdam vnigenito, ſpiritum mutum habente, ſermo eſt, cui eiiciendo diſcipuli impares erant. Tres Euangeliſtæ in eo conſentiunt, morbo illi ſubfuiſſe Dæmonem; Chriſtus ipſe confirmat, ſpiritum alloquitur, obiurgat diſcipulos ob ἀπιστίαν, *hoc* genus dæmoniorum nonniſi ieiunio & precibus expelli ℣. 29. contendit. Morbusne, præciſe hic vel ille, cogitari poteſt, ſit epilepſia, quod anonymus vult, ſitne aliud malum, nonniſi ieiunio & precibus cedens?

Lege iam & expende: *Verſuch einer bibliſchen Dæmonologie p. 233 - 239. Hier iſt doch* ſonnenklar, *daß Dæmon und Krankheit mit einander verwechſelt werden, und daß ein ſchweres Leiden und einen Dæmon haben, gleich viel bedeute.* Cur vero Chriſtus hunc ipſum δαίμονα alloquitur, cur praua iudæorum commenta de vi poteſtateque Dæmonum, auctoritate ſua munit confirmatque? ℣. 25. τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγὼ σοὶ ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν. Καὶ κράξαν καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτὸν, ἐξῆλθε. *Das alles heißt nichts anders, als, ſei auf immer von deiner Krankheit befreiet. Selbſt aus den VVorten Chriſti iſt klar, daß er eine Krankheit und keinen böſen Geiſt verſtehe. Denn ein ſprachloſer und tauber Geiſt läßt ſich wohl eigentlich nicht denken, und wie hätte denn auch ein* tauber Geiſt *Jeſum hören und verſtehen können? Die Anrede geſchah um der umſtehenden willen.* Morbum ſubfuiſſe, quis negauerit? ſed quis illum excitauerit, quæritur? Et quis quæſo Spiritum ipſum mutum dixerit, & ſurdum, nec per Metonym. talem intelligat, qui filium mutum ſurdumque fecerit?

nis & longe maiorem, quam Sociniani volunt. Domini enim est, increpare. (h. l. coll. Zach. III. 2.) (*) Fortasse & illud pristinae dignitatis τεκμήριον satis euidens est, quod in Apocalypsi non solum cum splendido angelorum, qui ab ipsius partibus starent, satellitio adpareat, sed etiam ipsi cum Michaële, Archangelo, res sit, quicum reciprocare serram & contentionem ausus est. (Apoc. XII. 7 - 9.) Quam splendido porro adparatu, quanta magnificentia visus est Johanni? Draco erat ingens, rufus, habens septem capita & decem cornua, & in capitibus diademata septem, cuius cauda tertiam caelestium siderum partem detraxit, ad terramque deiecit. (Apoc. XII. 3. 4.) Nescio, num ipsa illa commoratio, quam in ipso caelo eiusque regionibus amplissimis spatiosissimisque obtineret per longum tempus, non tamquam excellentis eius naturae argumentum, adferri in medium mereatur? (Hiob. I. II. Apoc. XII. 7 - 13.) His vero suo loco relictis, natura certe angelica, tam eximiis ornata est dotibus, vt vna illa excellentem Diaboli statum ante lapsum manifestissime prodat. Egregia enim sunt, & supra nostrum captum, qui in caelestibus μυωπάζει, posita, quae in sacris litteris de intellectus angelorum, generatim spectatorum ἀκριβείᾳ, & potentia insigni & admirabili praedicantur, testimonia, & cum ex analogia viarum Dei, in intelligentibus rebus obuiarum, colligere sit, non, vt loquuntur Scholastici, in statu purorum naturalium, creatos esse angelos, sed eorum naturam illiusque insignes vires, gratiae, (non generalis illius, qua & naturae dona comprehenduntur, sed specialis,) praestantissimis dotibus nobilitatam esse, in Diabolo recte & necessario naturae dona, & gratiae distinguuntur, φυσικὸν & πνευματικόν. In Deo haec insunt ἀκαταλύτως, in creatura vero, vel praestantissima, εὐκαταλύτως. Ad illa referuntur intellectus acumen, idearum perspicacia, summa agilitas, insignis potentia, ad hanc gratiosa SS. Trinitatis inhabitatio, conscientiae pax & tranquillitas, firmum in Deo solo confidendi propositum, filiationis diuinae certissima persuasio, in officiis quibuscunque, a Deo sancte & salutariter demandatis, pie obeundis, summa promtitudo & alacritas, sanctissima voluntatis ad legem diuinam conformatio,

(*) Ampla est & difficilis disputatio, quae non facile ad liquidum perducetur, de contentione Michaëlis cum Diabolo, de corpore Mosis. De *fonte*, ex quo Judas hanc narrationem hauserit, plane non liquet; illud

matio, naturae & gratiae in omnibus suis adfectionibus consentiens harmonia, & qui eam comitantur, iucundissimi fructus; & sexcenta id genus alia, quae Christus vna *veritatis*, in qua non perstitisse Satanam pronunciat, voce complectitur. (Joh. VIII. 44.) Quae ipsa veritas, non nisi est primaeua rectitudo, & ad gloriam Dei promouendam & dilatandam composita animi constitutio, dona reliqua gratiae praestantissima, excellentissima. Quemadmodum enim quilibet ordo spirituum, suum gestat characterem, a donis gratiae & naturae limitatum, ita spiritibus cuiuscunque ordinis fixus est a Deo terminus, quem salua sua primaeua rectitudine transcendere non possunt. Prima igitur & praecipua, quam praestare tenentur spiritus cuiuscunque ordinis, fidelitas in eo sita est, vt eam bonitatem physicam, moralem & spiritualem tueantur, quam a creatore suo acceperunt, nec tamen acceperunt, vt partem naturae suae seu essentiae, sed vt perfectionem, quae, ni sollicitissime custodiatur, amitti potest. Quid igitur Scholasticorum quidam, quos vide in diss. I. S. R. D. D. COTTAE, historia succincta dogmatis de Angelis p. 39. (n. 1.) commento suo de statu purorum naturalium velint, non video. Nec enim cum natura entis intelligentis, cum libertate concreata, cum statu probationis, cum fidelitati rite praestanda, conciliari potest. Cf. quae de hoc discrimine donorum in primo homine docet Reuerendiss. D. D. FABER in *der Einleitung in die H. Geschichte* p. 312. & inp. locum, quem in diss. de Daemoniacis contra Wetstenium, ex HIERON. JORDANO excitat p. 11. (not. g.) „ quum diabolus, inquiente, donorum naturalium peccando nullum amiserit, vti loquitur Dionysius „ Atheniensis, adeoque angelica eius essentia non omnino interierit, „ malae tantum propriae voluntatis adfectu degenerauerit, accreueritque tam diutino tempore eximia & multiplex rerum obseruatio „ & vsus insignis: magnae illum constat esse virtutis, virium valentissimarum, calliditatis incredibilis, sapientiae plus quam humanae, perspicacitatis acutissimae, vigilantiae summae, artificii, „ technas struendi perniciosissimas, fuco speciosissimo, incomparabilis,

lud affirmare ausim, ex illa scriptione, quae פטירת משה dicitur, aetate epistolae Judae posteriore, & iudaicarum ἐννοιῶν plenissima, non esse desumtam. Nec constat, vtrum epistola Judae, an illa ἀνάληψις τοῦ Μωυσέως, tem-

„ bilis, malitiae infinitae: vno verbo, odii erga genus humanum, „ quod perpetua conſectatur inuidia, ἀσπόνδου καὶ ἀκινήτου. „ Retinuit igitur Satanas dona ſua naturalia, quamuis per lapſum debilitata, peruerſa, & diuino iudicio obtenebrata.

§. 4.

— quoad ſcientiam. Inter ceteras virtutes, quae in Diaboli primo ſtatu effulgerent, eximiam quoque rerum naturalium & diuinarum *ſcientiam* iure poſueris. Retenta enim natura angelica, nec illius ſcientiam, nec ſciendi cupiditatem, aut capacitatem exuit. De angelis in genere conſtat,

tempore prior ſit, ex qua *Origenes*, quamuis πρεσβύτατος, & *Oecumenius*, Judam hanc narrationem mutuam accepiſſe putant. Singulare quid Moſi tam in morte, quam ſepultura contigiſſe, ex Deut. XXXIV. 5. 6. coniectare poſſumus. Diabolum vero ſepulturam Moſis, Michaëli, ἀρχαγγέλῳ demandatam, impediturum, cædem Ægyptii cauſſatum eſſe, quam rationem *Oecumenius*, Opp. T. II. p. 629. ex illa ἀναλήψει adfert, non exiſtimem. ἡ δὲ περὶ τοῦ Μωσέως σώματος κρίσις ἔστιν αὕτη· λέγεται, τὸν Μιχαὴλ τὸν ἀρχάγγελον τῇ τοῦ Μωσέως ταφῇ δεδιηκονηκέναι. τοῦ δὲ διαβόλου τοῦτο μὴ καταδεχομένου, ἀλλ' ἐπιφέροντος ἔγκλημα διὰ τὸν τοῦ Αἰγυπτίου φόνον, ὡς διὰ τοῦ ἐνόχου ὄντος Μωσέως, καὶ μὴ συγχωρεῖσθαι τυχεῖν τῆς ἐντίμου ταφῆς. Conf. Ill. MICHAELIS Einl. N. T. p. 1686-1733. Quamuis vero hæc incerta ſint, auctoritatem tamen canonicam ep. Judæ inde temerare nollem, a *Clemente Alexandr*. *Tertulliano*, *Origene*, teſtatam, quamuis cum ſecunda Petri, Jacobi, duabus Johannis poſterioribus, inter ὁμολογούμενα non reperiatur, & in antiquiſſima verſione Syriaca, quod omnino mirum eſt, hæc Judæ, ſ. Thaddæi, Syrorum apoſtoli, epiſtola non exſtet. Canonicam Paulli epiſtolarum auctoritatem, in quibus Arati, Epimenidis ſententias, ſuas fecit, nemo eapropter vellicauerit. Multo minus hanc ipſam narrationem huius contentionis inter *fabulas iudaicas* numerauerim, quod Ill. MICHELIS l. c. nec ſine formidine oppoſiti, feciſſe video, ab Anonymo *Verſuch einer bibl. Dæmonologie*, cupide arreptum: p. 165. ſ. *Dieſen Schwärmern hält Judas, zu ihrer Beſchämung, eine jüdiſche* Fabel *vor, vom Verhalten des Erzengels Michaels gegen den Satan, aus einer ſolchen für göttlich ausgegebenen und für göttlich gehaltenen Schrift, die freilich nur gar zu deutlich als eine* jüdiſche Fabel *in die Augen fällt, wenn ſie auch nicht mit unter den Träumereien der Rabbinen vorkäme. Da ſie aber unter den Juden ſehr bekannt iſt, ſo wird es wohl keinem Vernünftigen einfallen, die* reelle *Wahr-*

ſtat, vti ἰσχύι & δυνάμει μείζονες, (2 Petr. II. 11.) nobis ſunt, ita etiam ſcientia praepollere. Quanta enim ſint celeritate in cogitando, quanta in iudicando ſubtilitate, quanta in ſcrutando ſagacitate; quanta in ſentiendo acie, nos qui tarde, qui impedite intelligimus & volumus, qui nulla luce ſine tenebris, nulla cognitione ſine errore, nullo gaudio ſine admixto taedio fruimur, nulla virtute ſine vitiis, in hac iam infirmitate non capimus. Quicquid ſit de corporibus angelorum, vtrum nonnullis aetherea, quibusdam ignea, aliis aërea, aliis aquea, aut terrena, aut neque haec neque alia vlla competant, de quo multa & antiquiori & recentiori aeuo diſputata ſunt, (cf. diſſ. I. cit. S. R. D. COTTAE p. 26 - 36.) nullo certe, quod in regnum lucis ac veritatis proſpectum in hominibus impedit, corpori mortali ac craſſo circumpoſiti clarius vident, longius proſpiciunt, profundius meditantur, ſeriem idearum maiore ordine, maiore celeritate connectunt, & cum ad nullum planetam alligati ſint, disiunctasque huius vniuerſi oras perniciſſime peruolent, neque iis feſſa ſint vnquam alarum remigia, (Hiobi I. II. 2 Petr. V. 8.) & mundum

Wahrheit derſelben im Ernſte zu behaupten. Quis vero in delirorum Rabbinorum ſcriptis, fictionibus, commentis, in hoc ſterquilinio ne vllam quidem margaritam inueniri poſſe contendat, qualem h. l. Judas inuenerit, detexerit & priori ſuo nitori reſtituerit. Et quid quæſo *fabula* ad redarguendos illos ἐμπαῖκτας, & veros Chriſtianos ab illis deterrendos, valuiſſet? Quis in dictione breui, concifa, neruoſa, quali Judas vtitur, tam infirma &, quæ facile eluderentur, apta argumenta adhibuiſſe Apoſtolum putet? Quicquid vero ſit de his omnibus, id, quod nos inde deduximus, firmo ſtabit talo, naturæ diabolicæ præſtantiam, vel ab ipſo Archangelo ſecundum Judam, Apoſtolum honori fuiſſe habitam. Conſentit b. BENGELIUS in Gnom. ad 2 Petr. II. 10. (Quamuis illas δόξας & κυριότητας, non de diabolo malisque ſpiritibus explicauerim,) „ Angeli, qui peccarunt, tamen, vt creaturæ Dei, habent bonitatem, „ vt ait GERHARDUS ad h. l. & in ſua natura præſtantiſſima quam „ a Creatore acceperunt, characterem retinent indelebilem maieſtatis; „ conf. Luc. X. 18. 19. Matth. XII. 26. 29. Joh. XIV. 30. 2 Cor. IV. 4. „ quam non ipſorum, ſed Dei cauſſa, reuerenter habere debemus. conf. „ Jac. III. 9. Etenim hoc magnificentiſſimum eſt diuini iudicii reſer„ uatum, quod in angelos exercetur. huc nullus angelus, nullus ho„ mo, nedum impius, (Sir. XXI. 27. ἐν τῷ καταρᾶσθαι ἀσεβῆ τὸν „ σατανᾶν, αὐτὸς καταρᾶται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ.) ſua auctoritate, ſe inge„ rere debet. „

hunc ex omnibus plagis lustrare possint, adde., quod experient â sex millenniorum edocti, sua longaeuitate, infinita experimenta fecerint, quid longo rerum vsu intelligant, cognouerint, didicerint, facile est videre. Haec ipsa vero scientia, quae in statu primo pura, limpida, spiritualis erat, iam in mere naturalem commutata est, & degenerauit in eam, quam toties in doctore irregenito, amisso statu gratiae, videre contigit, vt Diabolus patriarcha ministrorum irregenitorum recte audiat. Quamuis vero excellens sit & eximia rerum naturalium & diuinarum in Diabolo scientia, multa tamen nescit, & ea inprimis, quae ad liberrimum Dei arbitrium, & ex eo constitutam οἰκονομίαν euangelicam spectant, quae nimirum sunt eiusmodi, vt de iis Petrus 1 Ep. I. 12. pronunciet, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, quemadmodum etiam Paullus de varia Dei sapientia loquitur, quae declaratur principatibus & potestatibus, in caelestibus, per ecclesiam (Eph. III. 10.) Quae si bonis angelis non a principio & ante euentum innotuere, multo id minus de malis existimari potest. Hoc quidem sensu non male fecissent patres, si Daemonibus adscripsissent cognitionem, non modo non superiorem humanâ, sed ne parem quidem. e. g. AUGUSTINUS L. I. contra Acad. C. VI. ab huius aëris animalibus quibusdam vilissimis, quos daemones vocant, „ nos superari acumine ac subtilitate „ sensuum posse, concedo, ratione autem, nego: & alio loco: ab- „ sit, vt ista considerans, animus veraciter religiosus, & vero Deo „ subditus, ideo arbitretur, daemones se ipso esse meliores, quod „ habeant corpora meliora - - sed sicut his omnibus animalibus ratio- „ cinando & intelligendo meliores sumus; ita etiam daemonibus be- „ ne atque honeste viuendo meliores esse debemus. „ In statu igitur primo diaboli scientiam excellentissimam, diuinam, spiritualem fuisse, nullum est dubium, iam vero, vt optima per abusum fieri possunt pessima, vere diabolicam.

§. 5.

Status in lapsu

Jam qui factum sit, vt è statu tam beato & multiplici bonorum copia adfluenti exciderit Diabolus, quaeritur? MANICHAEI certe, & qui postea cum ipsis fecere, PRISCILLIANISTAE non audiendi

di sunt, qui Saec. III. ecclesiam Dei turbantes, angelos quosdam non lapsu, sed ortu, i. e. a primo exsistentiae suae momento, seu ab ipsa natura sua, semper fuisse malos, contenderent, cum tamen Christus (Joh. VIII. 44.) asseueret, ὅτι ἐν ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, adeoque veritatem in ipso aliquando fuisse necesse sit: nec minus *Reformatorum* quidam rigidiores, qui absoluto suo decreto, quod comminiscuntur, lapsum esse Diabolum, autumant, ad idem praedestinatum, praedeterminatum, praemotum. Nec minus quaestioni huic lucis aliquid adfunditur, per id, quod Eliphas nocturna sibi visione, quam alii diuinam, alii diabolicam, alii mere humanam & commentitiam putant, reuelatum esse contendit, quando Hiob IV. 18. vocem sibi factam ita describit: וּבְמַלְאָכָיו יָשִׂים תָּהֳלָה׃ quae verba Ven. Abbas OETINGERUS ita vertit: *Und an seinen Engeln wird er gewahr eines Hangs zum Fall*, ex Arab. Ill. MICHAELIS *Uebers. vertit: Und findet an seinen Engeln Thorheit*; quae verba *in Anmerk.* p. 14 ita dilucidat: *Ich glaube nicht, daß hier die Engel als Sünder und Verbrecher vorgestellet werden sollen: wenigstens wissen wir sonst nichts von Sünden der guten Engel, und von den abgefallenen ist hier offenbar nicht die Rede — vielmehr ist die Meinung des Orakels: Gott verläßt sich auf seine Engel nicht dergestalt, daß er ihnen, wie der aberglaubische Orient wollte, und davon Gelegenheit zur Abgötterey nahm, die Regierung der Unterwelt anvertraue, und sie gleichsam zu seinen bevollmächtigten Amtleuten seze. Die Regierung der Welt ist viel zu schwer und verworren für sie. und selbst bey diesen erfahrnen Geistern findet die vnendliche Weisheit Gottes Thorheit, die sie zu einem solchen Geschäfte untüchtig macht — Verstehen aber diese höhere Wesen nicht einmal, warum Gott die Welt so, und nicht anderst regieret, wie viel weniger werden dann wir niedrige Sterbliche über die Austheilung von Glück und Unglück urtheilen können.* Ex his itaque non multum proficiemus, quod ad enodationem quaestionis propositae faciat. Natura potius entis intelligentis, & analogia viarum Domini, & communis lex, omni spirituum classi sapientissime constituta, qua habenti datur, experimentum aliquod virtutis, fidei & pietatis, gratique animi, in ipsis etiam angelis, poscere videbantur. Nec enim quis, nisi victoriâ legitime partâ, coronatur, & nonnisi lubentissimum obsequium, amor certis speciminibus declaratus,

ratus, fides variis tentaminibus explorata remunerantur. Quae ipsa ratio, cur singulos angelorum ordines statui cuidam probationis subiecerit Deus, satis aperte ostendit. Vbi enim intelligentia est & libertas, animae donum excellentissimum, sine quo truncis & stipitibus assimilarentur spiritus, ibi exercitium huius virtutis fit, oportet, nec gloriam, nec laudem, nec fidelitatem, nec amorem, vi extortum, sed spontanea & liberrima voluntate oblatum, amat Deus. Fuit igitur tempus & status, in quo etiam angeli suae a Deo dependentiae specimen, suae fidelitatis experimentum, sui obsequii argumentum darent. Fuit aliquando status, in quo de virtutibus suis vel perdendis vel minuendis, vel etiam, fidelitate rite praestita, augendis periclitarentur. Anceps quidem erat hic status, sed necessarius & gloriae diuinae illustrandae & exercitio fidei praecipue consentaneus. Sed quae quidem occasio exercendae hoc modo virtutis & pietatis angelicae a diuino arbitrio posita fuerit & suppeditata, determinare non est hominis, vltra id, quod sciiptum est, non sapientis. Fuit certe occasio, naturae angelicae & statui probationis adcommodata, si vel primo intuitu parua & nullius momenti adparuisset. Praeuisio igitur futurae, eiusque maximae, hostilitatis non debuit impedire Deum, quo minus angelum crearet lapsurum, aut in ipsa etiam apostasia sua voluntarie perseueraturum. Id enim argumentum, si valeret, Deum ab omni entium intelligentium ciuitate constituenda & creanda deterrere debuisset, quoniam omnes spiritus statui cuidam probationis exponendi erant. Et hac quidem ratione mundus pneumaticus, adeoque etiam mundus corporeus, cuius gratia factus est, numquam exstitisset. Quot quaeso diuinae bonitatis documenta, quot diuinae potentiae artificia, quot sapientiae infinitae τεχμήρια, vna litura delere non dubitant, quotquot se tales viarum Domini imperitos censores & ineptos consiliarios sistunt? Labi potuisse Satanam & angelos malos, qui naturae, quamuis praestantissimae, sed finitae, limites, ab infinita perfectione infinite distantes, recte considerauerit, non dubitabit vllus. „Dieu, inquit LEIBNITIUS Theod. §. 31. ne „pouvoit pas à la creature donner tout, sans en faire un Dieu; il „falloit donc, qu'il y eût des differens degrés dans la perfection „des choses, & qu' il y eût de limitations de toute sorte.„ Accedit & illud, sine hac fidelitate rite praestita, virtutem angelorum ne imputari

putari quidem, multo minus remunerari potuisse, prouti omnem hanc caussam solide & pulchre perorauit Reuerendiss. D. D. FABER *Einleit. in die H. Geschichte p. 293-384.* His rite expensis non est, vt eorum insaniam moremur, qui plane non dari peccatum autumant, adeoque & lapsum angelorum sannis & ludibrio excipiunt. conf. b. WEISMANNI diss. *horrenda insania docendi apud christianos, inter Deum & hominem non dari peccatum*, 1746. inp. p. 10. 20. s. p. 23. n. 15. 16. Nec minus inepta est eorum ratio, qui ex eo, quod angeli in statu suo primitiuo in caelis essent, adeoque visione Dei beatifica fruerentur, impossibilitatem lapsus inde inferunt. Nil dicam de caeli immensa latitudine & infinitis regionibus, in accessu ad Deum vel remotioribus vel propinquioribus, facile distingui potest, quod & b. WEISMANNUM *Instit. theol. dogm.* p. 280. & 300. & in diss. *Confirmatio bonorum angelorum in N. T. & fine mundi non demum futura*, fecisse video, inter visionem Dei tempore probationis nonnunquam discontinuatam, & in gradu remissiore dispensatam, atque inter eandem, vt perpetuam & coniunctam, ex parte subiecti, Deum videntis, cum exercitata & confirmata consuetudine cum Deo conuersandi. (*)

§ 6.

(*) *Rationi* quoque, non scripturae tantum, & analogiae viarum Domini, consentaneam esse hanc primae mali originis expositionem, pro eo, quod ipsi proprium est, acumine vidit & confirmauit Excell. PLOUCQUET, diss. *de viribus primitiuis* §§. LXXXVIII. LXXXIX. p. 35. s. „nostra sententia, non nisi vnum intelligi potest principium, „idemque summe-bonum. Hoc produxit Spiritus verae felicitatis capaces. Capacitas autem haec supponit statum, quo sentiri potest, „quid sit *amor* verus. Sed, quid sit amor verus, Spirituum limitatorum nullus sentire & experiri potest, nisi norit suas vires, nosse „autem easdem non potest sine sui exploratione, exploratio autem „sui sine aduersitate fieri non potest Necessarium igitur est moraliter, „vt quilibet Spiritus aduersitati exponatur. Quae aduersitas ponitur „in vincendis iis, quae a vero & sincero Dei amore spiritum auocare „possunt. Deus autem tantum vnicuique Spirituum largitur virium, „vt aduersitatem, siue in voluptate, siue in dolore, siue in alia re & „alio statu eadem ponatur, vincere *possit*. Qui vincunt, felicitatem „acquirunt; qui non vincunt, sibimet ipsis imperfectionem & miseriam, imperfectionis sequelam, inferunt, ita tamen, vt ab hisce „sequelis funestis amore, quo mundus dirigitur, summo liberari possint „

§. 6.

Continuatur. Ad *peccatum* ipsum, per quod è statu gratiae exciderent, vbi iam accedimus, fatendum omnino est, sacram scripturam generatim agere de lapsu angelorum malorum, nec in quo praecise constiterit, inde elici posse. In *veritate* non perstitisse Satanam, asseuerat Christus, (Joh. VIII. 44.) vbi per veritatem sine dubio intelligenda est primitiui status rectitudo, sanctitas & iustitia, totiusque naturae suae cum mente & consilio creatoris conformitas, status sinceritatis & puritatis in colendo, amandoque Deo, quem seruare, tueri, immo huic fundamento, recte & sancte posito, inniti & superstruere quaevis recte & pie cogitata & facta debuisset. Peruersam & prorsus iniquam huius euidentissimi dicti explicationem, immo ad hypothesin suam impudentem adplicationem Anonymi: *Versuch einer bibl. Daemonologie*, vid. in diss. III. Canc. D. Reussii p. 44. s. Quae Petrus (2 Ep. II. 4.) ad summam exponit, vbi eos nominat ἀγγέλυς ἁμαρτήσαντας, nimirum angelos, a recto tramite & via diuinitus proposita deflectentes, & voluntati diuinae repugnantes, a certitudine internae seu externae actionis declinantes, à scopo aberrantes, praescriptasque lineas, (ut Cicero naturam peccati definit,) migrantes & transilientes, praecepta Dei hoc modo violantes & actibus, suo statui & officio contrariis, Deum grauiter offendentes, ingens denique & inexpiabile crimen apud Deum ceu iustum iudicem incurrentes, id Judas v. 6. paullo plenius enunciat: ἀγγέλυς τε τὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν. Quae ad praesens institutum, cum de peccato malorum angelorum agimus, pertinent, in ea iam inquiremus. Quaeritur, quid per ἀρχὴν, quam non seruasse dicuntur, intelligendum sit, statum nimirum primum & imperium denotat? Duplici hoc significatu in sacris litteris occurrit. Nos vtrumque h. l. coniungimus, quod & b. Bengelium fecisse video, imperium, inquientem, statum semel eis assignatum, sub filio Dei, qui angelorum caput dicitur, (Col. I. 16. II. 10. coll. Eph. I. 10.) Excessere igitur ex ordine, in quo inter infinitas creaturarum nobilissimarum myriadas constituti erant, & regno Dei, rebellione facta, relicto suae ditionis, suae potestatis esse coepere, quam de-

fectio-

fectionem secuta est domicilii proprii, conuenientis naturae suae, & lucidi derelictio & fuga lucis, Dei, filii, omniumque, quae in veritate perstitissent, angelorum cohortum (*). Porro (1 Joh. III. 8.) dicitur, ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει, ex quo non sine veritatis specie coniicimus, non diu tenuisse statum suum primitiuum & primae fortassis tentationi, ipsi in animo obortae, succubuisse. Sed quî factum sit, fortassis non immerito aliquis quaerat, vt creatura nobilissima, excellentissima, & tam insigni bonorum & gratiae diuinae documentorum copia ornata, sine externa instigatione, sine stimulis & sollicitationibus aliunde superuenientibus, è statu suo primiti-

(*) Loca hæc, 2 Petr. II. 4. Jud. ℣. 6. nemine contradicente, parallela, quî de exploratoribus terræ Canaaniticæ explicari possint, mihi non constat. Inuenta hæc expositio à Balth. BEKKERO, ab recentioribus adæmonistis auide arrepta est, & ab Anonymo; *Untersuchung über die Bedeutung des Worts Teufel und Satan*, recantata; *Gott hat die Boten, die die Israeliten voraus nach Canaan geschikt, mit fürchterlichen Strafen für ihre Treulosigkeit belegt*, immo a nonnullis librorum censoribus, e. g. Francofurtano, publico adplausu cohonestata est; *daß noch niemanden diese so* leichte natürliche *Uebersezung beigefallen, ist mir unbegreiflich.* Concedi potest, exploratores istos dici posse angelos, & quidem ἁμαρτήσαντας, sed reliqua non quadrant. Quî de solemni illa legatione (Num. XIII. XIV.) nutu diuino suscepta & nobilissima dici potest, eam non seruasse ἀρχὴν, dereliquisse proprium domicilium, & cum morte naturali, sed diuinitus inflicta, fato prætmaturo obirent isti exploratores, si a Josua & Caleb discesseris, omnes, (Num. XIV. 36-38.) ad magni diei judicium æternis vinculis sub tenebris seruandos curatos esse? Sensus certe huius insignis judicii, quem paullo post videbimus, cum illa clade non consentire videtur, ni valde deprimatur, eundemque minutim interpretemur. Præconceptis iam opinionibus seruiant, necesse est, qui his gustandis pares se profitentur. Et in his hominibus sæpius vsu venit, quod b. WEISMANNUS dixit: „ malunt totam scripturam, quam conceptulos suos „ philosophicos, quibus toti innituntur, prostituere. „ Nec serio rem egisse putem censorem Francofurtanum, quando ita: *Nun hab ich ihn endlich auch, wie einen Bliz vom Himmel, wie den Vulkan aus dem Olymp, stürzen sehen! Das A. T. weiß nichts von einem Teufel, und das N. T. dem man sogern eine Geschichte seiner Entstehung hat andichten, ankommentiren wollen, weiß von allem diesem Vorgeben — Nichts. Schwäb. Magaz. 1775. 2 St. S. 150.*

initiuo excideret, & tam enorme peccatum, vti ex iis, quae id consecuta sunt, videre est, committeret? Si quidem statum probationis, animae, quamuis praestantissimae, finitas vires, voluntatem, nullo fidelitatis testimonio confirmatam, & sanctitatem, quamvis congenitam, sed variis subinde speciminibus augendam & comprobandam, in animum, vt par est, recte induxerimus, liquido patebit, peccatum ex sese elicuisse, oboriri potuisse repraesentationum confusionem, ad aliena adpetenda prauam inclinationem, aliarum nouarumque rerum experiundarum adpetitum, a voluntate diuina dissensionem, φιλαυτίας inordinatae & amori Dei contrariae generationem, virtutum suarum, sine plenariae suae a Deo dependentiae viua recordatione, intuitum quam maxime perniciosum, aliarum creaturarum, fortassis nobiliorum, cum suis viribus collationem & qui inde sequitur, in dignitatis, potestatis & gloriae suae mensura, diuinitus concessa, non contentum animi statum, & subliniorem gradum conscendendi propositum. Hanc ipsam mentem postea protoplastis ingenerauit infelicissime, & ipsi Christo implantare non erubuit. Quod quidem peccatum, vt fit, ex insita sua vi & ἀπάτῃ (Hebr. III. 13.) a paruis initiis ortum, nec in prima origine suppressum & suffocatum, fouendo, eundo & longius progrediendo vires sumsit & in plenam a Deo, creatore optimo & sapientissimo, defectionem erupit, quae cum aliis spiritibus, inferioris ordinis & dignitatis & minorum virium communicata, exemplo tam eminentis & praestantissimi Ducis, variis speciosissimisque sollicitationibus propagata, ad multos transiit & latius serpsit, & communione, quae adhuc inter Deum & angelos obtinuisset, soluta, statum peccati induxit. Quin in statu probationis constitutos angelos Deus variis gratiae auxiliis adiuuerit, nullus dubito, cum id a bonitate & sanctitate Dei facile quiuis, viarum Domini conscius, exspectauerit. Imaginatio igitur, ceu fons peccati, consideranda est, quae legem internam, qua omnes facultates colligatae erant & ad vnum finem tendebant, disturbauit, & vt primum extra orbitam euagarentur, fecit. Non abludunt ab his, quae Ven. Abbas OETINGERUS tradit in Comp. p. 192. „Vt primum, inquit, aliquis principatus hoc „crimen commisit, vt noluerit ἀρχὴν vitae in principali suo tenere, „sed gerere se, ac si vitam haberet in se ipso, zelus pro vita, toti

„Tri-

„ Trinitati communis, decentiis Dei consuluit, excussit a systemate rerum hanc rebellionem. — —

§. 7.

His quidem generalioribus rite intellectis & expensis, non opus Continuatur. est, vt aliorum de peccato Diaboli malorumque angelorum diuersas sententias vel recenseamus, vel diiudicemus. Ageremus heic egregie actum a S. R. D. D. COTTA in diss. II. *historia succincta dogmatis theologici de angelis* pag. 8 - 42. Mira sunt & inficeta, quae patrum plerique ob hebraei fontis ignorantiam commenti sunt, & testimonio inseruiunt, quantum in doctrina de Daemonibus ingenio indulserint. Condito nimirum mundo, cum terrena & sidera ad frugum prouentum & temporum vicissitudines condita, hominibus subiecisset Deus, angelis hominum ipsorum, rerumque, quae sub caelo sunt, cura cessit. At hi, amore victi mulierum, Daemones procrearunt, & hominum genus reliquum magiae, suppliciorum aliorumque terriculamentorum fraudibus sibi subiecere. Namque ipsi concupiscentiarum serui effecti victimarum, suffimentorum atque libaminum indiguerunt. Vnde inter mortales caedes, bella, adulteria, libidines & mala denique omnia secuta sunt, quod idololatriae ac poetarum commentis originem dedit. Mire in hoc commentum consensere veteres, *Irenaeus*, *Athenagoras*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, alii, quorum loca vid. in diss. II. cit. S. R. D D. COTTAE p. 8 ss. Hic ipse vero error pudendam habet originem, nimirum crassam ignorantiam loci Gen. VI. 1 - 4. vbi LXX. angelos habent. Vel ipse JOSEPHUS illum fouit Antiq. Jud. L. I. c. 14. Loca patrum exhibet PETAVIUS Theol. dogm. T. III. Loc. de angelis III. 2. p. 23. Nostrâ quidem aetate vix recenseri mereretur, nisi alio fœcundus fuisset, nimirum inficeto illo & nostris temporibus iure exploso commento de Daemonibus incubis & succubis, quorum etiam b. BENGELIUS mentionem facere videtur in vexatissimo illo loco, (1 Cor. XI. 10.) quem ea propter male excipit S.R.D. SEMLERUS in paraph. ad h. l. conf. Ven. ERNESTI *Neueste Bibl.* T. I. p. 522 s. Nec porro primum Diaboli peccatum in seductione protoplastorum constitit, nam omnis illa tragica historia arguit seducto-

rem, pessima mente praeditum. conf. diss. II. S. R. COTTAE p. 24 - 29. & WEISMANNI diss. II. Inaug. p. 68 ss. Diabolum & protoplastos bona mente & per ἐθελοθρησκείαν primo peccasse, inanis subtilitas est, a nonnullis ideo excogitata, vt ordinem peccandi & possibilitatem in statu integro, ipsorum opinione eo facilius possint digerere. Omnium minime peccatum Diaboli malorumque angelorum in eo situm erat, quod hominem πρωτόπλαστον adorare detrectarent, quod multi ex populis, ad orientem sitis, communi consensu existimarunt, vnde haec falsa opinio in *Koranum* transiit, conf. Ill. MICHAELIS *Erklär. des Briefs an die Hebr.* p. 107 ss. (n. 14.) His recte subductis rationibus eorum sententia ad veri similitudinem quam proxime accedit, qui per superbiam, quae maxime in spiritum cadit, lapsum esse Diabolum autumant, non tamen eo gradu & audacia intumescentem, vt aequalitatem cum Deo & independentiam adfectaret, vti b. SCHUBERTUS & D. HEBENSTREIT contendunt, sed maiorem dignitatem, dotes, gloriam, potestatem indecenter ambiret. conf. S. R. COTTAE diss. II, cit. p. 29 ss. & S. R. ERNESTI *N. Bibl.* T. VIII. p. 501. HOCHSTETTERI Colleg. pufend. p. 283. (*)

§. 8.

Continuatur. Peccatum Diaboli, in animo ortum & propagatum, comitata est derelictio *domicilii* proprii. Hypothesis est, multis & nostra & superiori aetate adamata, quae vero vltra coniecturae haud admodum probabilis gradum non ascendit, domicilium hoc fuisse terram nostram, aut systema planetarium. Gen. I. II. III. non tam institutionem siue creationem primam mundi describi, quam illius restitutionem

(*) Hier. ZANCHIUS, in Lib. de *operibus Dei inter spatium sex dierum creatis*, Neostadii MDXCI. p. 155. thes. IV. peccatum angelorum in eo constitisse asserit, quod in veritate euangelii de Christo, iam inde ab initio ipsis proposita, acquiescere noluissent: atque ita noluissent, vt maluerint potius suam primam originem suumque domicilium deserere, quam illi veritati subscribere. Cum absoluto decreto praedestinationis, ZANCHII aliorumque reformatorum πρώτῳ ψεύδει, etiam haec sententia, illi superstructa, sponte cadit.

nem ex lapſu angelico. Myſtici inprimis, quantum ſibi hac hypotheſi placeant, dici non poteſt, apud quos paſſim profundae & mirifice connexae cogitationes de hac re reperiuntur. LEIBNITIUS quoque plenius eam proponere, ornare & tamquam ad teſtem harmoniae regni naturae & gratiae prouocare non dubitauit Theod. §§. 18. 244. 245. Hypotheſis huc redit: Gen. I. 1. deſcribi rerum vniverſitatis creationem; & quidem multo ante tempore factam, quam noſtrae telluris, quam nunc incolimus, delineationem, a Moſe deſcriptam. Ante iam habitatam fuiſſe, & poſt lapſum angelorum in chaos mutatam, vnde illud תֹהוּ וָבֹהוּ quod in hexaemero nouis colonis, hominibus, coaptatum, ipſisque conueniens domicilium conceſſum ſit. Cel. BURNETUS, WHISTONUS, PATRICK comment. in Gen. ex anglis, J. G. KRÜGER, *Geſchichte der Erden in den älteſten Zeiten*, 1746. Auct. anonymus, Eſſai ſur cette queſtion, quand & comment l' Amerique a-t-elle été peuplée d' animaux T. I - V, ad hanc ſententiam ſtabiliendam omnes ingenii vires contulere. Et ob hanc ipſam rationem inuidiam Diaboli in protoplaſtos, in ipſius locum ſurrogatos, exarſiſſe, dicunt, (Sap. II. 24.) quod ferre non poſſet, nouos hos colonos inhabitare terram, ipſi in domicilium conceſſam, e lapſu ſuo nouis diuinae bonitatis & potentiae documentis reſtitutam, mirifice ornatam, & infinitis ſapientiae diuinae veſtigiis nobilitatam, multo magis intolerabile ipſi viſum eſſe, homines ipſius locum in caeleſtibus, praeſtita recte fidelitate, aliquando occupaturos & ſupremum in caelis Numer iacturae horum ciuium decentiſſime, & ſapientiſſime reſarciendae ita prouidiſſe. Antiqua eſt haec hypotheſis, nec demum noſtra aetate orta; Saec. X. iam rex Angliae *Edgar* Legem *Oswaldi* ſua auctoritate muniit, in cuius initio aſſeritur, loco angelorum lapſorum homines ſubſtitutos velle Deum in caelis, conf. S. R. ERNESTI *N. Bibl.* T. IV. p. 45. STACKHOUSE quoque in hanc ſententiam concedit, *Betrachtungen über das apoſtoliſche Glaubensbekänntniß*, vid. Ej. *N. Bibl.* T. VI. p. 327. Noſtrae quoque aetate hanc ipſam ſententiam patrocinio ſuo dignatus eſt Clar. SEMBECKIUS in *Verſuch, die Verſezung der begnadigten Menſchen an die Stelle der gefallenen Engel, ſchrifftmäſſig zu beweiſen*, qui, vt omnes huic hypotheſi fauentes, vapulat S. R. ERNESTI *N. Bibl.* T. I. p. 457. Denique noſtra quoque ſi

dicenda

dicenda sit sententia, hypothesin esse, eandemque haud valde probabilem, adfirmare non dubitem. Excideremus quidem, hac sententia stante, argumento quodam pro diuinitate J. C. contra socinianos, ex προυπάρξει ipsius ante iacta mundi fundamenta desumto. Doctrina vero in se certissima, & nube testium corroborata & confirmata, hoc argumentorum genere non indiget, & lubrico & multis aliis dubiis patente, nec directe a Scriptura vsurpari solito. Est omnino moderationis theologicae, in his rebus ita statuere, vt vnicuique sua constet vis iudicandi statuendique facultas & libertas, nec in his accessoriis simus iusto tenaciores, nec aliis, qui aliter sentiunt, iusto infensiores ac seueriores. Accedit, quod graues quoque theologi non alienos se ab hac hypothesi professi sint, SIMON EPISCOPIUS, Remonstrantium doctor, in Institt. theol. L. IV. C. I. p. 346. principium Gen. I. 1. ita intelligit, vt creationem caeli ac terrae multo ante tempore factam esse contendat, quam ordinatior mundi dispositio, propter hominem a supremo Numine fuerit suscepta. Hisce praesuppositis admodum probabile esse arbitratur, Deum, cum caelum hoc condidit, angelos etiam condidisse, non vt angeli statim essent ministri, sed caeli istius incolae & domestici quasi sui ac contubernales. Angelos autem istos non breui aut exiguo tempore in isto domicilio fuisse, sed diu admodum in eo versatos, tandem siue superbia, siue alia aliqua libertatis suae nimia, vt putabant, circumscriptione & limitatione adductos, magnam partem, veluti conspiratione facta, a Deo defecisse; b. WEISMANNI Institt. theol. exeget. dogm. p. 372. „ Communiter creditur, homines fuisse in „ locum lapsorum angelorum surrogatos, hincque caussa tantae in„ uidiae & odii solet repeti; quo supposito iterum certum est, in„ uidiam erga primum hominem adhuc creandum, primum angelorum peccatum esse non potuisse. „ Cogitandum tandem & illud, vero non absimile videri, si bonis angelis cum iis, qui mali nunc sunt, societas olim communitasque fuit, ex horum defectione bonos detrimentum cepisse, ex restabilitione gentis humanae reconcinnandum,

§ 9.

§. 9.

Atque ita in amplissimo Dei regno, quod quam latissime patet, orta est res antea plane incognita, nulli visa, nulli audita; nouum aliquid & inauditum, *peccatum*, tristissima ab optimo bono discessio, & propriae voluntatis in locum diuinorum mandatorum constitutio & erectio, quae quam tristissimis rerum mutationibus fœcunda fuerit, dici non potest. Consecuta est regni diuini in duas partes, sibi contrarias, scissio & diuisio, status peccati in statum sanctitatis & iustitiae congenitae successio, voluntatis semel a recto tramite deflectentis plenaria corruptio, profundissima deprauatio & summa vitiositas, donorum gratiae, quae amplissima tenuit, (§. 3.) amissio, & donorum naturae, quae, sine exsistentiae radice exstirpanda, exui non potuissent, ad prauos actus, ad peccaminosa mere molimina inuersio, veritatis abiuratio, mendacii ex se & phantasiae luxuriantis & fœcundissimae ludibriis eliciti inuentio, summa denique omnium animae facultatum, e gyro sanae rationis & superiorum virium deturbatarum, peruersitas, & ad actus, Deo ipsiusque regno contrarios, adplicatio, & quae optimo Creatori debuisset, honoris & gloriae, quouis modo significandae, documentorum in se suamque gloriam inducta & inuersa detorsio. Quemadmodum perseuerantes in sua erga Deum fidelitate angeli, vlteriorem mensuram gratiae ac diuinas remunerationes inde acceperunt, adeoque per fortes & generosos illos actus suae fidelitatis, creuerunt in habitu concreatae sanctitatis, eumque gratiae gloriaeque gradum diuinitus sunt consecuti, vt non modo numquam actu peccauerint, seu per totalem lapsum, seu per peccata infirmitatis, sed etiam, (impossibilitate morali summi gradus,) ne labi quidem & statu suo beato & sancto excidere possint; ita mali angeli sua infidelitate a communione Dei bonorumque angelorum abalienati, adfectuum vehementiorum turbine abrepti, omni bene agendi, & studia sua in honorem Dei conuertendi, facultate infelicissime exciderunt. Peccatum enim pro ea, quae ipsi natura inest, vi pestifera & mortali, id operatum est, vt spiritualibus amissis, naturalia quidem retinerentur, sed cum his ipsis connexus esset status vanitatis, mendacii & praetextuum, status tenebrarum vsque ad orcum perennandarum, & iudicii diuini pungens & excrucians, acerbissima

Status Diaboli *post* lapsum.

bissima conscientia, quo Diabolus adiudicabitur illuc, quo per naturam suam pertinet, in extremas tenebras, locum irae Dei iustissime & vehementissime exardescentis. Statum peccati in Diabolo Christus accurate descripsit, (Joh. VIII. 44.) quem locum vide, semel iterumque expende. Faciem certe huius mendaciorum patris, videre est in genuinis illis prolibus, quae in terris versantur, & patris sui imaginem exacte referunt, in hominibus, gradum altiorem in malitia, odio erga veritatem, & illius confessores, mendaciis, πανυργίαις, hypocrisi consecutis, qui γεννήματα ἐχιδνῶν audiunt, (Matth. III. 7. Luc. III. 7.) quae quidem adpellatio peruersitatem a malis maioribus in ipsos & quidem cum augmento deriuatam indigitat, nec tamen, vti (Matth. XXIII. 33.) ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν adpellantur, generationem quandam diabolicam excludi patet, sicuti alio loco eos accusat Christus, (Joh. VIII. 44.) & facere dicit ex proselytis suis, terra marique conquisitis, filios gehennae duplo se peiores. (Matth. XXIII. 15.) Quid status praeteriti memoria, tot bonorum gratiae, nefario ausu decoctorum, recordatio, status praesentis intuitio & futuri horrenda exspectatio, veritatis, quam penitus eiurare non potest (Jac. II. 19.) vis & summa potestas in eo torquendo, excruciandoque valeant, dici excogitarique non potest. Pulche MILTON: *verlohrnes Paradieß*:

—— —— Die verwirrten Gedanken
Werden von Grausen und Zweifel zerrissen, die in ihm die Hölle
In sich und rund um sich her; und durch die Verändrung des Ortes
Kann er der Hölle so wenig, als wie von sich selber entfliehen,
Das Gewissen wekt iezt die Verzweiflung, die in ihm geschlummert,
Wekt in ihm die bittre Erinnrung des vorigen Zustands,
Was er war, was er ist, und was ihm noch schlimmers bevorsteht,
Denn auf schlimmere Thaten erfolgen noch schlimmere Strafen.

Nec minus recte Jll. HALLER *Gedichte* p. m. 160. f.

Die Wahrheit, deren Kraft der Welt Gewühl verhindert,
Findt nichts, das ihr Gefühl in dieser Wüste mindert;

Ihr

Ihr fressend Feur durchwühlt das Innre der Natur,
Und sucht im tiefsten Mark des Uebels mindste Spur,
Das Gute, das versäumt, das Böse, so begangen,
Die Mittel, die verscherzt, sind eitel Folterzangen.
Von steter Nachreu heiß. Er leidet ohne Frist,
Weil er gepeiniget, und auch der Henker ist.

His quoque consentanea sunt, quae JOUNG *Nachtged.* IV. p. m. 337. mira ingenii fœcunditate canit: *Schwarze Plagegeistern und stechende Hydern sollen ihres Amts entlassen seyn; die durchdringenden Blize der hellen Wahrheit — sind die Hölle; eine vollkommen richtige Beschreibung, wenn sie gleich von keinen Schulen gelehret wird: Wiederum: Sage mir: Mein kleiner* Philosoph! *Was ist die Hölle? Sie ist nichts anderst, als die völlige Erkenntniß der Wahrheit, wenn die lange bestrittene Wahrheit sich für unsern Feind erklärt, und die Ewigkeit um Rache anfleht.* Internam hoc modo nemesin, qua quisque suos patitur manes, sentit, & conscientia teste simul & iudice, pœnas luit, pro ratione sui sceleris αὐτοκατάκριτος.

§ 10.

Grauia sunt & nostra attentione dignissima, quae de statu peccati Angelorum malorum nos docent, sacrarum litterarum testimonia. Lapsum angelorum fidelibus proponit Petrus 2 Ep. II. 4. & inde grauissimam a via recta, quam semel ingressi essent, ne vmquam deflectant, adhortationem elicit, ut seuero illo iudicio, in angelos peccatores decreto, edocti saniorem mentem induant & alienis periculis ac damnis cauti sapiant. Angelis, inquit, peccantibus (quamuis nobilissimis creaturis,) non pepercit Deus, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν (μεγάλης ἡμέρας) τηρουμένους. quam ipsam pœnam Judas v. 6. fere iisdem verbis sic enunciat: εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετόρηκεν. Ante omnia quaeritur, 1) quid sint σειραὶ ζόφου, siue δεσμοὶ ἀΐδιοι ὑπὸ ζόφον? Sine dubio status densissimae caliginis, & a Deo, ceu lucidissima & purissima luce, (1 Joh. I. 5.) abalienationis, cum Continuatur.

[illegible] malis,
[illegible] exerceri por-
[illegible] semper molimina
[illegible] & ἐνέργεια πλάνης,
[illegible] Diabolus & so-
[illegible] ἁμαρτά-
[illegible] ad h. l. pecca-
[illegible] peccat, cu-
[illegible] Nunquam satia-
[illegible] pectes, fla-
[illegible] e inexcitatione deie-
[illegible] in mente radiat, &
[illegible] studium, ad
[illegible] atroci-
[illegible] sunt caligi-
[illegible] & ad pecca-
[illegible] a Deo eiusque lucê
[illegible] districtus
[illegible] merito merea-
[illegible] angelis [illegible] est & pes-
[illegible] custodiae, num-
[illegible] molimina, actus
[illegible] contra Deum & Saluatorem
[illegible] incincibilem mo-
[illegible] aliquoties
[illegible] genere peorsus exi-
[illegible] cum malitia & peruer-
[illegible] omnia, quae il-
[illegible] Distinguuntur
[illegible] longissime di-
[illegible] cuius aucto-
[illegible] ἐξουσία τοῦ σκότους
[illegible] id agens, in id in-
[illegible] in iis eo difficiliore fu-

a) Quid

a) Quid ταρταρώσας sibi vult? Vox τάρταρος, in plur. τάρταρα, inter ἅπαξ λεγόμενα N. T. referenda est, significatio igitur illius aliunde petenda. In HOMERO, PLATONE, HESIODO saepius occurrit, & denotat locum infimum in rerum natura, caligine & frigore horridissimum. S. Ven. ERNESTI aliquoties quidem monet, indigitari per vocem τάρταρος nonnisi locum caliginosum, tenebricosum, horridum, quales carceres, in terram profundius effossi, esse solent, & 2 Petr II. 4. nonnisi contineri ideam carceris & poenae, malis angelis inflictae, vnde sui suorumque extricandorum, Diabolo nulla suppetat copia, nec scripturarie dici, angelos malos in infima terrae loca detrusos esse, in vocabulis τάρταρος, ᾅδης, ζόφος, σκότος nonnisi poenas intelligendas esse, easdemque continuas, nec vmquam intermissas, nec vllum locum, cf. *N. Bibl.* T. IV. p. 718. *Neueste Bibl.* T. II. p. 777. Pace vero Viri S. V. dixerim, omnes prope auctores per vocem τάρταρος infimum locum subterraneum describere, nec aliam notionem, quam vocis ἀβύσσου, illi substituendam videri. Καταχθόνιοι illi, (Phil. II. 10.) omne genu ad nomen J. C. aliquando incuruaturi, iustamque illius dominationem agnituri & venerabundi confessuri, fortasse cum hominibus erunt mali angeli, qui iam in terris versanti acclamarunt: σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. (Marc. III. 11.) Graphice quoque hunc ipsum locum describit Hiob. Cap. XXVI. 34.
הָרְפָאִים יְחוֹלָלוּ מִתַּחַת מַיִם וְשֹׁכְנֵיהֶם׃ עָרוֹם שְׁאוֹל נֶגְדּוֹ וְאֵין כְּסוּת לָאֲבַדּוֹן׃
Communiter quidem hi רְפָאִים & καταχθόνιοι mortuos denotare existimantur; hos vero iam ἐπιγείων nomine comprehensos aliquis existimet. Recentissimus Hiobi interpres, CUBE nobiscum facit, רְפָאִים vertens: *Höllische Geister*, cf. etiam SEB. SCHMIDIUM in Comment. ad Hiob, h. l. p. m. 1037 ss. Vera quoque vocis τάρταρος, ταρταρόω, in τάρταρον detrudo, significatio non melius addisci poterit, quam ex locis quibusdam, è profanis autoribus excitatis. Iuvabit igitur, aliqua in medium adducere: HESIODUS in Theogon. p. m. 130. ed. Basil. 1564.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ

Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος ὀλύμπου
Τάρταρά τ' ἠερόεντα, μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.

Primo omnium Chaos fuit; at deinde
Tellus lato pectore praedita, omnium fundamentum solidum
Immortalium, qui tenent iuga niuosi Olympi (semper
Tartaraque tenebricosa, in recessu terrae spatiosa.

Ampla porro descriptio tartari occurrit in HESIOD. Theogon. p. m. 174. vbi praelium illud gigantum cum effectibus describitur.

— Καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
Πέμψαν καὶ δεσμοῖσιν ἐν ἀργαλέοισιν ἔδησαν.
Νικήσαντες χερσὶν ὑπερθύμους περ ἐόντας,
Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
Ἶσον γάρ θ' ὑπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα.
Ἐννέα γὰρ νύκτας καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
Οὐρανόθεν κατιὼν δεκάτῃ ἐς γαῖαν ἵκοιτο.
Ἐννέα δ' αὖ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
Ἐκ γαίης κατιὼν, δεκάτῃ δ' ἐς τάρταρον ἵκειν,
Τὸν πέρι χάλκεος ἔρκος ἐλήλαται. ἀμφὶ δέ μιν νὺξ,
Τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρὶν. αὐτὰρ ὕπερθεν
Γῆς ῥίζαι πεφύκασι, καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.
Ἔνθα θεοὶ τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι
Κεκρύφαται, βουλῆσι διὸς νεφεληγερέταο
Χώρῳ ἐν εὐρώεντι, πελώρης ἔσχατα γαίης.
Τοῖς, οὐκ ἐξιτόν ἐστι. πύλας δ' ἐπέθηκε ποσειδῶν
Χαλκείας. Τεῖχος δέ περ οἴχεται ἀμφοτέρωθεν.
Ἔνθα γύγης, Κόττος τε, καὶ ὁ βριάρεως μεγάθυμος,
Ναίουσιν, φύλακες πιστοὶ διὸς αἰγιόχοιο.
Ἐνθάδε γῆς δνοφερῆς, κατὰ ταρτάρου ἠερόεντος,

Πόντου

Πόντου τ' ἀτρυγέτοιο, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Ἑξείης πάντων πηγαὶ καὶ πείρατ' ἔασιν
Ἀργαλέ', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοίπερ,
Χάσμα μέγ' οὐδέ κε πάντα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν
Οὖδας ἵκοιτ', εἰ πρῶτα πυλέων ἔντοσθε γένοιτο.
Ἀλλά κεν ἔνθα, καὶ ἔνθα φέρει προθύελλα θύελλα
Ἀργαλέη. δεινόν τε καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τοῦτο τέρας. καὶ νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ
Ἕστηκεν, νεφέλης κεκαλυμμένα κυανέῃσι.

Atque hos ſub terram longe patentem
Miſerunt, & vinculis moleſtis alligarunt,
Vincentes manibus magnanimos licet exſiſtentes:
Tantum infra ſub terram, quantum caelum diſtat a terra:
Par enim ſpatium à terra in Tartarum caliginoſum;
Nouem enim noctes ac dies ferreus Acmon
Caelitus delapſus, decimo die ad terram venit:
Nouem rurſus noctes & dies aereus Acmon
Ex terra deſcendens, decimo die ad Tartarum venit.
Quem circa ferreum ſeptum ductum eſt, circum vero ipſum nox
Triplici ordine fuſum eſt circa collum, ſed ſuperne,
Terrae radices creuerunt, & infructuoſi maris.
Vbi Dii Titanes ſub caligine opaca
Abſconditi ſunt, conſiliis Jouis nubicogi,
Regione ſqualida, vaſtae vltima terrae.
His non exitus patet: portas vero impoſuit Neptunus
Ferreas. Murus etiam circumdatus vtrinque.
Illic Gyges, Cottusque & Briareus magnanimus
Habitant, cuſtodes fidi Jouis aegida habentis.
Ibidem terrae tenebricoſae, & tartari opaci,
Pontique infructuoſi & caeli ſtelligeri,
Ex ordine omnium fontes & fines ſunt,
Moleſti, ſqualidi, quos oderunt Dii,
Hiatus ingens, nec vero integro anno

Solum

Solum attinget, vbi primum portas intra venerit:
Sed sane huc & illuc fert impetuosa procella,
Molesta, horrendumque etiam immortalibus Diis
Hoc monstrum: & noctis obscurae domus horrendae
Stant, nubibus obrectae nigris.

Ex hac quidem descriptione Tartari, iusto fortassis liberaliore mensura impertita, sed *φιλέννηνι* condonanda, illud, puto, facile intelligitur & perspicitur, (ne plura inde coniiciamus, fortassis non admodum incongrua,) tartarum esse, vt EUSTATHIUS ad Il. Hom. annotat, *τὸν ὑπὸ τῆς γῆς κατώτατον τόπον, ὃς φερωνύμως τετάρακται, ἀὴρ ὑπόγαιος, καὶ ἀνήλιος καὶ διὰ τοῦτο καὶ ψυχρὸς*, locum squalidum, luce carentem, horridum, carcerem subterraneum, caliginosum. Jam si Deus angelos peccatores *ταρταρώσας* dicitur, grauissima illa vindicta intelligitur, qua rebelles hos regni sui ciues, è superis regionibus lucis & domicilio sponte relicto, ob nefariam illam in aliena inuolandi cupiditatem, ad haec horrida & squalida loca vel actu detrusit, vel suo tempore detrudi decreuit, a communione sua longissime remouit, & in ea domicilia amisit, quae tenebricoso & malitioso animi eorum statui consentanea essent & adcommodata. Sic obstare huic explicationi insignes illae operationes non possunt, quas in terris inter homines suscipiunt daemones, immo immensae illae vexationes, quibus regnum Dei quouis modo impedire & turbare audent. Nam haec ipsa captiuitas cum quadam extensione videtur accipienda esse, paullatim & successiue intensior futura, vt alii in arce domi manere videantur, aliis foras exspatiandi, regionesque exteras visitandi copia suppetat, vt Apoc. IX. 11. *ἄγγελος ἀβύσσου*, occurrit, de quo vid. *Erklär. Offenb.* b. BENGELII p. 460. Nec illud fortasse *ἀπροσδιόνυσον* est, varios pœnarum malorum angelorum statuere gradus & intensiores & remissiores, pro gradu reatus & culpae in lapsu dispensatos. Certe alter altero peior dicitur, (Luc. XI. 29.) adeoque alter altero magis vel minus plectitur. Fuerunt quidem inter patres, e. g *Justinus Martyr* in Apolog. I. *Irenaeus* L. V. quod ex Justino didicisse profitetur, *Oecumenius* in Comment. in 1 Pet. V. *Epiphanius* in haeresi Sethianorum, qui daemones hoc iam tempore ab omnibus pœnis immunes esse statuerent,

tuerent, quia olim demum iudicandi sint. Sed sine dubio eadem est ratio damnationis angelorum malorum, quae hominum. Hos vero statim a morte cruciatibus infernalibus tradi, (Luc. XVI 23) nec tamen consummatis, quorum complementum diei extremo reseruetur, nemo facile negauerit. Meliorem Daemonum sortem, qui grauius peccarunt, quis augurabitur? Lapsus angelorum, in se spectatus, non potest non inferre statum eorum miserrimum, qui poenae σχέσιν numquam exuit. BEDA in Comment. ad Iac. II. Daemones, inquit, quocunque abeunt, semper secum ferunt suum infernum. Patribus patres facile opponuntur. De tota controuersia plura legas ap. GERHARDUM in LL. theol. de judic. extremo §. 46. pag. 40. Horrent certe mali angeli haec abyssi profundissimae & caliginosissimae loca, nam Luc. VIII. 31. τὰ πολλὰ δαιμόνια, quae hominem obsedere, & quorum nomen Legio adpellabatur, παρεκάλει τὸν Ἰησοῦν, ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. Nam in abysso, inquit b. BENGELIUS in Gnom. ad h. l. non adorantur a malis hominibus, nec illis nocere possunt, pro pabulo miseriam habent, nec dum tamen cruciari in custodia illa videntur. Potestas J. C. etiam super animalia, daemones, abyssum porrigitur. Interim locum hunc supplicii sui bene nosse videntur, cui ex iustissimo Dei decreto dicati sunt, & in quem variis subinde gradibus, mensura plene exsuperante, detrusum se iri, persuasissimum habent. Sicut bello captus, inquit BENGELIUS extra locum captiuitatis potest ambulare, ita etiam mali angeli in terram exspatiari, diuina permissione possunt. (Luc. XI. 24.) Gradatim igitur angeli, qui peccarunt, ad τάρταρα dantur, & horrida aeterni supplicii exspectatione ita tenentur, vt ad Dei, ceu judicis justissimi, & loci futuri, squalidissimi domicilii, memoriam toto pectore contremiscant, & ea propter odio habeant Deum, resque diuinas omnes, (Jac. II. 19.) nam sentiunt & intelligunt & meminerunt, Deum esse & vnum esse, terribili exspectatione aeternorum cruciatuum. Vsque adeo fides illa, quam σοφία δαιμονιώδης iactat, nec iustificat, nec saluat, & tamen efficaciam aliquam habet, sed in contrarium. Ad hoc βάθος, s. abyssum respicit Paullus, (Rom. VIII. 38) nec inde auulsionem sui ab amore Dei timens, cuius vel secura cogitatio mentem humanam externare posset: ὕψος contra altissimus Dei thronus dicitur, (Luc. II. 14.)

ita, vt duabus his vocibus a suprema omnium ora ad profundissima terrae descendat, nec sibi quicquam infesti metuat, nec a maiestatico Dei throno C. VIII. 1. 33. 34. nec ab illa profunditate, vnde tot abaddones, (Apoc. IX. 11.) tamquam emissarii regni infernalis propullulant, potestates tenebrarum, aduersus nos horribiliter se efferentes. In hanc abyssum, in hunc tartarum, horribilissimam voraginem coniicietur Satanas, & concludetur, & insuper obsignabitur, ne deinceps gentes decipiat, (Apoc. XX. 1 - 4.) de his receptaculis regni inuisibilis vid. BENGELII *Erkl. Offenb.* p. 447 ss. 982 ss. Jam haec loca (2 Petr. II. 4. & Judae ℣. 6.) breui paraphrasi illustrabimus: Literis vos cohortari vtile duxi & necessarium, vt in ea fide, quae semel sanctis est tradita, strenue certetis, ℣. 3. nec ab iis hominibus, qui irrepserunt, & Dominum nostrum J. C. abnegarunt, è statu tam beato dimoueamini, ℣. 4. intuentes tot diuinae iustitiae exempla, tam in populo Dei, quam alibi statuta ℣. 5. Eminet in his grauissimum illud & insigne iudicium, in angelos apostatas quondam multa seueritate exercitum. Hos enim extra orbitam vagantes, in statu probationis fidelitatem non praestantes, phantasiae fortioris impulsibus abreptos, originem, dona, principatum non retinentes, immo domicilium ipsis liberalissime concessum relinquentes, è superioribus lucis regionibus deturbauit Deus, ab aspectu & fruitione sui longissime remouit, & inextricabilibus tenebris, plena amissione donorum gratiae, animi statu inordinato, ita inuoluit, vt nil boni gustare, desiderare, perficere valeant, sed peccati facti mancipia Deo Christique regno omnibus viribus repugnent, peccatorumque mensuram indies augeant, vt praeter internam peccati pœnam, omnis praeuaricationis pedissequam, ad diei vltimi memoriam & iudicii nouissimi, cui tamquam in carcere & custodia asseruantur, recordationem toto pectore contremiscant. His vinculis inextricabilibus & aeternis detentos ad maximi illius diei iudicium sub tenebris seruandos curauit Deus, iudex iustissimus, vel in angelis ἀπροσωπολήπτως. (*)

§ 11.

(*) Amplum illum & philologis late patentem locum de variis significationibus scripturariis vocum שְׁאוֹל, ᾅδης, ἄβυσσος, ταρτάρα, nostrum iam non facimus. Peculiarem hæc disquisitio operam postulat, quam in se nuper suscepit S. R. D. COTTA in triga dissertationum, de inferno,

§. 11.

Primum angelorum peccatum non constitisse in eo, quod primos parentes ab obedientia erga Deum deflexissent, vidimus. (§. 7.) Animum vero suum erga Deum hominesque primo eodemque euiden- peccatum Diaboli seductione protoplastorum auctum.

K 2 tissimo

ferno, eiusque sede, 1775, 1776, ventilatarum. Potiora illarum momenta in compendio heic exhibebimus.

1) שְׁאוֹל denotat,

a) locum quendam infra superficiem terræ, seu profundiorem terræ partem, siue suapte natura talis sit, siue labore humano fuerit excauata, (Deut. XXXII. 22.) fundamenta montium, (Hiobi XXVI. 6.)

b) *sepulcrum*, (Hiobi XIV. 13. XVII. 13. 16. X. 21. ss.

c) *Statum* aut conditionem mortuorum, cuiuscunque sint generis, in quo quiescere, & colloqui poëtice finguntur mortui, (Jes. XIV. 19. 9. ss.) huic dabant portas, (Matth. XVI. 18. Jes. XXXVIII. 10.) & שְׁאוֹל generis, duas esse species, paradisum & gehennam, aut Elysium & *Tartarum*.

d) locum, vel [illegible], in quo animæ *impiorum torquentur*, (Num. XVI. 33. Ps. XLIX. 15. s.)

e) *metaphorice* afflictiones grauissimas, (1 Sam. II. 6. Ps. XXX. 4. LXXVI. 13. 2 Sam. XXII. 6.)

2) *ᾅδης*, vel ἀΐδης inuisibilis locus, tenebricosus, vel ἅδης ab ἅδω, ἥδω, delector, κατ' ἀντίφρασιν, quod minime delectet; hæc vox cum illa Hebræorum שְׁאוֹל communes sustinet significationes, sumitur enim

a) pro statu animarum post mortem corporis, tam piarum quam impiarum,

b) pro sepulcro,

c) pro peculiari damnatorum conditione, (Hos. XIII. 14 Luc. XVI. 23)

3) Locum inferni posuere

a) in meditullio terræ, TERTULLIANUS sec. II. BASILIUS

omnibus, quae hunc ſtatum arctiſſimo nexu conſequuntur, malis, nimirum verae libertatis, quae in bonis maxime rebus exerceri poteſt, amiſſione, & ad male agendum, ad praua ſemper molimina venditione, & mancipii loco, a peccati inſita vi & ἐνεργείᾳ πλάνης, ad continua peccata exſtimulatione, quibus diſtrictus Diabolus & ſocii, vt Johannes (1 Ep. III. 8.) rem exprimit, ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει, nimirum ab initio, vt b. BENGELIUS annotat ad h. l. peccauit, & omnium peccatorum cauſſa eſt, & adhuc peccat: peccat, cumulatiore indies reatu, & ad peccandum inducit. Numquam ſatiatur. Quemadmodum *tenebrae*, ſi vſum verbi ſcripturarium ſpectes, ſtatum animi inordinatum, animae vires turbatas, e ſubordinatione deiectas, veritatis ſalutaris, quae tamquam diuina lux in mente radiat, & ignorantiam, & abnegationem, & peruertendae illius ſtudium, ad omnia vitiorum genera procliuitatem, ad omnem peccatorum atrocitatem proiectum animi ſtatum denotant, & σειραὶ ζόφου ſunt caliginis huius denſiſſimae effectus, libertatis verae ademtio & ad peccaminoſos actus neceſſitans quaedam determinatio, a Deo eiusque luce remotiſſima ſeceſſio, ita, vt qui his vinculis, his nexibus diſtrictus ſit, ad peccandum venditus, peccati mancipium omni merito mereatur dici, ita hic ſtatus in Diabolo & ſociis angelis ſummus eſt & peſſimus, continuis actibus corroboratus & peccandi conſuetudine, numquam intermiſſa, ita auctus, vt quaeuis cogitationes, molimina, actus ad rebellionem contra ſummum bonum, contra Deum & Saluatorem optimum tendant. Σειραὶ ζόφου ſi per ignorantiam inuincibilem modo explicentur, non exhauriri vim vocum poteſtatemque, aliquoties agnoſcit S. R. ERNESTI, Vir in hoc doctrinae genere prorſus eximius. Nos de tenebris maxime ſpiritualibus, cum malitia & peruerſiſſimo animi ſtatu coniunctis, intelligimus, ſimulque omnia, quae illas comitari ſolent, vitia, illa voce comprehendi ſtatuimus. Diſtinguuntur hac adpellatione ab angelis lucis, a quorum beatitate longiſſime diſtant, quibus reſiſtunt, quorum Regi, cui miniſtrant, cuius auctoritate militant, infenſiſſimos ſe praebent. Hinc ἐξουσία τοῦ σκότους audit Diabolus (Luc. XXII. 53. Col. I. 13.), id agens, in id incumbens, vt tenebris omnia inuoluat, pugna in iis eo difficiliore futura.

a) Quid

a) Quid ταρταρώσας sibi vult? Vox τάρταρος, in plur. τάρταρα, inter ἅπαξ λεγόμενα N. T. referenda est, significatio igitur illius aliunde petenda. In HOMERO, PLATONE, HESIODO saepius occurrit, & denotat locum infimum in rerum natura, caligine & frigore horridissimum. S. Ven. ERNESTI aliquoties quidem monet, indigitari per vocem τάρταρος nonnisi locum caliginosum, tenebricosum, horridum, quales carceres, in terram profundius effossi, esse solent, & 2 Petr II. 4. nonnisi contineri ideam carceris & poenae, malis angelis inflictae, vnde sui suorumque extricandorum, Diabolo nulla suppetat copia, nec scripturarie dici, angelos malos in infima terrae loca detrusos esse, in vocabulis τάρταρος, ᾅδης, ζόφος, σκότος nonnisi poenas intelligendas esse, easdemque continuas, nec vmquam intermissas, nec vllum locum, cf. *N. Bibl.* T. IV. p. 718. *Neueste Bibl.* T. II. p. 777. Pace vero Viri S. V. dixerim, omnes prope auctores per vocem τάρταρος infimum locum subterraneum describere, nec aliam notionem, quam vocis ἀβύσσυ, illi substituendam videri. Καταχθόνιοι illi, (Phil. II. 10.) omne genu ad nomen J. C. aliquando incurvaturi, iustamque illius dominationem agnituri & venerabundi confessuri, fortasse cum hominibus erunt mali angeli, qui iam in terris versanti acclamarunt: σὺ εἶ ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ. (Marc. III. 11.) Graphice quoque hunc ipsum locum describit Hiob. Cap. XXVI. 34.
הָרְפָאִים יְחוֹלָלוּ מִתַּחַת מַיִם וְשֹׁכְנֵיהֶם׃ עָרוֹם שְׁאוֹל נֶגְדּוֹ וְאֵין כְּסוּת לָאֲבַדּוֹן׃
Communiter quidem hi רְפָאִים & καταχθόνιοι mortuos denotare existimantur; hos vero iam ἐπιγείων nomine comprehensos aliquis existimet. Recentissimus Hiobi interpres, CUBE nobiscum facit, רְפָאִים vertens: *Höllische Geister*, cf. etiam SEB. SCHMIDIUM in Comment. ad Hiob, h. l. p. m. 1037 ss. Vera quoque vocis τάρταρος, ταρταρόω, in τάρταρον detrudo, significatio non melius addisci poterit, quam ex locis quibusdam, è profanis autoribus excitatis. Iuvabit igitur, aliqua in medium adducere: HESIODUS in Theogon. p. m. 130. ed. Basil. 1564.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ

Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου
Τάρταρά τ' ἠερόεντα, μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.

Primo omnium Chaos fuit; at deinde
Tellus lato pectore praedita, omnium fundamentum solidum (semper
Immortalium, qui tenent iuga niuosi Olympi
Tartaraque tenebricosa, in recessu terrae spatiosa.

Ampla porro descriptio tartari occurrit in HESIOD. Theogon. p. m. 174. vbi praelium illud gigantum cum effectibus describitur.

— Καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
Πέμψαν καὶ δεσμοῖσιν ἐν ἀργαλέοισιν ἔδησαν,
Νικήσαντες χερσὶν ὑπερθύμους περ ἐόντας,
Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.
Ἶσον γάρ θ' ὑπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα.
Ἐννέα γὰρ νύκτας καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
Οὐρανόθεν κατιὼν δεκάτῃ ἐς γαῖαν ἵκοιτο.
Ἐννέα δ' αὖ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων
Ἐκ γαίης κατιὼν, δεκάτῃ δ' ἐς τάρταρον ἵκοι,
Τὸν πέρι χάλκεος ἕρκος ἐλήλαται. ἀμφὶ δέ μιν νὺξ,
Τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρήν. αὐτὰρ ὕπερθεν
Γῆς ῥίζαι πεφύκασι, καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.
Ἔνθα θεοὶ τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι
Κεκρύφαται, βουλῇσι διὸς νεφεληγερέταο
Χώρῳ ἐν εὐρώεντι, πελώρης ἔσχατα γαίης.
Τοῖς, οὐκ ἐξιτόν ἐστι. πύλας δ' ἐπέθηκε ποσειδῶν
Χαλκείας. Τεῖχος δὲ περ οἴχεται ἀμφοτέρωθεν.
Ἔνθα γύγης, Κόττος τε, καὶ ὁ βριάρεως μεγάθυμος,
Ναίουσιν, φύλακες πιστοὶ διὸς αἰγιόχοιο.
Ἔνθάδε γῆς δνοφερῆς, κατὰ ταρτάρου ἠερόεντος,

Πόντου

Πόντε τ' ἀτρυγέτοιο, καὶ ὐρανῦ ἀστερόεντος,
Ἑξείης πάντων πηγαὶ καὶ πείρατ' ἔασσιν
Ἀργιλέ', εὐρώεντα, τάτε συγέεσι θεοίπερ,
Χάσμα μέγ' ὐδέ κε πάντα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν
Οὖδας ἵκοιτ', εἰ πρῶτα πυλέων ἔντοσθε γένοιτο.
Ἀλλά κεν ἔνθα, καὶ ἔνθα φέρει προθύελλα θύελλα
Ἀργαλέη. δεινόν τε καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τῦτο τέρας. καὶ νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ
Ἕστηκεν, νεφέλης κεκαλυμμένα κυανέῃσι.

Atque hos ſub terram longe patentem
Miſerunt, & vinculis moleſtis alligarunt,
Vincentes manibus magnanimos licet ex ſiſtentes:
Tantum infra ſub terram, quantum caelum diſtat a terra:
Par enim ſpatium à terra in Tartarum caliginoſum;
Novem enim noctes ac dies ferreus Acmon
Caelitus delapſus, decimo die ad terram venit:
Nouem rurſus noctes & dies aereus Acmon
Ex terra deſcendens, decimo die ad Tartarum venit.
Quem circa ferreum ſeptum ductum eſt, circum vero ipſum nox
Triplici ordine fuſum eſt circa collum, ſed ſuperne,
Terrae radices creuerunt, & infructuoſi maris.
Vbi Dii Titanes ſub caligine opaca
Abſconditi ſunt, conſiliis Jouis nubicogi,
Regione ſqualida, vaſtae vltima terrae.
His non exitus patet: portas vero impoſuit Neptunus
Ferreas. Murus etiam circumdatus vtrinque.
Illic Gyges, Cottusque & Briareus magnanimus
Habitant, cuſtodes fidi Jouis aegida habentis.
Ibidem terrae tenebricoſae, & tartari opaci,
Pontique infructuoſi & caeli ſtelligeri,
Ex ordine omnium fontes & fines ſunt,
Moleſti, ſqualidi, quos oderunt Dii,
Hiatus ingens, nec vero integro anno

Solum

ipsa arte Eua cribro Satanae inuoluta fuisse videtur. Respondit quidem animose, & verbo Dei innixa, fide quadam heroica, infallibili scuto & propugnaculo, haec βέλη τῦ πονηρῦ πεπυρωμένα excepit. Ipse vero Satanas semel in colloquium admissus, audacior & animosior factus, se ψεύςην & πατέρα τῦ ψεύδȣς (Joh. VIII. 44.) falsorum Prophetarum coryphaeum facit, directe comminationi diuinae contradicit, לֹא מוֹת תְּמֻתוּן, inuidiae Deum insimulat, maioris ipsorum perfectionis inuidum sistit, ex fructu arboris vetitae redundutura bona multa & illustria promittit, maioris cum ipso supremo numine conformitatis spe allicit, insitam quandam naturaliter gloriae cupiditatem excitat, maioris sapientiae & cognitionis, inde experientia duce adipiscendae, exspectatione imponit, immo fortasse etiam suo exemplo innocuum arboris vetitae vsum fructumque docet. Haec aliaque plura artificia, quibus callidissimus Spiritus vsus est, sunt σοφίᾳ illa δαιμονιώδει digna, (Jac. III. 15.) si nil de amphiboliis iis, quas interpretes illi anglicani ingeniose detexerunt, & a Reuerendiss. D. D. FABRO in compendio exhibentur, *Einl. I. Th.* p. 631. in medium adferendum sit. Egregias obseruationes, quibus lapsum protoplastorum illustrauit Ven. ROOSIUS, vid. in *Einl. in die biblische Geschichte* Tub. 1747. p. 136-233. (*)

(*) Cum actor anonymus, *Versuch einer biblischen Dæmonologie*, Diabolum in clarissimis Christi testimoniis, vt supra annotavimus, non viderit, mirum non est, illum nec in lapsu protoplastorum, vti in omni V. T. ab ipso visum esse. *Die Schlange*, inquit p. 17. *wird als eine Verführerin zur Sünde, und als die Veranlassung des Falles der ersten Menschen vorgestellet. Moses meldet gar nicht, ob die Schlange der Teufel selbst, oder das Werkzeug eines bösen Geistes gewesen sei. — p. 27. Der Fall der ersten Menschen ist völlig begreiflich und die Erzälung desselben bleibt für alle Menschen sehr lehrreich, sie stimmet mit allen Umständen genau zusammen, die Wahrheit der Geschichte wird nicht verdächtig, alle Worte Mosis können leichter und eigentlicher verstanden werden, wenn man annimmt, daß die Worte, die der Schlange von Mose in den Mund gelegt werden, keine wirkliche eigentliche Worte der Schlange waren, sondern nur Vorstellungen der Eva, die die Schlange durch ihre Gestalt, Gegenwart, Stellung und Bewegung veranlassete. Freilich fällt alsdann der Teufel weg, der hat auch bei dem Sündenfalle der Menschen wirklich nichts zu thun gehabt. Es ist bloss's Vorurtheil, daß der Sündenfall ohne Teufel, nicht möglich und begreiflich sei.* Diaboli praesentiam, operationes, artes in lapsu adami non excludi posse, quod quidem Anonymo & b. VOGELIO

GELIO in nott. ad GROTII Annott. in V. T. p. 8. ss. videtur, probat vel vnum nomen serpentis, & quidem antiqui, quod hinc contraxit, (Apoc. XII. 9. XX. 2.) & respectus, quam satis euidenter & perspicue ad Diabolum, serpentem habet Paullus, (2 Cor. XI. 3.) qui locus si recte inspiciatur, omnemque fictionem poëticam, qualem hoc loco statuunt, excludit, nec facile Euae, soli, sine externo duce & face, sine sublimiori spiritu, in sua natiua simplicitate & rectitudine cordis talia in mentem venissent, quae diffidentiam, auersionem a Deo, cupiditatem superbam internam, appetitum subtrahendi se dependentiae a Deo, amorem sui inordinatum arguerent. Diaboli artes & machinationes, tamquam *homicidae* ab initio, *mendaciorumque patris* (Joh. VIII. 44.) nescit, qui in hoc tristi lapsu vaferrimum ipsius ministerium non agnoscit. Satis quoque probabile est, in ipso hoc cardinali dicto Christum, Diabolum homicidam ab initio & mendaciorum patrem nuncupantem, ad primaeuum hoc stratagematum ipsius artiumque specimen, satis manifestum, respexisse. Denique si serpens solo adspectu, esu arboris vetitae, figura & hilari quadam forma, quam prae se ferebat, Euam illexit, illiusque cupiditatem incendit, nil tale meditans animal, ratione haud praeditum, cur ipsius astutiae calliditatisque tam expressa sit mentio? (Gen. III. 1. 2 Cor. XI. 3.) qui ea maledictio, quae ipsi a Deo annunciatur, ℣. 14. 15. in serpentem mere naturalem quadrat? Haec nemo existimabit, nisi qui Mosen in breui & concisa dictione, inter summi ponderis momenta & narrationem, rem omnium leuissimam, e. g. serpentum incessus super ventrem originem, naturalem hominum, quo erga serpentes feruntur, horrorem & odium, exposuisse putauerit. Mirum hinc, b. VOGELIUM l. c. ad ℣. 15. sententiam ita enunciasse: „ Quod serioribus temporibus serpens de Dia„ bolo sit explicatus, id nos quidem non cogit, eum hic vere agnosce„ re, & huic loco quasi inferre. „ Cui vero Christi (Joh. VIII. 44.) Paullique auctoritas, (2 Cor. XI. 3. coll ℣. 14.) & Apocalypseos testimonia (C. XII. 9. XX. 2.) curae sunt cordique, non potest non Diabolum in seductione protoplastorum agnoscere. Quid quaeso mulieri, illiusque posteris inde redundaturum fuisset vtilitatis, aut damni, si serpentis naturalis caput contritum esset, & hic vel ille morsu in talo a serpente laesus?



Cap. III.

De variis periodis iudicii diuini, in Diabolum statuti.

§. 1.

His iam artificiis id effecit Diabolus, antiquus Serpens, vt denuo in mundum admissus, homines suae naturae peccatricis participes, occuparet, suae potestati adiiceret, & quouis modo suam inter illos vim & imperium firmare adgrederetur, vt in Caino, qui erat ἐκ τῦ πονηρῦ, (1 Joh. III. 12.) homicidae primi genuina prole videri potest. ᾧ γάρ τις ἥττηται, τέτῳ καὶ δεδέλωται. (2 Pet. II. 19.) Admirabilem vero agendi rationem, qua iustissimus iudex aduersus hunc refractarium & contumacem hostem vtitur, qui recte contemplatus fuerit, aliisque proposuerit, scenam meditationum aperit iucundissimam, nec vbique obuiam. Nos vero ii non sumus, qui vniuersum ambitum occultarum Dei viarum ab hominibus capi & perspici posse autumemus. Multa enim in hoc quoque genere pertinent ad βάθη τῦ Θεῦ, inprimis, quae ad insignem illam longanimitatem spectant, qua hunc aduersarium, vt omnes suas artes, vires, studia experiatur, profundat & quasi exhauriat, tolerat, & vt legitime tandem omni potestate in mundum illiusque incolas excidat, sapientissime prouidet. Nos enim τὰ ἐπίγεια vix admittimus, ad credenda τὰ ἐπουράνια multo tardiores. Et mysteria mundi inuisibilis quis paucis verbis edisseri potuisse credat, cum, vt b. CRUSIUS annotat in *Comment. de vera notione pietatis Christianae*, p. XXI ne terrenorum quidem imperiorum & vnius splendidae aulae apparatus, molimina & ratio status, sine magnae molis voluminibus, ordine describi possint? Illud vero facile intelligitur, in hac quoque re conspici legem illam communem, ad quam omnia opera Dei factaque attemperata sunt, vt per gradus ab imis ad summa deueniat, & omnia intermedia iusto ordine, & ea, qua par est, sapientia emetiatur. Grauissimas subinde concussiones passam est regnum diabolicum, quae futuram illius destructionem, omnibus numeris absolutam, tamquam praenunciae facti omnium nobilissimi, certo & plena fide significant, si sapientiae diuinae lubitum fuerit,

pugnam

pugnam hanc per tot saecula continuatam, victoria nomini suo maiestatico gloriosissima, in conspectu omnium ciuium regni sollemniter terminare. Notabiles igitur aliquas periodos, quibus potestas Diaboli admodum infracta & limitata, nobis sistitur, annotare non abs re futurum esse puto.

§. 2.

Vix contagio peccati, a cacodaemone in protoplastos propagata, animos eorum infecit, vix nouos hos colonos in ditionem suam, tamquam naturae suae, peccato deprauatae, participes & a se victos, veluti mancipia, redactos putabat, cum plenam in ipsos potestatem exercere, & ciuibus suis associare vellet, sed grauissima promissione & regno diabolico funestissima comminatione a Deo interpellaretur Satanas: Gen. III. 15. וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃ Innumerabiles sunt, qui hoc dictum illustrarunt, Inprimis vero GLASSIUS in χριςολογίᾳ Mosaica in eo explanando multus est & copiosus, diss. II — IV. b. CANZIUS in triga diss. de semine benedicto Tub. 1747. Reuerendiss. D. FABER Einl. II. Th. p. 92 - 234. Nobis igitur breuioribus esse licebit. In luce N. T. considerata haec verba plana sunt & perspicua, in Veteri fortassis paullo obscuriora & tantum non aenigmatica. Qui totius euangelii summam in verbis his contentam, inuenerit, sine dubio optimum huius dicti interpretem se praestiterit. In verbis non multum morabimur: *Semen mulieris*, inusitata alias loquendi ratio, singulare quid denotat, hominem extra ordinem naturae natum, Christum, qui ex virgine natus est, (Jes. VII. 14.) nec tamen fideles, qui cum ipso, tamquam capite, vnum corpus, vnam ecclesiam constituunt, prorsus excludendi sunt; in his enim victoria, de serpente reportata, continuatur, exsecutioni datur & plane consummabitur. Euentus certe vaticinii veram illi lucem adfundit. Monadice igitur & collectiue h. l. semen accipi potest, nam vtraque significatione saepius occurrit, nec vna alteri repugnat. Quid *semen serpentis* sit, non difficile est visu; phrasi enim scripturae, filius, semen, aliquis est eius, ad cuius imitationem animus, moresque componuntur; semen serpentis sunt igitur illi, qui serpentis indolem ha-

1) Per protevangelium.

 bent,

bent, qui naturam, a seductore principe peccati vi & efficacia infectam viriatamque retinent, nam ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐςίν, (1 Joh. III. 8.) Angeli mali, homines improbi, cum Satana in deliberatam praue agendi consuetudinem procliues, qui alias γεννήματα ἐχιδνῶν (Matth. III. 7.) audiunt. אֵיבָה inimicitia non naturalis quidem ille horror, quem homines ad aspectum serpentis concipiunt, vti CLERICUS, & quos in not. ad §. 11. C. II. vidimus, hic sensum λεπτύνουσι, sed cum protoplasti Diabolo, decerpto de arbore vetita fructu, obtemperarent & actum conspirationis cum cacodaemone & inclinationem pro se & posteris conciperent, haec conspirandi propensio per nouiter introductam inimicitiam delenda erat. Verbum שׁוּף significatum habet conterendi, contundendi, qui etiam in loco Hiobi C. IX. 17. בִּשְׂעָרָה יְשׁוּפֵנִי in turbine me conteret Deus, sensum fundit optimum. Ill. MICHAELIS ex arabica verbi significatione vertit: *nachstellen*, ex Hiob. C. IX. 17. *Er, der aus dem Sturmwetter auf mich zielet*: Versio illius huc redit: *Ich will Feindschaft zwischen dir und der Frau, zwischen deinem und ihrem Samen festsezen; dieser wird deinem Kopfe, und du wirst seinen Fersen nachstellen.* In annotatis p. 22. mentem suam ita explicat: *Der Sinn der ganzen Anrede an die Schlange ist: Der Verführer solte dem äusersten Abscheu und Verachtung ausgesezt seyn, und der Schlange vollkommen gleich werden, deren Gestalt er angenommen hatte. Sie ist gleichsam das natürliche Sinnbild der Niedrigkeit, weil sie auf der Erde kriecht, und dabei Menschen und Thieren verhaßt und abscheulich. So soll auch der Verführer seyn: Er soll dabei seines Entzweks gegen die Menschen verfehlt und ihnen keine tödliche Wunde beigebracht haben, sondern nur eine eben so heilbare, als die sind, wenn die Schlangen unsere Ferse verlezen: wie hingegen die Menschen nach dem Kopf der Schlangen zielen und ihnen da tödliche Wunden beybringen, so soll einmal iemand aus den Nachkommen der verführten Eva, (denn alle ihre Nachkommen thun es doch wohl nicht) die angethane Beleidigung rächen, und dem Verführer wirklich das volle Uebel anthun, das er uns zugedacht hatte.* Nos in expositione huius proteuangelii iusto ordine vt procedamus, ita versabimur, vt 1) consideremus mala, a summo iudice serpenti inten-

tentata, 2) auctorem horum malorum, homini vero bonorum, 3) modum, quo infliguntur Diabolo haec mala, & hominibus acquiruntur bona.

a) Primum malum, homini verum bonum, adeoque euangelium est *maledictio* serpentis: ארור אתה מכל - הבהמה ומכל חית השדה Minatur his verbis Deus Diabolo summam deiectionem, infra animalia, rationes expertia & ab eminenti suo statu profundissimam humiliationem, qua omnibus animalibus vilior, miserior, inferior futurus sit, qua is, qui dominium per peccatum in homines acquisiuisse sibi videbatur, infra brutorum sortem deiiciendus sit, & ei maledictioni obnoxius futurus, cuius participes homines infelicissime fecisset. Haec ipsa vero maledictio omni sua vi in Diabolo adimpletur, & in fine omnium diabolicarum suarum artium infauste exantlatarum multo magis adimplebitur, cum omnes eius conatus, consilia, artificia, machinationes in gloriam Dei Christique, & tentatorum salutem felicissime terminata videbuntur. Ne vllius quidem creaturae sors tum infelicior conspicietur.

b) Minatur illi Deus destructionem potestatis, qua dicitur in ventre ambulaturus: על - גחנך תלך i. e. humi repturus eris, e superis illis regionibus lucis & gloriae detrusus inferiora terrae inhabitabis: porro: ועפר תאכל כל - ימי חייך i. e. superaberis & plena de te victoria parta, triumphaberis, nam triumphati hostes, dicuntur pulverem lingere, e. g. Ps. LXX. 9.: ואויביו עפר ילחכו Insigne hoc vaticinium de Christo agit & victoriam ab hostibus reportandam praenunciat, depressio igitur illorum ad pedes Domini dominantium praedicitur. Mich. VII. 17.: ילחכו עפר כנחש de gentibus ad Christum conuersis & ferociam suam naturalem & acquisitam sub iugo eius facili ac iucundo deponentibus dicitur. Jes. XLIX. 23. de Regibus, futuris ecclesiae nutriciis & de feminis principibus, ecclesiae nutricibus praedicitur: אפים ארץ ישתחוו לך ועפר רגליך ילחכו nimirum vultu in terram demisso incuruabunt se habentes honorem tibi, pulueremque pedum tuorum lingent, ecclesiae, vere apostolicae, & lapidi angulari Christo, & fundamento prophetarum & apostolorum in-

inaedificatae honorem habebunt summum, maiestatem suam non in contumeliam, sed decus, amplitudinem, propagationem adhibituri. Serpens igitur, si vorare puluerem dicitur, quoad potestatem valde restringetur, in homines glebae tantum addictos eam exerciturus, in reliquos plane nil habiturus iuris. Ornat hanc expositionem WITSIUS Oecon. foed. p. 450. testimoniis FAGII & PAREI, lectu dignissimis; ad infimam igitur hominum partem restringetur, immo vt sequens phrasis innuit, plane illa potestate exuetur. Nam

c) ℣. 15. Serpenti praedicitur *contritio capitis*: In capite veneni virus, astutia, robur & vita sita sunt, quod si contritum fuerit, omnem amittit potestatem, omnem nocendi vim, *καταργήσει πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν* (1 Cor. XV. 24.) Successiua haec contritio capitis serpentis consummabitur in fine dierum & plenario diaboli interitu & exitio terminabitur: per varios gradus ita deprimitur, vt amissa omni vi & potestate, ad incitas redactus, nil possit moliri noui, nil tentare amplius. Initium huius contritionis fit in positione

d) illa *inimicitiae* inter serpentem & mulierem & utriusque semen. Quae verba primo innuunt, non totum mortalium genus in potestatem Diaboli cessurum esse, sed in duas potissimum abituram factiones, sibi infensissimas, & omni commercii genere a se abalienatas, quae diuisio mox inualuit inter בְּנֵי הָאֱלֹהִים & בְּנֵי הָאָדָם Gen. VI. 2. & inimicitiae hae omni tempore viguere & omne hominum genus in duas has partes distraxere, vt vel semen mulieris vel semen serpentis essent; quotiescunque homo per veram animi mutationem e regno diaboli egreditur, toties odium diaboli, fuga illis commercii, detestatio illius operum, conatus illius regni in se & aliis destruendi incipit, & gloriosissima illa victoria consummatur, quae foecundissimis in omnem aeternitatem fructibus superabundabit. Ingeniose heic annotat WITSIUS, l. c. „non solum ponit mulieri legem, „ne deinceps Satanae colloquium vel amicitiam admittat, nec quic- „quam cum iurato hoste commercii habeat, neque solum sanctione „hac hic ianuam resipiscentiae parentibus iterum aperit, sed & pro- „mittit,

„ mittit, se insuperabili virtutis suae efficacitate id praestiturum, „ facturumque, vt exsistat tale odium. „

2) *auctor* horum malorum, quae Diabolo intentata sunt & tot bonorum, quae inde in homines redundant, Deus est, qui cum serpente loquitur, & qui eam inimicitiam, quae inter mulierem & serpentem & vtriusque semen intercessura sit, positurum esse declarat. Vitiositati illi per serpentem introductae obuiam it supremum in caelis Numen, eamque omnibus mediis, sapientiae & omnium virtutum Dei complexui conuenientissimis infringit & salutem prope amissam in nominis sui gloriam & lapsi mortalium generis felicitatem restauraturum esse promittit; non habere itaque serpentem, vnde infelicitate hominum admodum laetetur, futurum enim esse, vt omnis haec caussa in maius ipsius opprobrium, & iudicii acerbioris & grauioris cumulum, euasura sit.

3) *Modum* tot malorum diabolo inferendorum & tot bonorum, cum hominibus communicandorum, non praetermittit textus: semen serpentis contriturum esse *calcaneum* seminis mulieris, & semen mulieris contriturum esse *caput* serpentis. Admirabilem hanc & ingenio hominum prorsus imperuestigabilem viam quis non obstupescat! Quid semen serpentis sit, diximus: semen mulieris monadice & collectiue sumi posse, monuimus, quemadmodum illud nomen in adpellatione seminis abrahamitici mox de omnibus illius posteris, (Gen. XIII. 8.) mox de illis, qui vestigia fidei patris credentium premunt, (Rom IV. 12. 13.) mox de semine Abrahami monadice, (Gal. III. 16.) κατ' ἐξοχὴν dicitur, ita semen mulieris, primario denotat Christum, caput ecclesiae (Eph. I. 22.) ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας (Hebr. II. 10.) τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν (C. XII. 2.) πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς (Rom. VIII. 29.) Nam hic vere caput serpentis contriuit, (1 Joh. III. 8.) accusationes continuas in cruce pudefaciendo, λύτρον soluendo, poenas satisfactorias sufferendo, legem & χειρόγραφον e medio tollendo, gratiam Dei & forensem & medicinalem conciliando, efficacia Spiritus S. in animabus omnem potestatem Diaboli frangendo, pro morte vitam & incorruptibilitatem recuperando, (2 Tim. I. 10.) καταργήσας τὸν τοῦ θανάτου κράτος ἔχοντα (Hebr. II. 14.) & se ἰσχυρότερον τοῦ

ἰσχυ-

ἰσχυρȣ͂ vbiuis ostendendo (Luc. XI. 22. 23.) Cuius victoriae societatem omnes vere fideles ineunt, & per omnes vitae dies ornant, victoriam plenam in se non adimplendam, sed persequendam rati. Nec vero semen mulieris sine vulnere ex hac pugna; totius humani generis salutem decernente, abibit, vulnere vero, non in laesionem tantum, verum in plenam omnis potestatis diabolicae destructionem retorquendo. וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב Denunciantur hic sine dubio passiones Christo, fidelium capiti, & ecclesiae, sub hoc capite militanti, per Diabolum illiusque instrumenta infligendae: nec enim Christus tacitas instigationes, quibus hostes ad tantam rabiem & irae vehementiam acti essent, dissimulauit, *αὕτη ὑμῶν ἐςὶν ἡ ὥρα καὶ ἡ ἐξȣσία τȣ͂ σκότȣς* (Joh. XXII. 53.) Mira omnino res, quod, cum in eo sit sospitator vere optimus & maximus, vt caput serpentis conterat, omnique eum potestate, adhuc summa vi per omnem terrarum orbem diffusa, exuat, serpens recollectis viribus venenato morsu calcaneum pedis sauciauerit, & ad aliquot momenta deiecerit, sed fine suo & consilio non potitus Satanas, leuiculam hanc laesionem, quae sub nomine calcanei sapientissime indigitatur, capitis contritione, ipsi funesta & lethali fuerit. Nec quicquam in capitis huius membra & omnem fidelium chorum aliud potest, si fides sit salua & mansio perpetua in vite Christo, (Joh. XV. 1-8.) quam vt vulneretur calcaneus, minima pars humani corporis, quae venenatum morsum sanguinis massae non facile impertitur, vt Ill. MICHAELIS annotat, vid. p. 84. nec enim ad caput aut cor, aut animam aut spiritum attingit, eisque vulnus facile, si quidem vigilent, precibus & sobrietati studeant, infligit. Nec per instrumenta, vtcunque conquisita, plus valet, quam vt aliquid in famam, bona externa, corpus & vitam fidelium possit, (Matth. V. 11. 12. X. 28.) quae vel centies in vita aeterna retribuentur, (Matth. XIX. 29.) Ad hanc igitur calcanei contritionem Domini passiones, quae semper primum locum tenent, & fidelium contumelias, a mundo illiusque principe illatas, recte referas. Hinc odium mundi, (Joh XV. 18.) hinc persecutiones, (2 Tim. III. 12.) quae directe Satanae adscribuntur, (Apoc. II. 10.) hinc tot rerum catastrophae, quibus ciuitatem Dei inter homines vexare, quibuscunque modis adfligere, immo exscindere volupe esset, quae ve-

rò

ro ipsae in maiorem & pleniorem satanicarum prauitatum mensuram, adeoque & grauius & funestius iudicium, in piorum vero salutem, & ampliorem gratiam, & gloriam desinent. Atque sic sub initiis mundi potestatem Diaboli, iure victoris per peccatum in homines partam, infregit & grauissima interpellatione ad ipsius semen restrinxit Deus: qua ipsa re regnum Diaboli contusionem passum est plane notabilem, & concussionem, ad fundamenta vsque, vt vacillarent & loco suo dimouerentur, pertingentem. Magnam igitur partem consilio suo in seductione protoplastorum frustratus tantum absuit, vt animo motus id abiecisset, vt potius variis fraudibus pedem in mundo firmare, & de plenaria mundi possessione, & in regni sui societatem maxima parte hominum trahenda validissime certare coepisset. (*)

§. 3.

Alteram, eamque funestissimam plagam, qua ima regni diabolici fundamenta conquassata sunt, perpessus est Satanas *tempore Chri-* 2) per victoriam Christi.

(*) Qui, exclusa cooperatione *Satanæ* in lapsu Adami, rem toti humano generi maxime tragicam, explicare tentant, non possunt non in hoc *πρωτευαγγελίῳ* hallucinari. CLERICI aliorumque minutas interpretationes supra vidimus. Mirum est, lucem huius proteuangelii oculos Anonymi, *Versuch einer biblischen Dæmonologie*, p. 31. ita perstrinxisse, vt Christum in semine muliebri agnosceret, atque ita inferret: *Des Weibes Same ist der Erlöser, der darzu von einem Weibe gebohren wurde, daß er der Sünde und ihren Folgen steuren, die Macht des Irrthums und der Sünden besiegen und ihre Herrschaft zerstören sollte.* Sed quid de semine serpentino sentiat, ex sequentibus constat. *Dem*, inquit, *würde sich die Sünde mit allen Kindern des Irrthums widersezen; ihn in seinem wohlthätigen Geschäfte zu hindern suchen, und ihm selbst schmerzliche Leiden verursachen.* Phrasi scripturæ, pro continuo ipsius vsu, semen denotat vel vnum aliquem præcipuum ex posteris alicuius, vel omnem posteritatem, vel eam indolem & ingenium, quo ad alicuius mores, virtutem, fidem, e. g. Abrahami assimilamur. Innocens ex hypothesi Anonymi serpens, in lapsu & præuaricatione Euæ, qui a Deo, iusto iudice, maledictioni subiici potuisset, ni aliud quid, sublimior spiritus, in deliberato isto praue agendi seducendique protoplastos consilio latuisset?

Christi, cuius euentus maxime ſalutaris, & toti terrarum orbi longe iucundiſſimi, euidentes aliquot exſtant prophetiae V. T. Abſit, vt Hiobi caput XLI. in quo magnifica deſcriptio Leuiathanis, ſiue Crocodili occurrit, huc trahamus; quod tamen a nonnullis factum eſſe video: nec illud cum plena fiducia aſſerere auſim, Ieſ. XLIX. 24. 25. fortem illum iuſtumque, a quo vindicaturum ſe eſſe praedam & captiuos, promittit Deus, Satanam eſſe, Chriſto gentes, inter quas, tamquam diabolicarum ſuarum artium theatrum, adhucdum per multa ſaecula graſſatus fuerit, inuitiſſime ceſſurum; cum inſignis haec prophetia de praedonibus, eccleſiam expilantibus & duobus argumentis, partim a valentioribus ſuis viribus, partim iuſto bello & iure victoriae deſumtis, contra eam inſurgentibus, optime explicari poſſit, immo nexus antecedentium & conſequentium hanc explicationem ſuadeat, vrgeatque. Neque huc transferri poteſt, quae Ieſ. LI. 9. occurrit, ad brachium Jehouae exclamatio, vt induat potentiam, antiquis priſcorum temporum ſaeculis in exſciſione Rahabi, i. e. Aegypti & trucidatione Draconis, i. e. Pharaonis demonſtratam. Ingentem vero cladem Diabolo praedici, Ieſ. XXIV. 21. 22. veri quam maxime ſimillimum videtur, & Apocalypſis, quae huius vaticinii complementum exhibet, (C. XIX. 21. XX. 1-3. 12.) fere indubium reddit:

ביום ההוא יפקוד יהוה על־צבא המרום במרום ועל־מלכי האדמה
על־האדמה ׃ ואספו אספה אסיר על־בור וסגרו על־מסגר ומרב ימים יפקדו ׃

Junii certe & Tremellii annotata mihi non ſatisfaciunt, qui in Bibl. P. IV. p. 40. reges & ſubditos, ſummos & infimos puniendos eſſe explicant: & foueam clauſtrumque ſpiritualiter ſumenda eſſe contendunt, de viribus debilitatis, potentiae regnoque Dei aduerſandi. Nec Snepfii paraphraſis ſenſum prophetae aſſequi videtur, qui in ſcholis in vaticinia Jeſaiae p. 371. ita παραφράζει: Sunt ſane iſta triſtiſſima, verum non perturbentur pii, nam inter illas reipublicae iudaicae ruinas, regnum Chriſti, iam priſcis temporibus promiſſum, ita florebit, vt Meſſias dominetur in caelo & in terra: Tum omnes homines, etiam reges, cogentur ſubditi eſſe Meſſiae: quos, ſi volet, carceri mancipabit, & quando volet, ſoluet: nam omne iudicium traditum eſt filio: itaque quos a peccatis abſoluet, liberi erunt; quorum e contra retinere delicta voluerit, conſtricti, & quaſi, incluſi per-

petuis

petuis carceribus peccati, denique aeternis illis erunt. Postremo tanta dignitas, sanctimonia Messiae erit, vt nec stellae nec hic clarissimus sol, si cum ipsius puritate conferantur, splendorem puritatemque suam tueri possint: ipse enim rex sanctissimus & innocentissimus, praeclare & magnifice omnia in conspectu omnium hominum, per suos legatos & seniores apostolos acturus est. Incipit, vt vindicias nostrae explicationis paucis absoluamus, propheta ab expugnatione Hierosolymorum & lamentabili terrae israëliticae deuastatione; v. 1-12. progreditur deinde ad vocationem gentium earumque ad Christum conuersionem, maxime in insulis maris, ad terminos mundi futuram v. 13-16. miserabilis tum temporis terrae sanctae facies describitur v. 17-20. & quid tandem vltimis temporibus futurum sit, praedicit propheta, Deum in exercitum sublimem in sublimi, & in reges terrae, (qui manifeste sibi contradistinguuntur,) animaduersurum esse, vinctosque coactum iri in barathrum, & claustro concludendos tradi, multo post tempore visitatum iri; parallelismus Apocalypseos C. XIX. XX. huic explicationi, quemadmodum diximus, egregie fauet; omnis alia coacta vim verborum & potestatem, proprietatemque non exhaurit. In magnifica illa descriptione, quae de Regis babylonici Jes. C. XIV. interitu datur, subinde occurrere videntur formulae loquendi & phrases, ab ingenti Cacodaemonis lapsu desumtae, v. 12-16. saluo ceteroquin meliori iudicio. Quis vero est Ps. VIII. 3. אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם? nisi hostis ille capitalis, qui pudore suffunditur robore illo, siue praedicatione potentiae & brachii extensi Dei, ex ore infantum & lactantium praeparato, cum superbiam illam & inflatos spiritus, quos sibi sumsit infernalis genius, non magis deprimere & omnium opprobrio exponere potuisset Deus, quam paruulos illi opponendo, tanto robore, tanta vi instructos, vt hosti, tantam arrogantiam, tantos sibi spiritus sumenti, semper superiores essent. Atque omnis oeconomia salutis eo spectat, vt pauperes spiritu, (Matth. V. 2.) fatigati & onerati (C. XI. 28.) & quos stultos putat sapientia mundi, quos impotentes spernit & tamquam ignobiles & plebeios despicit floccique pendet, (1 Cor. I. 26-29.) עֲנִיֵּי אָרֶץ Hiob C. XXIV. 4. νήπιοι, οἷς ἀπεκάλυψεν, praeteritis sapientibus & prudentibus (Matth. XI, 25.) qui proxime ad infantum simpli-

citatem rectitudinemque accedunt, (Matth. XVIII. 3.) ad mysteria regni Dei & victoriam, de arrogantissimo huius mundi principe reportandam, admittantur, illiusque fructibus vberrimis, inde pullulantibus, in omnem aeternitatem laeti fruantur. Equidem non ignoro, psalmum hunc a quibusdam interpretibus de praestantia hominis illiusque dominio in res creatas exponi, & per hostem intelligi omnes, Deum nec e naturae operibus, nec e reuelatione agnoscentes. e. g. Ill. MICHAELIS *Uebers. des A. T.* Vol. VI. p. 10. c. annot. Refragatur vero Paullus Θεόπνευστος, qui psalmum de Christo υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, illiusque in omnes res creatas imperio absoluto & plena potestate, omnia quae in caelis terraque sunt, complectente, explicat, (Hebr. II. 6 - 9.) quem quidem locum, vt plenam Christi in omnia, non ecclesiam saltem ac suos, potestatem contra S. R. TELLERI *Lehrbuch des christlichen Glaubens*, adstrueret, egregie vindicauit Clar. M. KOESTLIN diss. sub praes. Ill. Canc. REUSSII de Christi Domini in omnia imperio, A. 1767. p. 16 - 27. quae quidem disputatio sensum, quem nos versui 3. tribuimus, mirifice confirmat. cf. GEIERI Comment. in psalmos T. I. p. 125. Aliud testimonium de insigni illo vulnere, quod Christus regno diabolico in ascensione inflixit, psalmus LXVIII. continere videtur ℣. 19. עָלִיתָ לַמָּרוֹם שָׁבִיתָ שֶּׁבִי quae verba LXX. & ex his Paullus Eph. IV. 8. vertunt ᾐχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν. Psalmum hunc paullo difficiliorem varii varie interpretantur. *Chaldaeus* paraphr. *Rabbini*, inprimis ABEN ESRA, KIMCHIUS, GROTIUS, CALMETUS, VENEMA, Ill. MICHAELIS in *Uebers. des A. T. in den Anmerkk p. 136. ss. & in paraphrasi und Anmerk. über die Briefe Pauli p. 105. ss.* de oeconomia V. T. interpretantur, & quidem vel de eductione israëlitarum ex Ægypto, & de rogata lege Sinaitica; vel de insigni illa victoria, de Syris & Idumaeis reportata; vel de admirabili illa victoria, quam Ezechias de Assyriis reportauisset, vna nocte ab angelo Domini de illorum exercitu 185 millibus militum percussis; vel de insigni victoria de Jabin a Debora & Barac relata; vel de celebritate translationis Arcae in montem Sionis; vel de futuris fatis populi israëlitici praenuncium & propheticum faciunt, vt Herm. VENEMA, qui fata laeta & prospera ecclesiae V. T. primo & directo sensu repraesentari, adeoque ad populum

pulum Israëlis referendum esse contendit. Inprimis digna sunt, quae pro argumento huius psalmi dedit Ill. MICHAELIS verba, quae adponamus „*Gottes Heiligtümer, oder heilige Tempel, Wohnungen und Berge, Sinai, Zion, und sein wahrer Tempel im Himmel, werden besungen, dabei der Zug Gottes vor dem israelitischen Volk durch Arabien, sein Einzug in Palaestina, die Siege, die er daselbst den Israeliten über die Cananiter geschenkt hat, und am Ende noch einiges, das vielleicht aus Mangel der Geschichtskunde dunkel ist. Th. VI. Uebers. p.* 100. In *Messianis* psalmis primi ordinis, ad quos nimirum Christus & Apostoli tamquam de Messia agentes prouocauissent, collocat Cel. J. A. CRAMER in *poëtischen Uebersez. der Psalmen mit Abhandlungen über dieselben. Th. III. p.* 130. *f.* b. Joh. Gottlob PFEIFFER in Comment. exeg. theol. psalmi omnium difficillimi LXVIII. Lips. 1728. Seb. SCHMID, Camp. VITRINGA in Typo doctr. proph. p. 187. Martinus GEIER in Ps. p. 1344. f. b. D. BAUER in diss. in h. Ps. 1775. Qui admodum scite psalmum integrum pro Messiano agnoscit, ea lege, vt *priora* psalmi verba referat ad Messiam ἄναρχον, ducem populi sui ex Ægypto, *media* ad eundem in tabernaculo, & templo sui populi gloriosissime habitantem, & *posteriora* ad Messiam ἔναρχον, grande opus suum perficientem, ecclesiam suam gubernantem & protegentem, donec sit quae militans, euadat triumphans. Hac sententia stante, v. 18. 19. de gloriosissima Christi exaltatione & ascensione in caelos, iisque rebus, quae eam consecutae sunt, agunt, & Paulli auctoritas, illam de Christo (Eph. IV. 8. 9. 10.) explicantis, ita vindicatur, vt nec adcommodatione, nec allusione opus sit. Quae si admittantur, inter hostes, de quibus triumphum Messias in ascensione celebrauit, non possunt non referri Satanas, cum omnibus suis organis & ministeriis, & quilibet aduersarii, qui regi Messiae quam acerrime se opposuere. Futurus igitur Messias captiuorum turbam & multitudinem, quae per שְׁבִי intelligitur, omnes salutis nostrae hostes, quorum agmen ducit Satanas, triumphabundus, & secum ducturus, (Col. II. 15.) & sanctuarium tam incomparabili maiestatis verae & diuinae pompa introiturus praedicitur.

§. 4.

Continuatur. Haec iam vaticinia, aliaque fortassis plura, (e. g. Ies. LIII. 12.) si curatius inspiciantur, è luce Nov. Test. & euentu, exacte verbis respondente, multam foenerantur perspicuitatem. Iesus ex natalium opportunitate verus Messias sistitur, quod eo tempore aduenerit, vbi regnum Diaboli suum maximum videtur nactum fuisse, & quibus incrementis adhuc per omnem terrarum orbem creuisset, paribus iam decrementis decrescere oporteret. Videntur certe daemones, insolitos bonorum angelorum motus subsentientes, & interitum regno suo intendi, & hominibus promissam salutem exhiberi suspicantes, inuidia impleri, sibilare, furere, nervos extremae malitiae exserere, homines corporaliter obsidere, discruciare, rebus suis labantibus & diffluentibus quouis modo subuenire, & Christo resistere, iam metuere & tremere; ἦλθες, inquiunt (Matth. VIII. 29.) πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς. Adulto mundi tempore venit Iesus, & tamen citius, quam hostis vellet. Huic nimirum numquam opportunus fuisset Christi aduentus. Consilium enim diuinum de restabilitione humani generis prope habuit cognitum & ex proteuangelio, promissionibus, vaticiniis, typis, perspectum Satanas, per mortem vero crucis illam perfectum iri, sine dubio nesciebat, alias illam non per instrumenta sua ipse adstruxisset. Inter alias enim rationes maxime sublimes, & huic aeoni fortasse inexplicabiles, hoc modo Deo etiam in decernenda redemtione hominum obuersatam esse elusionem machinationum Diabolicarum, haud temere coniectare licet. Hac quidem ratione cognitionis Diabolicae de oeconomia salutis iustos definiri limites putem, vt sint nec iusto latiores, nec iusto strictiores. Hoc quoque medium tenuit S. R. D. WERNSDORFF in progr. natal. in verba Ignatii, qui in ep. ad Ephes. natiuitatem Christi nominat μυστήριον κραυγῆς ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ πραχθὲν, quod Diabolo incognitum esset & imperuium, antequam perfectum & reuelatum esset. Risit quidem hanc rationem Frid. SPANHEMIUS, ab aliis quoque patribus allatam, quod omnium Diabolicarum machinationum, hoc propositum impedientium aut euertentium, illudenda-

dendarum & abolendarum Deo satis fuisset copiae potestatisque. WERNSDORFFIUS rem ita decidit, vt illud in pseudo-Ignatio carpat, quod Diabolum in rebus, Christum illiusque redemtionem spectantibus, nimis faciat ignorantem, in VSSERIO vero illud, quod Diabolo iusto plus tribuat de Christo illiusque opere cognitionis. Hoc ipsum argumentum de mensura cognitionis Satanae de opere redemtionis pluribus persecutus est Dign. Diac. M. GRIESINGER in comment. de commodis angelorum ex opere redemtionis p. 26-36.

Ceterum necessitatem humanae naturae praeter illas rationes, quae eo desumuntur, vt peccata humana ab homine expientur & promeritae poenae ab homine luantur, recte euincunt etiam haec, quod conueniens fuerit, insolentiam Satanae in eadem carne, quam vicit, vincendi, hoc modo deprimere, humanitatem in inuidiam Satanae in familiam diuinitatis extollere, & ausus principis saeculi, humanam sibi naturam subiugare conati, eludere. Neque enim, inquit IRENAEUS L. IV. c. 78. ad Gal. IV. iuste victus fuisset inimicus, „ nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim „ homini dominatus est, ab initio semet ipsum contrarium statuens ho„ mini: propter hoc & Dominus semet ipsum filium hominis confite„ tur, principalem hominem illum, ex quo ea, quae secundum „ mulierem est, plasmatio facta, in semet ipso recapitulans, vt „ quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus „ nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam „ Ad superbiam Satanae deprimendam, ipsiusque ausus eludendos, nil aptius, nil commodius fieri potuisset, quam vt natura humana, in quam dominium vsurpasset, suaeque tirannidi subiecisset, supra vniuersos angelorum ordines in primogenito ex fratribus, in Θεανθρώπῳ exaltaretur.

§. 5.

Iam si vitam Christi inde ab illius natiuitate vsque ad sessionem in throno patris maiestaticam percurrerimus, multa tentationum, huic secundo Adamo a Satana, illiusque satellitibus, quorum insigni- a) in tentatione.

tum

tum copia instructus erat, intentatarum specimina, indice sacra scriptura, videas, quae singula in pudorem hostis, in gloriam saluatoris, in restrictionem & limitationem potestatis Satanae, & amplitudinem regni coelorum desiere, vt de grauissimis tum acceptis vulneribus numquam conualiturus sit. Primariae illi & omnium, vt videtur, grauissimae tentationi, quae post 40. dierum ieiunium Christo inferebatur, haec annectit Lucas C. IV. 13. Καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος, ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ. Vnde vitam Christi tentationum diabolicarum plenam fuisse, recte concluseris, (Luc. XXII. 28.) per has nimirum intrauit in gloriam, sed hac insigni victoria, tum temporis a Christo impetrata, saucius per aliquod temporis spatium, a Christo discessisse & abstinuisse intelligitur. Tentatio haec, inquit b. BENGELIUS ad h. l. in Gnom. specimen est totius status exinanitionis Christi, omniumque tentationum non solum moralium, sed spiritualium maxime, epitome, quas machinatus est Diabolus ab initio „ De ipsa vero hac prima & praecipua tentatione pauca generatim monebimus:

1) Non in *visione*, sed vere & externe factam esse, haud obscura textus indicia probant: & quidem mutatio loci, ter facta, in deserto, in sancta vrbe & templi pinnaculo, in monte praealto, v. 1. 5. 8. hinc quam vere fuit in deserto, quod apud omnes in confesso est, tam vere fuit Jesus in pinnaculo & monte. Stilus quoque historicus ita formatus est ab euangelistis, vt ne vestigium quidem visionis adpareat, verba potius παραλαμβάνειν & στῆσαι proprie sumenda esse, quis non videat? Plures & nostra & superiori aetate fuerunt, qui hanc tentationem Christi in deserto, pinnaculo templi, & monte, in *visione*, κατὰ φαντασίαν, factam esse existimarent. Iam in ecclesia veteri hanc sententiam quibusdam probatam esse GROTIUS in annott. ad N. T. Matth. IV. 1. docet; fouerunt eam Joh. CALUINUS, Abrah. SCULTETUS, Thom. HOBBESIUS, Balth. BEKKER, Zach. WEBBER, Joh. CLERICUS in annott. ad Hammondum, qui tamen Godof. OLEARII communis sententiae repetitione & assertione lecta, retractauit, Christ. THOMASIUS in thes. de crimine magiae Halae 1701. Hug. FARMER, Anglus, quem

pecu-

peculiari diss. refutauit b. D. SCHOTT de tentatione Christi, vtrum vere & externe, an in visione facta, maxime aduersus Hug. FARMERUM, Anglum. Tub. 1768. Cel. BASEDOW, qui *in dem Vermächtniß für die Gewissen* ita: *Die Versuchung Jesu kann im Gesichte geschehen seyn, da Jesus, der in der Jugend, und also auch im Alter, an Weisheit zunehmen konnte, über die Sache der Teufel noch nicht Offenbarungen gehabt hatte.* Ex his fontibus sapuit Anonymus: *Versuch einer bibl. Daemonologie p. 80-86. Jesus wurde in einer übernatürlichen bewirkten Vorstellung, in einem Gesicht, in die Wüste versezet. Marcus sagt: Der Geist habe ihn in die Wüste hingeworfen* (sic vertit Marc. I. 12. Καὶ ἐυθέως τὸ πνεῦμα ἀυτὸν ἐκβάλλει ἐις τὴν ἔρημον.) *und das scheint schon näher zu bestimmen, daß er in einer besondern Begeisterung, und in einem Gesicht, in die Wüste versezet sei.* Quam misere vero caussam suam agit adaemonista! ad quas sophisticas cauillationes descendunt, quorum oculi ex gratia hypotheseos ad lucem scripturae caligant! *Christus sagt zu dem Verführer: hebe dich weg von mir, Satan, ỽ. 10. gerade so sprach er auch zu Petro,* (Matth. XVI. 23.) *so konnte auch hier Satan ein Mensch sein, wie Petrus Satan war.* Cum tandem ad pharisaeum quendam aut legis doctorem hanc tentationem, quod Christus alibi quoque tentatus, sed a nemine nisi his hominibus, dicatur, detorsisset, subiungit: *Wer unter dem Teufel durchaus einen bösen Geist verstehet, der muß annehmen, daß Christus gewußt und nicht gewußt habe, daß der Teufel der Teufel war, daß der Teufel den Sohn Gottes gekannt, und auch nicht gekannt, daß er einen menschlichen Körper gehabt, und auch nicht gehabt habe, und daß er bei aller ihm zugeschriebenen List, im höchsten Grad tumm, und bei aller Bosheit und Verderbniß, aus der H. Schrift leicht zu recht zu weisen sei. Warum mag er noch nicht behehret werden? —— Es ist in der That recht sehr zu bedauren, daß diese dunkele und schwere Stelle, mit zu den sonntäglichen Texten gewählet, und dadurch so sehr vielen Misdeutungen ausgesezt ist. Johannes hat der Versuchung Christi gar nicht gedacht, daraus folget wenigstens so viel, daß er sie für keinen wesentlichen Glaubens-Artikel muß gehalten haben.* De vera & communiori sententia inprimis bene meruerunt Joh. WINKLERUS, God. OLEARIUS

in Obs. sacris, Obs. XI-XIV. Zach. GRABIUS, Sal. DEYLINGIUS in obs. Sacr. P. II. Obs. XXVII. p. 354. Frid. SPANHEMIUS, sen. in dubiis euangelicis P. III. Dub. LV. & b. D. SCHOTT in diss. cit. nos ad diluendas obiectiones fontes tantum solutionum attingemus, & verae sententiae praesidia indigitabimus. Diaboli sagacitati & astutiae tantum abest, vt haec tentatio refragetur, tamquam Dei filio, Deoque ipsi illata, vt potius inuerti possit, & quidem hac ratione, qua experiri voluisse dicitur veritatem vocis in baptismo auditae, (Matth. III. 17.) mysterii vnionis hypostaticae & modi redemtionis non plene gnarus. Nec gloriae Christi illustrandae minus adcommodata dici potest, si ea, quae Paullus docet, (Phil. II. 6-9.) recte ad animum reuocaueris, & eorum, quae n. 4. attigimus, memineris. Nec opus est, in praesidium communis & verae sententiae cacodaemoni maximorum miraculorum confectionem, rerumque non naturae tantum vires excedentium, sed & plane absurdarum & fieri nesciarum tribui; illud enim παραλαμβάνειν & στῆσαι actum aliquem violentum plane in notione sua non innoluunt, & corpus parastaticum assumendi potestas bonis angelis competit, (Gen. XVIII.) quidni malis quoque? Ἰησοῦς ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος longe alium sensum fundit, quam illud (Apoc. I. 10.) ἐγενόμην ἐν πνεύματι, (C. XVII. 3. ἀπήνεγκέ με εἰς ἔρημον ἐν πνεύματι, coll. C. XXI. 10, Ezech. XI. 24. XXXVIII. 1.) & illud Lucae: C. IV. 1. ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον, ab illo Matthaei ὑπὸ illustratur, quare CASTELLIO bene vertit: Spiritus instinctu actus in solitudinem. Innumera allegari possunt loca, in quibus ἐν vsurpatur pro ὑπὸ, nec facile vllus, vbi ὑπὸ denotat ἐν. Commoda illa, quae contrariam sententiam comitentur, imaginaria sunt, & cum iis non comparanda, quae communis & vera prae se fert, nec tot illius difficultates, quot illam premunt. Abductus est a Spiritu in desertum, & quidem eo consilio, vt tentaretur: qui vero visionis natura cum tentationis explorationisque indole conciliari potest? Num vlla visio, ad tentandum facta, allegari potest in V. & N. T? & quam indignum est, quam absurdum, si Satanas illiusque ministerium ab hac tentatione excluditur, quod adaemonistae faciunt, illas ideas, cogitationes, imagines, in visione Christo obortas, tribuere Spiritui S. tamquam harum auctori? Vel ipsi Christi animae sanctissimae?

Vi-

Visionis alicuius nec volam, nec vestigium textus habet, immo historica trium euangelistarum narratio huius rei, communem sententiam omnium optime firmat munitque. Nec quisquam, nisi praepraeiudiciis seruiens, ad hunc textum accedens eundemque primo intuitu legens de visione aliqua cogitauerit. Multo minus *allegorice* explicanda est haec tentatio, vt a nonnullis factum est, quos vide in diss. C. M. PFAFFII de recta theol. parabol. & allegoricae conformatione p. 33. cui id vnum addimus; allegoristas in tentatione protoplastorum male excipimus, cf. RUSII comment. cit. de serpente seductore p. 7 s. 17 ss. quidni etiam in tentatione Christi?

2) Obseruamus, hanc ipsam tentationem multa habere primae illi, protoplastis intentatae, cui infelicissimo fato succubuere, conformia, id quod alii iam ante nos solide obseruarunt, e. g. J. A. MAJER prolixiorem vtriusque tentationis comparationem instituit, quam per XVI. momenta prosecutus est, vid. b. ANTONII *Harm. Erkl. der 4 Euang.* T. II. p. 4. 5. quam de primo Adamo nactus erat victoriam, in altero persecuturus erat Satanas.

3) Speciosa fuisse argumenta, quibus Christum sollicitaret, nemo diffitebitur, & eo speciosiora, quo magis tempus captaret tentator, virium in Baptismo Christi concessarum mensuram experiri vellet, sine dubio forma speciosiore vel religiosi cuiusdam incolae deserti Sinaitici, quod Ill. MICHAELIS coniectura est in Comp. Theol. dogm. p. 185. vel Legis doctoris, quod τὸ γέγραπται toties ingeminaret, vt b. BENGELIUS in Gnom. ad h. l. suspicatur, vel viri grauis & opulenti, vt J. R. RUS in harm. euangelistarum p. 372, vel alia forma, in singulis congressibus subinde mutata, in primo specie eremitae, in secundo angeli, in tertio regis, quod *Salmeroni* visum est, adpareret. Sine dubio magis aculeatae erant hae tentationes, quam nos quidem in nostra infirmitate capimus. Credibile enim est, hostem valde attente obseruasse, quid Jesus ageret, & ad omnes circumstantias tentationes suas accommodasse.

4) Tentatio ipsa qui in Christo locum habuerit, recte quaeritur, cum a peccato immunis, & illius admittendi ob naturae sanctitatem ne capax quidem esset? Non omnis tentatio vitiositatem & remotam peccandi aptitudinem supponit, nam ipsum Deum, optimum, maximum ab hominibus infidelibus tentari posse, plura loca ostendunt (Deut. VI. 16. Matth. IV. 7.) ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν (Jac. I. 13.) conf. WEISM. diss. Deus tentari & tentare nescius, p. 10 ss. Sapientiae diuinae conueniebat, talem nobis pontificem sistere & exhibere, qui nostris infirmitatibus adfici possit, in omnibus similiter periclitatus, citra peccatum. (Hebr. IV. 15.) & hac quoque diabolicarum fraudum experientia efformabat se optimus seruator in fidum pontificem, nostris infirmitatibus, in sua ipsius carne expertis, facile tangendum & adficiendum. Quomodo autem, inquit b. BENGELIUS ad l. c. sine peccato tentatus, compati potest tentatis cum peccato? In intellectu, multo acrius anima saluatoris percepit imagines tentantes, quam nos infirmi: in voluntate, tam celeriter incursum earum retudit, quam ignis aquae guttulam sibi obiectam. Expertus est igitur, qua virtute sit opus ad tentationes vincendas. Compati potest, nam & sine peccato & tamen vere est tentatus.,, Nec minus igitur secundo Adamo aptum erat & consentaneum, vt ea, quae prima tentatione male gessissent protoplasti, restitueret, nobisque, si a peccato discesseris, in omnibus assimilaretur. Tentatio ipsa ter & diuersis locis repetita exemplum suppeditat verae fidei, omnia impedimenta, obstacula, illecebras, & peccati sollicitationes superantis, & victricia arma ad omnes insultus transferentis. Sic immota sua fide & inuicta obedientia, inexpugnabili sua erga verbum Jehovae reverentia compensauit, quibus Adamus sua infidelitate, inobedientia, & πανουργίας diabolicae admissione, sua in verbis Dei indubitanter tenendis ambiguitate, infelicissime excidit. Christus eo consilio a patre missus, vt operibus diabolicis plane dissoluendis & omni terrae ab his euacuandae daret operam, in ipso muneris, a patre demandati exordio fundamenta solidissima iacturus, hoc certamen, maximi omnino momenti, cum suo totiusque saluandi generis humani hoste iniit, vt posthac minus impedite ea faceret, quorum faciendorum & abolendorum prouinciam, nobis omnino salutarem & exoptatissimam, ante iacta fundamenta mundi, in se suscepisset,

cepisset. Prodit igitur Christus publice, & vt ruina gentis humanae a peccato gulae & diaboli victoria exordium cepit, ita restabilitionem Christus inchoavit a fame & lucta cum diabolo, quo in fugam acto, victori adparuerunt angeli. Quaevis enim victoria, quodvis fidelitatis documentum noua gratia, noua donorum Spir. S. incremento coronatur. Nec adhuc a primis mundi incunabulis hominem, vel sanctissimum, inuenit Satanas, cui non praui quid suggerere, vim aliquam in ipsius animam exserere potuisset, si vel in sola quadam maligna cogitatione, nisu, adfectu, libidine, verbo & menti diuinae minime conformi constitisset; sic sanctam Dauidis animam praepotentiae suae & excellentiae turpi intuitu & fiducia inficere, & internam illius sanctimoniam obfuscare, corrumpere, adulterare sciuit (1 Paral. XXI. 5.) Sic in Hiobo, quamuis תָּם וְיָשָׁר וִירֵא אֱלֹהִים וְסָר מֵרָע id est integer, scelerisque purus, probus, religiosus & a maleficiis abhorrens esset, multa inuenit, multa habuit Satanas, quae carperet & pietatis fucatae insimularet: obstitit igitur his tentaminibus, hisce non sine aliquo successu per omnia saecula continuatis moliminibus, quamuis saepius per Dei gratiam, suos numquam deserentis, omni fructu frustratis, sanctissima Jesu anima, in quam nil posset, nil valeret, cui adeundae & penetrandae ne latus quidem, ne volam, ne vestigium videret, & a qua non pauca aut parua regno suo funestissima pericula sentiret, metueret, praeuideret. Agebatur ipsi de regni sui, adhuc latissime patentis & per omnem terrarum orbem diffusi, defensione, de fortunarum suarum infelicissimarum praesidio, quarum futuram iacturam & grauissimum lapsum praesentisceret. Nil itaque non expertus est, nil intentati reliquit, quod huic secundo Adamo funestum esset, & illius superandi & veneno suo inficiendi studio ita tenebatur, ut nil praetermitteret, quod ipsius desiderio satisfacere posse existimaret. Hinc fiduciam in patre, vt vacillaret, adortus, hinc fidei immotam vim vt frangeret, dubium de filiationis praerogatiua inficeret, & quocunque modo in cribrum acciperet, omnia tentauit & diuersis vicibus experiri voluit. Non itaque video, quid filio Dei ἐνσαρκωθέντι, salua diuina maiestate, indecorum fuerit, cum hoste, suo & fratrum aduersario, congredi, & destructionis regni diabolici initium hoc modo, videlicet iure victoriae, facere. Abhinc quatuor mille annorum spatio vnicam adesse

animam, vel vnum hominem, cui per omnia cedere deberet, aegerrime tulit inflatus & tumidus hostis, qua ipsa re fundamenta regni sui funditus concussum iri, immo suo tempore plane abolitum, summa animi aegritudine praesensit, atque ita exordium fieri vnionis illius & coniunctionis & ἀνακεφαλαιώσεως τῶν πάντων ἐν τῷ Χριστῷ τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς. (Eph. I. 10.) multa cum indignatione vidit. (Nec enim nos h. l. cum Cel. ERNESTI, pace Viri de interpretatione S. S. optime meriti, facimus, qui in progr. pasch. 1765. hanc ἀνακεφαλαίωσιν de coniunctione iudaeorum ethnicorumque in vnam ecclesiam interpretatur.) Postrema denique non quidem pondere, sed ordine ratio, cur filius τῆς ἀγάπης huic certamini exponeretur, haec fuit, vt fratribus & fidelibus, doctoris vestigia apte prementibus daret exemplum & specimen, hostis huius fortiter debellandi, fraudum illius aperiendarum & auertendarum & conatuum, qui varii sunt, & prope infiniti, recte depellendorum, omnique fructu euentuque defraudandorum. (Eph. VI. 12. 17.) Nulla adeo tentatio datur, contra quam fideles non possint hinc & arma sumere & rationem pugnandi discere.

§. 6.

In tentatione ipsa considerabimus tempus, loca, tentationem ter factam, arma, quibus vicit Christus, & ea, quae hanc victoriam consecuta sunt. In illis enim varias diaboli μεθοδείας conspicias licet, in his ordinem modumque, quibus eluduntur.

1) *Tempus* captauit Tentator, post 40 dierum ieiunium vim & necessitatem humanae naturae sensit Dominus & esuriuit. Quam indignum id esset Domino, ostendit, filium Dei esse & rerum omnium Dominum, fameque torqueri, vel lapidum in panem vertendorum copiam suppetere, nec illa vti, & ea re filiationis diuinae documentum edere. Fames quidem tentatio acerba & alias Satanae occasio optatissima, homines ad diffidentiam erga Deum, illiusque prouidentiam vniuersam, & specialem & specialissimam, ad varii proprii

prii ingenii molimina, ad occupationum inanium confusionem, ad varias tergiuersationes compellere, hominesque a Deo, omnium bonorum fonte, auertere. Quae quidem omnia in Christo locum non habebant, nec diuelli se vlla re ab immota sua fide in patrem patiebatur. Quantum enim ex illa, fidei plane aduersa, fiducia in se suisque viribus, & sibi ipsi auxiliandi vi lucretur Satanas, dici non potest.

2) Nec varia *loca* tentatori incongrua videbantur. a) *Desertum*, quod ab hominibus imperuium esse solet, hosti patet. Solet enim hominem, vbicunque sit, comitari, mox in strepitu mundi versari, mox solitudinem petere, vbicunque moliminum suorum perficiendorum ansa detur & occasio. Vel solitudo habet proprias suas tentationes, quae nisi circumspecte coram Deo versamur, periculosae sunt & saepe exitiabiles. Nam tentationes grauiores contingunt saepe in solitudine, h. e. cum minime ab omnibus praesidiis ipsoque gratiae sensu destituti sumus, aut destituti nobis esse videmur. Habet vero etiam sua commoda prorsus eximia & excellentissima, in hac enim communione cum Deo frui, in hac precibus vacare & supplicationibus, in hac se praeparare licet ad grauissima munera, vti Joh. Bapt. Luc. I. 80. in hac maxime intercedere maximae res possunt inter Deum & hominem, in hac optima gratiae instrumenta & vtilissima formari, perplura probant exempla.

b) *Sancta Urbs*; nec enim loca metuit, diuino cultui destinata, & vt b. BENGELIUS annotat, vbi praesidium angelicum inprimis sperandum videri poterat.

c) Tertium tentationis theatrum *mons*, erat, qui alias adparitionibus diuinis (Exod. XX. Matth. XVII.) patebat, nec tamen Simia Dei etiam hunc Dei morem imitari verebatur. Satan vbique tentat, (Num. XXIII. 13. 27.) Christus quoque vbique tentatus est, omnibus locis, vbi postea munere functurus erat. BENG. Gnom. ad v. 5.

3) In *prima* tentatione Christo dubitationem iniicit de filiatione eius diuina. Et dubitat Satanas, inquit b. BENG. & in dubitationem

ϑοδείας absoluit Satanas, per omnia genera victus, semper inferior, numquam superior; Sic omnia ignita tela Satanae in ipsum retorsa & in ipsius perniciem versa videas. Omnibus enim telis consumtis, victus hostis totus victus est.

4) Jam videamus *arma*, quorum ministerio tam lethale vulnus accepit Satanas? Non pro ea, qua pollebat, diuinae naturae maiestate & potestate, qua sapientissime abstinuit, κενώσας ἑαυτὸν Phil. II. 7. non eminenti suo dominio, non ea vi, qua vti potuisset, sed exemplum praeuertisset, cum Satana agit Christus, sed ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας (Rom. VIII. 3.) & fratribus per omnia similis factus, certamen hoc iniit & felicissime absoluit. Propositum erat Domino, inquit HIERONYMUS, humilitate diabolum vincere, non potentia. Cum adhuc Satanas de Jesu, vtrum filius Dei esset, videatur dubitasse, & personam plane venerabilem egerit antiquus serpens, tamquam merus homo cum homine certaret, & illi per omnia praeualeret, longe maiori pudore suffusus, plura habebat, quibus erubesceret. Contra tot insultus, quasi vnus è multis, ad verbum scriptum alligatis, solum suum γέγραπται, quod ter ingeminauit, tenet Christus, vbi insignis est b. BENGELII nota, quam non possum non addere. „ Non prouocat Jesus ad vocem de caelo locutam, „ non respondet ad argumenta tentatoris, aduersus conclusiones eius „ tenet scripturam sacram, eiusque τὸ ὅτι. Erga homines non „ saepe allegauit Jesus scripturam, sed dixit: Dico vobis. Aduersus „ Satanam vnice illud dicit: Scriptum est, i. e. quisquis ego sum, „ certe illud teneo, quod scriptum est. Omnes sententiae, quas „ proferebat, etiam per se erant indisputabiles, & tamen tenet illud: „ Scriptum est. Quo ipso etiam exprimit, nunc se adesse, eum, „ qui scripturae esset satisfacturus: ostenditque scripturae grauissimam „ auctoritatem, ipsi Satanae irrefragabilem. „ Inprimis vero acuta tela Satanae acutissime retorquet Scripturarum Dominus & auctor, ex Deut. VIII. 3. non solum pane viuere hominem, sed etiam ex eo omni, quod ex ore Jehouae proficiscatur. Conuenienter satis hoc dictum allegabat, in simili casu, in fame populi, ex Ægypto egressi, pronunciatum, (Deut. VIII. 3.) quo ignitum hoc telum Satanae sapientissime retudit, tot de rebus necessariis & ad hanc caducam vitam

susten-

sustentandam vtilibus nobis prouidendis, haberi promissiones diuinas, vt illarum fiducia fretus in hac sua fame illiusque exstinguendae sedandaeque modo, in voluntate Dei acquiescat, nil ipse moliatur, nil tentet. ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγησάμενος τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. (Phil. II. 6.) Recte GROTIUS in annotat. ad h. l. in omni mandato diuino, siue generali, siue speciali inest aut expressa, aut tacita promissio rerum necessariarum. Ceteroquin verbum Dei ea vi, ea dulcedine, ea nutriendi & satiandi vi esse perfusum, vt non internus tantum homo eam persentiscat, sed externo quoque αὐτάρκειαν adferat. Homo, in spiritu constitutus, (Apoc. I. 10.) contemplationi rerum sacrarum & diuinarum intentus, precum ardentissime ad Deum fundendarum studio vacans, inque sacris vigiliis & lucubrationibus detentus tanta suauitate, verbi diuini gustu perfunditur, vt ciborum & potûs omnis obliuiscatur. Quis enim γευσάμενος καλὸν Θεῦ ῥῆμα (Hebr. VI. 5.) & verae communionis cum Deo vsui & fructibus intentus, quoad animam & corpus non satietur? Altera responsio: Deum non tentes: eximiis omnino sententiis foecunda est. Intelligitur inprimis, tentare Dominum nil aliud esse, quam potentiae, sapientiae, bonitatis, veracitatis diuinae experimentum quaerere inordinate, non contentum esse documentis & promissionibus diuinis iam datis, vocationis suae limites migrare; negligere ordinaria media, ordinationem Dei praesumtione ac fiducia propriae sapientiae inuertere; iuuandi media, tempus, modum Deo praescribere, maiora viribus suis sine verbo & mandato diuino conari, periculo non necessario sese exponere, sub spe & exspectatione extraordinariae conseruationis, (Exod. XVII. 2. Num. XIV. 22. Ps. LXXVIII. 18. 19. CVI. 14. Act. XV. 10. 1 Cor. X. 9.) Vltimam Satanae tentationem non iam simplici responso, sed seuera potius obiurgatione excepit Christus. ὕπαγε σατανᾶ, zeli & generositatis plenissima haec fuit obiurgatio. Ob enormem postulati indignitatem commotiore animo auersabatur & reiiciebat Tentatorem, quem adhuc non sine molestia tolerauerat, & ab eo se circumduci permiserat. Quod angelus ne bonus quidem & insignis postulauit, immo accipere detrectauit (Apoc. XXII. 8.) hoc impudentissimus hostis sibi arrogauit, nimirum adorationem, quae quam iniuria sit in solius Dei adorandi cultum, ostendit Dominus, testimonio (Deut. VI. 13.) Tentasti, inquit b. BENGELIUS ad h. l. in Gnom. vt explorares,

quis ego ſim, & ego tibi dico, quis tu ſis. „ Tentatorem, quum is maxime fauere vellet, & regna mundi in poſſeſſionem offerret, Satanam adpellat. Quid igitur moliebatur hoſtis, vt anima Jeſu abalienaretur a Deo, & a fiducia & obſequio erga voluntatem ac regimen eius ſuper omnia? Quis idololatriae auctor ſit, ex hoc arrogantiſſimo poſtulato coniicere licet, quo a Jeſu ipſo adorationis cultum impudentiſſime petere non erubuit.

5) Victoriam hanc, quae *conſequebantur*, *bona*, ſi regnum Dei, *mala*, ſi regnum tenebrarum ſpectes, illuſtria fuere & notabiliſſima. Quam valde ima eius fundamenta concuſſa ſint, adparet inde, quod perdendi diaboli & euertendi illius regni initium mox fecerit Dominus, & glorioſior victoria Chriſti ſit, hoſtem vincentis tot ſaeculis graſſatum & confiſum. Ipſa enim Daemonia mox videntur ſenſiſſe & experientia didiciſſe, quis eſſet Jeſus, nam Sanctum Dei, Chriſtum, filium Dei adpellant. (Luc. IV. 35. 41.) quae vero, cum indignum fuiſſet, apoſtolorum munus obire, obmuteſcere iuſſit. Quanta quaeſo commotio, quae perturbatio, quam inſignis rerum cataſtrophe facta ſit in regno tenebrarum, oportet, quotidie relationibus certis in eo increbreſcentibus & frequentatis, non poſſe reſiſti ſpiritui, in J. C. operanti, nil ſuas vires, vtcunque conquiſitas, confortatas, coniunctas, & adhuc validiſſimas valere contra poteſtatem inuictam, quae in J. C. reſideat, è ſingulis triumphis, è ſingulis tentationibus ampliori menſura gratiae & donorum ſpiritus auctior, (Luc. IV. 14. 15. 18.) id quidem ominari diuinareque non eſt difficile. Cum LXX. diſcipuli, viam Domino praeparantes, ab annunciatione aduentus regni caelorum rediiſſent, & cum gaudio eiectionem daemoniorum nomine Jeſu factam teſtati eſſent, Chriſtus, *ἐθεώρυν*, inquit, *τὸν σατανᾶν ὡς ἀςραπὴν ἐκ τȣ̃ ȣ̉ρανȣ̃ πεσόντα*, (Luc. X. 18.) ſine dubio inclinatae ſuae rei & laboranti ſubventurum, & per minores hos, forti ſuperiores, quam maxime pudefactum, & *λύσιν* ſuorum operum, (1 Joh. III. 8) aegerrime ferentem. Expeditior hoc modo via Chriſto pandebatur, in exordio officii mediatorii, in perficiendo opere, ipſi a patre demandato. Victus hac ratione Satanas, captiuos retinere amplius non potuit, quo minus e tenebris erepti illuminarentur, & in poteſtatem legitimi

mi Domini redirent, non quidem ita, vt non adgredi eos, invadere, sollicitare posset, sed praesidio fidei tecti munitique singulis eius telis retundendis pares essent, eaque omnia in ipsorum commoda vergerent. (Rom. VIII. 28. Luc. XXII. 32.)

§. 7.

b) in morte Christi.

Fatale porro erat Diaboli potestati momentosissimum illud *νῦν* (Joh. XII. 31.) Precibus Christi ad patrem fusis, ℣. 28. *πάτερ, δόξασόν σου τὸ ὄνομα*, facta est vox de caelo, *καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω*. Hoc audito, vulgus hominum, qui aderant, exstitisse tonitru, autumabat. Alii angelum cum eo locutum aiebant. At Jesus verum huius vocis finem ita exposuit, non, inquiens, propter me vox haec exstitit, sed propter vos, *nunc* fit de hoc mundo iudicium, *nunc* huius mundi princeps *ἐκβληθήσεται ἔξω, κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν*. Quem sensum his verbis tribuat S. R. D. TELLER, supra Cap. I §. 10. diximus. Liceat nobis haec verba, in nexu cum antecedentibus, & consequentibus considerata, breui & perspicua *παραφράσει* illustrare, vt quid & qua ratione ingentem illam plagam, quam hoc tempore, in hoc *νῦν* passus sit Diabolus, inde eliciamus, adpareat: De legitima mundi possessione a pluribus retro saeculis, immo a primis rerum exordiis disputatum est in curia caelesti, cui iure competat, mihine, *λόγῳ* illi ab aeterno, sapientiae illi hypostaticae, cui ab initio voluptati fuit, esse cum hominum genere, an Diabolo, qui mundi potitus per peccatum & mortem, multum inde potestatis nactus est in homines, suo instinctu, sua vi eadem peccati labe infectos, quam primus concepit, & cum iisdem infelici fato communicauit. *Nunc*, hoc iam momento, cum hora passionis, glorificationi patris apta & conueniens, aduenerit, omnium suffragiis iudicium de iniqua possessione mundi & mera vsurpatione diaboli latum est, vt quicquid in illum iuris, quicquid potestatis haberet, ego, peccato, illiusque culpa, reatu & pœna in cruce abolendis & tollendis, adeoque & fundamento iuris diruendo, irritum redderem, ea, quae patris essent, vindicarem, mundum, per me creatum, legitimae meae potestati assererem, & quae a patre essent, ad eundem referrem omnia;

 qui

qui viciſſim in praemium laboris & aerumnarum pro toto genere humano exantlandarum, quicquid a morte & peccato aſſeruero, mihi tradet gubernandum & curae meae aſſeruandum. (Joh. X. 28. 29. Jeſ. LIII. 10 - 12.) Nunc igitur in periodis, a ſapientia diuina liberrime conſtitutis, ſucceſſiue eiicietur foras, nimirum è finibus regni mihi dati, poteſtas illius abolebitur, ius, quod praetendit, tamquam nefas & uſurpatio tolletur, & ego ad patris thronum exaltatus, omnes, vel gentes quoque a communione Iſraëlis abalienatas, quas iam Satanas retinere amplius nequit, tamquam captiuas ab ergaſtulis ſuis ſurſum traham, è vinculis ἀπιςίας & ſuperſtitionis ſoluam, ſolutas liberabo, liberatas ſanctificabo, ſanctificatas ornabo, ornatas glorificabo. Et de hoc iudicio, de hac cauſſa omnium grauiſſima, quam ſtatim excipiet exſecutio, conuincendus eſt mundus per ſpiritum (Joh. XVI. 8. 11.) vt etiam hac ratione ipſi omnis excuſationis copia praecidatur, ſi reditu ſub ſceptrum iuſtitiae meae vti nolint gentes, vel alieniſſimae & idololatria abſorptae, & aliquando eandem cum principe mundi partem habiturae. Habemus igitur hic argumentum illuſtre & eximium pro inſigni illa concuſſione, qua per mortem Chriſti expiatoriam ima regni infernalis fundamenta conquaſſata ſunt, ita vt omnia, quae per inſtrumenta contra Dominum machinatus eſſet, in propriam ipſius perniciem, ignominiam & victoriam, Seruatori optimo glorioſiſſimam ceſſerint.

§. 8.

Continuatur.

Quam actuoſum, πολυμήχανον, ſollertem ſe praeſtiterit antiquus ſerpens in morte Chriſti procuranda, dici non poteſt. Ex quo luculenter adparet, modum determinatum, quo vera peccati expiatio aliquando euentura ſit, Diabolum fugiſſe, & ſapientiae diuinae euidentiſſimum ſignum eſſe, quod non ſtatim ab initio publicatus ſit. Neque enim hoc decebat maieſtatem Dei, nec rei natura permittebat, quia hoc ipſum conſilium Dei pro obiecto admirationis propoſitum fuit ipſis etiam bonis angelis, & inprimis mali angeli ſuis ipſorum laqueis irretiendi erant, vt coram tribunali diuino legitime cauſſa caderent & exuerentur ea poteſtate, quam cum homines peccauiſſent, illis & ſtatio angelica, qua vtebantur, & homi-

num

num a Deo defectio dederat. Quicquid igitur per instrumenta sua in Dominum molitus est Satanas, in suam ipsius perniciem, in contritionem capitis versa sunt. Ἔρχεται, inquit Christus (Joh. XIV. 31.) ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. Agitauit igitur mundum, cum Christum crucifixit, principi suo obsecutus, & antesignanum se hostium Christi ostentasse Diabolum, & malitiosa ipsius instigatione & insidiis, cum omnes adhuc tentationes in turpem ipsi & regno eius perniciosum exitum desiissent, proditum esse Dominum a Juda Iscariote, sacrae litterae euidentissime docent. (Luc. XXII. 3. XIII. 27.) Quare etiam Christus, cum manibus sacerdotum & templi praefectorum seniorumque traditus esset, αὕτη, inquit, ἐστὶν ὑμῶν ἡ ὥρα καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους. (Luc. XXII. 53.) Quin in grauissimo illo, in monte olineti, agone tenebrarum vires in Christi sanctissimam animam irruisse, omnino probabile est, & mortis horrendam imaginem, cum dolore, ignominia, maledictione coniunctam, acerbitatemque eius & amaritudinem exasperasse, & sensum subfuisse irae diuinae, in peccata hominum sponte suscepta exardescentis, summus animi dolor significare videtur; hinc in psalmis queritur, (Ps. LV. 5.) cor mihi in pectore trepidat, leti me terrores incessunt, timor & pauor inuadit & horror tantus obruit, vt ita loquar, vtinam alas haberem, vt columba, quibus in tutum euolarem. (Ps. XVIII. 5.) Mortis lora me circumcingunt, improborum torrentes turbant, *orci* lora circumdant, mortis laquei praepediunt. Peccatis in se susceptis, in Christum iuris aliquid acquisiuisse putans Satanas sanctissimam eius animam adfligere, cruciare, terrere non erubuit. Mira omnino κένωσις, vt angelo confortante opus esset! Labor animae, nulli comparandus, (Jes. LIII. 12.) Tentatio omnium acerrima, qua voluntatem Christi flectere & ad resistendum voluntati patris, poculum propinantis, permouere voluit, quae vero precum ardentissimarum vi & efficacia, fidei inuictae robore, & immota πληροφορίᾳ felicissime superata est! Diabolici quid in his extremis & summis tentationibus subfuisse, incredibilis ille lethargus & quam maxime intempestiuus, quo discipuli semel iterumque moniti, consopiti sunt, & Christi fidelissima monita, exhortationes, ad vigilantiam, precum studium, manifeste declarant.

hor-

(Luc. XXII. 31. 32.) Conf. STACKHOUSE *Lehrbegriff T. VI. p. 126 - 137.* Sic re infecta & omni Christum a fide in patrem, ab obedientia erga illius voluntatem flectendi deturbandique spe sublata, per organa externe illum vrgens & è vita sublaturus acerrime institit; id quod etiam τῇ ὡρισμένῃ βȣλῇ καὶ προγνώσει τȣ̃ Θεȣ̃ (Act. II. 23.) factum est. Gratulabatur sibi iam Satanas & in nece Domini laetabatur, tamquam summam votorum suorum adeptus, & perpetuam regni sui incolumitatem & felicitatem nactus, & damnum a Jesu Nazareno illatum breui & facili opera resarturus, sed longe aliter res omnis cecidit, immo in plenam regni diabolici destructionem suo tempore terminabitur. Id quod paradoxon est, sapientiae diuinae, quae mundo illiusque principi stultitia est, (1 Cor. I. 21. 25.) plane honorificum: per mortem aboleuisse Dominum mortem illiusque robur habentem, Diabolum. Nam Jesus mortem passus, vicit, & Diabolus mortem vibrans, succubuit. Belle id & scripturarie JUSTINUS *Martyr* docuit, qui in Apol. I. ita: χριςὸς διὰ παρθένȣ τῆς ἀπὸ τȣ̃ γένȣς τȣ̃ δαβὶδ γεννηθῆναι σαρκοποιηθεὶς ὑπέμεινεν, ἵνα διὰ τῆς οἰκονομίας ταύτης ὁ πονηρευσάμενος τὴν ἀρχὴν ὄφις καὶ οἱ ἐξομοιωθέντες αὐτῷ ἄγγελοι καταλυθῶσι καὶ ὁ θάνατος καταφρονηθῇ: Idem hic saepius incarnationis filii Dei finem ὑπὲρ τῶν πιςευόντων ἀνθρώπων καὶ ἐπὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων, constituit. In illustribus igitur illis, quibus aucti sumus, mortis Christi expiatoriae fructibus, (conf. Magnif. Canc. REUSSII diss. de liberali, simul vero etiam recta, dicta N. T. de mortis Christi vi & effectu interpretandi ratione Pars I. 1774. & II. 1775.) etiam recte refertur illud, quod inde è potestate Satanae liberati in regnum Christi translati simus. (Col. I. 13.) Mira omnino vincendi ratio! de qua belle canit PAULINUS:

Fit laqueus laqueatus homo, & sua praeda latronem
Decipit, & capti captiuus, corporis escam
Dum petit illicitam, lethalem deuorat hamum.

§. 9.

§. 9.

Primarium vero dictum, quod huc pertinet, epistola ad Hebr. II. 14. exhibet: ἐπεὶ τὰ παιδία — ἵνα διὰ τȣ̃ θανάτȣ καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τȣ̃ θανάτȣ, τȣτέςι τὸν διάβολον, καὶ ἀπαλλάξῃ τȣ́τȣς, ὅσοι φόβῳ θανάτȣ διὰ παντὸς τȣ̃ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δȣλείας. In huius dicti sensu inuestigando & declarando ad vnam alteramue quaestionem reducemus omnia. Continuatur.

a) Quî, quaeso, mortis robur, κράτος, adiudicari potest Diabolo? Recentiores, Cel. SEMLER, S. R. ERNESTI, Ill. MICHAELIS, W. A. TELLER, b. BRUCKER in bibl. anglicanis, de angelo mortis, a Judaeis ficto & formidato, interpretantur, cuius terriculamenta Christus morte sua aboleuerit. Digna est inp. Ill. MICHAELIS παράφρασις, quam plenius, vt mens & sententia certius constet, exhibeamus: *In der Erklärung des Briefs an die Hebr. p. 147. ss.* ita: *Weil nun diese ihm zugetheilte Kinder die schwache, dem Leiden und Tod unterworfene menschliche Natur haben, so hat er derselben gleichfalls theilhaftig werden müßen, damit er den Tod übernehmen, und dadurch das ganze Ansehen des gefürchteten* Engel des Todes, *nämlich des Teufels zu nichte, und das* Hirngespenst *seiner Macht verschwindend machen möchte. So lange wir an diesen Gebieter über Tod und Leben glaubten, mußten wir vor seiner Anklage und tödtlichen Meßer erzittern, und im ganzen Leben seine Knechte seyn. Allein nachdem Christus für uns gestorben, wissen wir, daß er keinen Anspruch an unser Leben hat, und daß der Tod nicht mehr eine durch diesen Büttel vollzogene Strafe unserer Sünden, sondern ein blos der Vorsehung Gottes unterworffener Schritt zur Ewigkeit ist.* Cupide, vt solet, in societatem illustrium horum nominum iuit Auctor anonymus: *Versuch einer biblischen Daemonologie p. 153 - 162. Die Juden,* inquit, *machten die allerfürchterlichsten Beschreibungen von diesem Engel des Todes. Sie gaben ihm einen vergifteten Dolch, oder ein Schwerdt, wovon er einen überaus bittern Tropfen, auf die Zunge des Sterbenden herabfallen ließ. Seine Gestalt war so schreklich, daß alle Hunde, die ihn sahen, anfiengen zu heulen. Ein ieder Sterbender sollte ihn in der lezten Stunde*

sehen. Seine fürchterliche Gestalt, sein Schwerdt, und der bittere Tropfen, der von demselben auf die Zunge des Sterbenden herabtropfete, verursachten diesem die allerentsezlichsten Schreken und Schmerzen. Daher rühreten die Verzukungen des Sterbenden, unter welchen, mit dem Schwerdte, die Seele vom Körper abgeschnitten wurde, worauf denn der Tod erfolgete. Iam tanto tremore formidatum ab Judaeis hunc angelum mortis aboleuisse Christum, & doctrina euangelii, ab his iudaicis commentis pura & libera, dicit, & placida sua morte, qua spiritum patri, erecto animo, sine vllo metus indicio, tranquille reddiderit in exemplum, ab omnibus, qui ab ipsius partibus starent, intrepida fide imitandum. De hac interpretatione quantum sibi gratuletur, cui solitos eius thrasonismos & falsam πληροφορίαν, saepius insolentissimam, legere volupe fuerit, videat p. 160. ss. Ad alia quoque dicta Christi apostolorumque de morte, plana, perspicua, dogmatica, haec notio iudaica de angelo mortis extenditur & adplicatur. e. g. (Joh. VIII. 51.) ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον ὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. *Er wird von den erdichteten Schrekbildern des Todes nichts erfahren.* l. c. p. 160. Cel. SEMLERUS in paraph. ad h. l. totum illud terrendi & metuendi satellitium ex animo suo eiiciet, non videbit tristem illam speciem mortis, ℣. 53. ὐ μὴ γεύσηται θανάτυ εἰς τὸν αἰῶνα. *Er wird von den bittern Tropfen, die vom Schwerdte des Todes-Engels fallen sollen, nichts empfinden.* (1 Cor. XV. 55.) πῦ συ θάνατε τὸ κέντρον; *Tod, wo ist dein Dolch; Paullus sieht damit auf den jüdischen Aberglauben; und wenn er hinzusezt, der Stachel oder das Schwerdt des Todes ist die Sünde, so verwirft er dadurch die ganze jüdische Fabel, und sagt: daß das, was den Tod eigentlich bitter und schreklich mache, die Sünde, aber nicht der erdichtete Dolch und das bittere Gift sei, das die jüdische Fabel vom Messer des Sammael herabtriefen ließ*: conf. SEMLERI paraph. ad h. l. „Judaei angelo mortis gladium tribuunt, è quo fellis mortifera „gutta delabatur in os hominis.„ Κατ᾽ οἰκονομίαν igitur haec scripsisse Paullum, & de angelo mortis, quem Judaei somniarunt, dixisse, existimant recentiores interpretes. Verum est, Judaeos de hoc angelo, quem מַלְאַךְ הַמָּוֶת aut אַסְטִיר a radice הַסְטִיר excidir, ex-

stir-

ſtirpauit, aut סמיאל *Samniel*, *den Gott des giftigen und tödtenden windes*. (de voce סמם vid. Cel. MICHAELIS *Fragen an eine Geſellſchaft Gelehrter Männer, die — nach Arabien reiſen* 1762 p. 44.) aut שׂר הממונה על המות principem, praefectum mortis, nuncupant, multa garriiſſe. Sed vt, quam lubrica ſint & ficulnea, quae a recentioribus κατ' οἰκονομίαν dicta finguntur, praetermittam, quid opus fuiſſet Chriſto, ad terribilis huius angeli laruam detrahendam, & iudaeos ab inanibus eiusmodi figmentis & odioſis terriculamentis abducendos, κοινωνία τȢ αἵματος καὶ σαρκὸς infantum, multo magis quid morte ipſa & ignominioſiſſima & acerbiſſima? Nonne id fieri poterat dictis factisque minus moleſtis & pretioſis? Eſtne vel minimum probabile, filium Dei vnigenitum tanto diſpendio prauam iudaeorum opinionem refelliſſe, & illius cauſſa tam tetrae & indigniſſimae morti crucis ſuccubuiſſe? Quae, qualis, quanta victima, falſae huic & indignae opinioni immolata! Nonne propheta, vel alius legatus Dei prauam hanc opinionem ex animis euellere potuiſſet & dictis & exemplo? (Luc. II. 29.) Haec ne vllam quidem ſpeciem habent, & mirandum eſt, recentiores exegetas ad tam miras hypotheſes delabi, quae ſanctos homines Φερομένȣς ὑπὸ τȢ πνέυματος ἁγίȣ vel hypocritas faciunt, vel abſurdarum opinionum propugnatores, vel praeiudiciorum in iudaiſmo olim imbibitorum tenaces & moroſos defenſores, & ad eum συγκαταβάσεως gradum deſcendentes, vt veritatem prodant, in gratiam lectorum, his vel illis praeiudiciis captorum, euangelium Jeſu Chriſti peruertant, & purae ſinceraeque veritatis curam, quam toties commendant, ne ipſi quidem ſeruent. Conf. C. I. §. 11. Equidem huic grauiſſimae ſententiae alium ſenſum tribui poſſe putem, & analogiae fidei & pluribus ſcripturae dictis omnino conſentaneum. Per peccatum diabolus iuris aliquid in homines, eius naturae indolisque participes nactus eſt, (1 Joh. III. 8. 2 Pet. II. 19.) & ſtipendium peccati eſt mors, (Rom. VI. 23.) quae homines in peccatis mortuos ei tradidit, tamquam lictor & miniſter, infernali eius regno addictos, cui enim quis viuus ſeruiit, ab illo quoque, remunerabitur. (Rom. XIV.) Imperium vero mortis vel robur, Diabolo competens, non eo vsque extendebatur, vt ius vitae necisque haberet in homines, quod omnino ſoli Deo competit, nec illud vmquam Dia-

 bolo

bolo asseruit quisquam Theologorum, sed secundum voluntatem Dei & communem legem naturae mortuos peccatores sibi iure quodam vindicare, & regno suo associare posset. Quis igitur in illo enormi imperio, quod mors super homines exercuit, (Rom. V. 12-21.) vere subesset, homines fugiebat. Quemadmodum igitur Christus, princeps vitae, habet vim vitae, & primogenitus ex mortuis, suos fideles sibi associat, ita Diabolus habebat robur mortis, quod ipsi Christus morte sua fregit. Mortis spiritualis, qua homo omnis vitae ex Deo expers est, auctor & promotor, aculeum mortis, qui in peccati culpa & imperio ponitur, (1 Cor. XV. 56.) vrget malignus iste & profundius vulneri infligit, & vim & terrorem mortis conscientiae κεκαυτηριασμένη exacerbat, vt longius a Deo remoueatur, & ab omni eo, quod animae salutare esse posset, abalienetur. Amphibolia quaedam in vocabulo *mortis* latet, varia significanti; nos pro statu post mortem, pro regione mortis, pro mortuorum *domicilio* sumimus. (coll. Apoc. XX. 13. 14. I. 18. Hiob. XXX. 23. XXXVIII. 17.) in hoc regnabat Satanas, in hoc κράτος, imperium habuit, a Christo, viuentium & mortuorum Domino, sublatum. Non est necesse, patrum quorundam de hoc loco sententias anxie conquirere, cum illorum suffragiis nec stet nec cadat vera scripturae explicatio. Vnicum addere liceat locum JUSTINI Martyris, qui dial. p. 332 s. ita: ἡνίκα ἡμεῖς πρὸς τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου γινόμεθα, αἰτοῦμεν τὸν Θεὸν, τὸν δυνάμενον ἀποστρέψαι πάντα ἀναιδῆ, πονηρὸν ἄγγελον, μὴ λαβέσθαι ἡμῶν τῆς ψυχῆς. Quid porro Diabolus in peccatores mortuos possit, LEO M. pont. rom. pro sui temporis ingenio, exacte refert, vid. diss. praes. J. S. SEMLERO, locos theologicos collectos ex Leone M. P. R. sistens, A. R. J. J. GRIESBACH p. 71 ss. §. 33. Multo minus sententiae nostrae praesidium quaerimus in potestate Diaboli in corpora mortuorum, quam multi & Theologi & Medici adstruxerunt: inter hos vnicum proferamus, D. ALBERTI, Medicum Halensem, qui in diss. de potestate Diaboli in corpus humanum ita: „Sicut diabolus potestatem habet in corpus hominis animatum: ita „perinde perditissimam suam vim in corpus exanimatum, aeque ac „in alias naturales & materiales substantias, permissu Dei deriuare, „suaque glaucomata & fraudulenta artificia prodere potest, qualia

„multis

„ multis ſpeciminibus, fide etiam dignis, KORMANNUS & GERMANNUS in ſuis tractatibus de miraculis mortuorum confirmant. „ Quare illi in pertinaci ſcepticiſmo haerere nobis videntur, qui talia phaenomena in cadaueribus humanis obuia, indiſcriminatim „ nudis naturalibus proceſſibus & contingentiis adſignant, & diaboli „ influxum atque concurſum negant, cum haec poteſtas diaboli in „ corpora in dubium vocari nequeat. „ conf. C. M. PFAFF. diſſ. de fratre fratrem non redimente ad. pſ. XLIX. 8. 10. vbi p. 17. mentionem facit & Judaeorum & Muhamedanorum, & Graecorum recentiorum, qui corpora impiorum vel excommunicatorum poenae loco cruciari & torqueri in ſepulchris exiſtimant. De vampyrismo peculiaris mihi ad manus eſt tractatus; *Curieuſe und ſehr wunderbare Relation von denen ſich neuer dingen in Servien erzeigenden Blut-Saugern oder Vampyrs aus authentiſchen Nachrichten mitgetheilet und mit hiſtoriſchen und philoſophiſchen Reflexionen begleitet von W. S. G. E.* quodcunque eligas, noſtra parum intereſt, modo ne rem certam faciat ignorantia noſtra dubiam. Anno 1732. Latet ſub hoc nomine b. G. C. RIEGER, noſtras, de eccleſia Wurtembergica praeclare meritus. Memorabile etiam illud eſt, (Matth. VIII. 28.) duorum *δαιμονιζομένων*, mentionem fieri, *ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχομένων*, vbi inuiſibiles hoſtes etiam in ſepulcris commorari videntur, (Marc. V. 3.) infenſi, credo, inquit BENGEL. in Gnom. ad h. l. maxime in impiorum ſepulcris. His noſtra plane non ſuperſtruimus, nec illa coniectura nitimur, qua dicitur, quemadmodum ab angelis ſancta Lazari anima in ſinum Abrahami, (Luc. XVI. 22.) deportata ſit, vti quondam Enochus, Elias & Philippus Euang. ab angelis par aërem portati ſunt, eodem iure etiam malorum animas ad orcum & regnum mortis tenebricoſum a diabolo maliſque angelis detrudi poſſe. Vis certe & poteſtas diaboli in peccatorum viuorum animas, ſalua verbi diuini reuerentia, negari nequit, quidni & mortuorum? Cur demum per mortem, viuificationem, reſurrectionemque Chriſtus & mortuorum & viuentium conſtitutus eſt dominus? *ἐις τοῦτο γὰρ Χριςὸς καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέςη καὶ ἔζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ* (Rom. XIV. 7. 8. Quaeritur vero iam

h) Quî Christus morte sua diabolum, mortis robur habentem aboleuit? Totius mundi peccata expiasse Dominum cruci adfixum, sacrae litterae saepissime & grauissime inculcant. (1 Joh. II. 1. 2. 1 Cor. V. 19. 1 Petr. II. 24. Jes. LIII. 4. 5.) In huius igitur iusti, & δικαιωθέντος ἐν πνέυματι, (1 Tim. III. 16.) animam nil poterat Satanas, sed potius θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς τῷ πνέυματι (1 Petr. III. 18.) suam illi vim victoriamque euidentibus signis demonstrauit, carceribus mortis effractis, ipsum principem vinciens, & mortis infernique claues extorquens, illumque aperte triumphans. (Col. II. 15.) Pretiosissimo enim λύτρῳ exacte soluto captiuos peccati, mortis & diaboli amplius sub captiuitate detineri nefas fuisset. Fundamento imperii diabolici in homines & viuentes sublato, imperium ipsum cessauit, & nos in libertatem asserti, illi viuamus & moriamur oportet, qui nos vitae suae dispendio redemit salutemque recuperauit. (Rom. XIV. 7. 8.) Hinc saluberrimi fructus manant, qui de morte Christi praedicantur; hinc abolitio imperii diabolici in homines viuentes & mortuos, h. l. hinc gratia illa δοθεῖσα ἡμῖν —— ἀφθαρσίαν, (2 Tim. I. 10.) hinc possessio clauium mortis & inferni, è manibus diaboli quasi extorsarum, (Apoc. I. 18.) hinc mortis & eorum, quae eam excipient, non malorum, sed bonorum copiae apud fideles intrepida & heroica exspectatio, immo ardentissimum desiderium, (Phil. I. 21. 2 Cor. V. 1-10. Rom. VIII. 33-39.) hinc mortis aculeus hebes & obtusus, hinc exacta vaticinii impletio (Hos. XIII. 14.) מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם —— שְׁאוֹל: Hinc mors cum omnibus suis terriculamentis euanescens, (Joh. XI. 25 f.) hinc praeclarum illud ἐπινίκιον: (1 Cor. XV. 55.) πῦ σῦ θάνατε τὸ κέντρον; πῦ σῦ ᾅδη τὸ νῖκος; hinc plenum Christi absolutumque imperium in visibilia & inuisibilia, denuo vindicatum, (Col. I. 16. Eph. I. 21. 22. Matth. XXVIII. 18.) Euanescit igitur mors, tamquam humanae naturae tristissimum & ignominiosissimum fatum, qua primo obtutu homines, veluti neglecti a Deo & cum pecore abiecti, foedae putredini, & indignae tanta animi excellentia corruptioni, traduntur, euanescit, inquam, & longe aliam iucundioremque faciem induit, qua nonnisi praeparationis loco ad maximam aliquando gloriam participandam adparet. Quanto melius Hug. Grotius in Annott. in N. T, ed. b. Windhemii, ad h. l. p. 8501. quamuis respectum

ctum quendam ad illum Judaeorum Sammaelem h. l. agnoscat:
„ Sammael, i. e. Diabolus, inquit, dicitur ab Hebraeis habere imperium mortis. Habes hoc in Thalmmude Baba-Bathra, in libro Capthor, in libro de morte Mosis, apud Maimonidem *directoris dubitantium*, III, 22. Nimirum accusator est eorum, qui vitiis se dedunt, vt videre est Zach. III. 1. & tales ostendit detinendos in morte, id est, non debere excitari ad vitam meliorem. (Rom VI. 23. 1 Cor. XV. 56.) Christus in suis auferendo ista vitia simul abstulit hoc ius accusatori, (Rom. VIII. 2.) sicut in Christo non reperit, quod accusaret, (Joh. XIV. 36.) ita nec in Christianis, quia ἀγνοήματα, quae in illis manent, non dicuntur peccata, eo scilicet sensu, vt ob ea damnari possint. (1 Joh. III. 9.)„ Paraphrasi Cel. MICHAELIS, quam supra dedimus, aliam subiungere haud grauatim liceat, quae Diabolo κράτος τοῦ θανάτου asserens, an exsibilari mereatur, aequi & rerum gnari iudices aestiment. Jam cum infantes, quos ad patrem tamquam archisacerdos & primogenitus fratrum, adducturus est glorificandos, & vt seruarentur, a patre ipsi datos, ℣. 10. 11. naturae humanae sint participes, sanguine & carne constent, in communionem eiusdem naturae descendit filius Dei, vt mortis fieret capax, & morte crucis, quemadmodum diuinae sapientiae lubentissime placuit, & decorum illud postulauit, ℣. 10. peccata hominum expiarentur, eaque re ius & potestas Satanae, in peccato, tamquam suo opere & inuento, fundata, aboleretur, Diabolum quoque suo iure in mortuos peccatores adhuc vtentem exuit, vitam & libertatem recuperando, pretium pro captiuis soluendo, eumque omni potestate in homines, si credant in seruatorem suum, priuando, & se Dominum eorum praepotentem, & amissae libertatis vindicem & restauratorem, in vita & morte, omni tempore, declarando, claues mortis & inferni extorquendo, se viuorum & mortuorum Dominum ostendendo, eosque, qui ob metum mortis illiusque tremendorum euentuum, nec spiritum quiete ducerent, nec vitam vlla solida & durabili iucunditate perfusam agerent, liberando, spiritum seruitutis deprimendo, spiritum filiationis ingenerando, illosque & de vita praesenti laetos & de futura minime anxios praestando. — — Quae maior excogitari potest mortis Christi expiatoriae dignitas? qui eximii fructus in fideles inde viuentes & mortuos redundaturi conspiciuntur? quid non nomini diuino honorificum & ho-

minum

minum generi ſalutare inde deriuari poteſt ? quid nos praua iudaeorum additamenta in veritate per ſe certa & fictiones inanes morabuntur, huic robori mortis, quod Diabolus vere poſſedit, imaginationis fortioris impulſu ſuperinductae. Reuereamur verbum Dei, a deuiorum biga, aeque perniciosa, credulitatis nimiae & ἀπιστίας repudiandae, longiſſime nos auertens, & numquam non regia via, i. e. media introducens. Sic in ſucceſſiua regni diabolici deſtructione mors Chriſti omne tulit punctum, & fundamentum eſt omnium ad finem vsque & in fine mundi demum futurarum mutationum, regnum Chriſto plene aſſerentium & vindicantium. (Apoc. XIX. 6. XI. 17. 18.)

§. 10.

c) in deſcenſu ad inferos.

Quae hactenus de mortis Chriſti vi, Diabolo funeſtiſſima, a nobis diſputata ſunt, ordine nos deducunt ad meditationem de *deſcenſu Chriſti ad inferos*; in quo quidem anceps haereo, nec vbi tuto ſatis conſiſtere poſſim, video, tot tantisque difficultatibus vbique circumſtantibus. In hac vero doctrina ita verſabimur, vt 1) generatim quaedam moneamus, 2) fundamenta, 3) finem deſcenſus huius videamus. Quod ad generalia I) ſpectat,

1) Laudabilis & imitatione digna eſt circumſpectio, qua *Form. Concord.* in tradenda hac doctrina vtitur, vid. LL. Symbb. ed. b. WALCHII p. 573. ſ. 712. & hanc ipſam cordatiores Theologi modeſtia & prudentia pari ſecuti ſunt, e. g. b. WEISMANNUS in Inſt. exeg. dogm. „ ſi hunc, inquit, articulum ex „ ſymbolo apoſtolorum, & ex poſitionibus patrum aeſtimemus, „ nihil certius eſt, quam quod is ad litteram ſit accipiendus. „ Interim ſi hos reſpiciamus, eorum doctrina non reformatis „ tantum, ſed & noſtris multis in locis contraria eſt. Non „ bene factum, cum dicta de Triumpho Chriſti, in morte & „ cruce, ad deſcenſum ad inferos adplicantur, quod utique ſa„ cra ſcriptura nullibi facit. Tota illa doctrina nondum li„ quet, maxime in ſuis circumſtantiis. „ Parcus omnino eſt ſpiritus reuelator in aperiendis caeleſtibus & inuiſibilibus, idque ſapienter & iuſte, apud eos, qui in illis, quae in terris percipienda

pienda & gerenda sunt, tam caeci, tam tardi sumus, ne his necessariis neglectis, in remotioribus rimandis mere occupemur & inani curiositati satagamus. Non igitur in hoc quoque articulo vltra id, quod scriptum est, sapiendum videtur.

2) Historiam huius dogmatis iam dudum multi dedere. JOH. PEARSON, in expositione symboli apostolici, p. 400. ss. BUDDEUS in Inst. theol. dogm. p 790. b. ss. S. R. D. DIETELMAIER in historia dogmatis de descensu Christi ad inferos; ex quibus pauca quaedam & primaria tantum capita delibabimus. In antiquioribus symbolis mentio huius articuli non occurrit. RUFFINO teste, in ecclesiae romanae symbolo non habetur additum: descendit ad infera, sed neque in orientis ecclesiis habetur hicce sermo, in Symb. §. 10. p. 570. idem hic in AQUILEIENSI primum exstare testatur, vt praeter sepulturam descensus Christi ad inferos commemoretur. Patribus vero hanc doctrinam innotuisse, in aprico est, vt nihil de IRENAEO, CLEMENTE, ALEXANDR. TERTULLIANO, ORIGENE dicam, quorum loca vid. apud PEARSONIUM l. c. vnicum in medium adferre iuuat ex EPIPHANIO, qui in exposit. fidei catholicae, quae L. III. adu. haeret. exstat, §. 17. p. 1099. descensus Christi ad inferos hisce verbis meminit: ἐχὶ τῆς Θεότητος συγκλεισθείσης, ἐ τῆς θεότητος ταφείσης, συγκατελθέσης δὲ τῇ ψυχῇ τῇ ἁγίᾳ εἰς τὰ καταχθόνια, ἑλέσης ἐκεῖθεν τὴν τῶν ψυχῶν αἰχμαλωσίαν, κλασάσης κέντρον θανάτε, διαρρηξάσης τὰ κλεῖθρα καὶ τὰς μοχλὲς τὰς ἀδαμαντίνες, καὶ λυσάσης ὠδῖνας ᾅδε ἐν ἰδίᾳ ἐξεσίᾳ &c. Propter APOLLINARISTAS deinde hic articulus in omnibus symbolis, publica auctoritate receptis, occurrit, & ad nostra vsque tempora obtinuit, in quibus denuo sub examen vocatus, a nonnullis, b. BAUMGARTENIO, S. R. SEMLERO, MOLDENHAUER, ERNESTI, e typo salutaris doctrinae expungi coepit, qui posterior in *N. Bibl.* T. III. p. 708. sententiam ita fert: *von alle dem, was die alte Kirche von* Saec. II. — *biß auf die Reformation von der Höllenfarth gelehret hat, ist kein Wort wahr,*

und sind alles Träumereien, die sich auf den heidnischen und jüdischen Begriff von dem ᾅδῃ und damit verglichenen und übel verstandenen Schriftstellen gründen, woraus offenbar ist, daß wir uns hier auf den consensum vet. ecclesiae *gar nicht berufen können, als der vielmehr, ausser dem einen, daß sie durch den* descensum ad inferos *nicht die Begräbniß verstanden haben, wider uns ist, und daß also unsere Erklärung eigentlich neu und den alten ganz unbekannt gewesen ist, daraus folget aber noch nicht, daß sie unrichtig sei.*

II) Accurata igitur locorum, ex quibus haec doctrina demonstrari solet, inspectio & declaratio omne feret punctum.

1) Princeps locus & arx caussae reperitur (1 Petr. III. 18. 19.) Communiorem huius loci explicationem defendere videntur,

a) Nexus & ordo; quae enim a ℣. 18 - 22. posita sunt, brevi compendio, quale & illud Paulli est, (1 Tim. III. 16.) omnia concinno ordine enarrant, quae Christus ad salutem hominum fecit, passionem, mortem, vitam denuo sumtam, abitionem in carcerem ad Spiritus, diluuio quondam deletos, (πορευθεὶς enim & MOLDENHAUERO aliisque, qui praeconium tempore Noachi factum indigitari putant, plurimum negotii facessit, S. R. ERNESTI *Neueste Bibl.* T. I. p. 120. *es ist ein blosser* idio*tischer* pleonasmus *in der griechischen Sprache, der in dem N. T. bey andern Griechen mehr vorkömmt und auch in unserer Sprache gewöhnlich ist,*) ascensionem in caelos, sessionem ad dextram Dei, ℣. 22.

b) Sicut ℣. 22. Χριστὸς πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν dicitur, idque fine dubio proprie, prouti ab omnibus accipitur, ita nulla ratio adest, cur ℣. 19. hoc πορευθεὶς ἐκήρυξεν non ibidem proprie accipi debeat.

c) Abitus ille Christi distinguitur a passione & morte, nec de sepultura intelligi potest, nam Spiritus illi non erant in sepulchro Christi; abiit ad eos.

d) Mani-

d) Manifeste sermo est de Christo incarnato, nec sine insigni tortura verborum de Christo ἀσάρκῳ sumi potest, vti b. HEDINGERO in Not. germ. ad N. T. visum est, p. 765. & recentiores habet consentientes. Si Apostolus ποτὲ coniunxisset cum ἐκήρυξεν, nullum superesset dubium, de interpretatione hac tamquam vnice vera & recta.

e) Nec denique vsui sanctae linguae consentaneum videtur, homines, si de rebus ipsorum in vita gestis sermo sit, adpellare Spiritus. Tutiori igitur via illi incedere videntur, qui in hac re, mysterii plena, proprietatem verborum tuentur, & hunc vexatissimum locum, illiusque verum sensum aeternitati reseruant, vt in multis aliis nostra infirmitas postulat. In loco, inquit b. BENGELIUS in Gnom. ad h. l. mysterii pleno, non debemus proprietatem sermonis ex eo dimittere, quod non habeat parallelos. b. LUTHERI iudicium de h. l. modestum, sobrium & omnino prudens est, vid. STARCKII Synopsin bibl. exeger. ad h. l. p. 1110. s. & BENG. Gnom. ad h. l. inprimis p. m. 1019.

His iam praemissis, vt institutum nostrum persequamur, sententiam nostram, saluo meliori iudicio, de hoc loco breui paraphrasi declarabimus: Semel Christus pro peccatis hominum passus est, is, in quo ab omnibus veri sacerdotis virtutibus instructo, ne quicquam, quoad vitae sanctimoniam, absolutamque iustitiam, & insitam & in omni vita praestitam, desiderari poterat, vt peccatores abalienatos a Deo, ea ratione, quae & virtutibus diuinis earumque summae perfectioni honorificum esset, & decentiis diuinis consentaneum, cum ipso reconciliaret, & vna secum iustificatos adduceret ad caelum; idque euidenti aliquo specimine vel in inuisibilibus illis regionibus praestitit: morte enim interemtus, quoad fragilem & mortalem naturam humanam, vi vero vitae ἀκαταλύτυ, quam ipsa vita & princeps vitae in se ipso habuit, & secundum quam Spiritu viuere neque desiit, neque iterum coepit, statim viuum modis nouis & multo expeditissimis se exserens, profectus est, tamquam viuorum & mortuorum Dominus, iure victoriae, in morte constitutus, & mortis & orci clauibus instructus; ringente Diabolo;

fremente regno tenebrarum, ad loca illa mundi inuisibilis, vbi in custodia animae detinebantur hominum, ob pertinacem & obstinatam ἀπιςίαν diluuio quondam deletorum, iisque praedicauit tale praeconium, cuius capaces essent, quibusdam euangelicum ad consolationem, quod Christo proprium est, aliis legale, ad terrorem. Atque haec cum videatur mens & sententia apostoli esse, vt ex propria atque genuina omnium verborum significatione liquet, manifestum est, nec de morte, nec de sepultura, nec de vtraque simul, nec de praeconio Noachi hunc abitum & praedicationem intelligi facile posse.

2) Alter locus, qui ad demonstrandum descensum Christi ad inferos excitari solet, (Eph. IV. 8 - 10.) occurrit, & multis antiquiorum recentiorumque interpretum videtur dubius, & minime aptus, ad cogendum ex eo articulum fidei de descensu Christi ad inferos. Paullus in eo est, vt summam Christi maiestatem & potestatem super omnia vindicet, & nil ipsi imperuium esse, nil extra eius dominationis ambitum positum ostendat, ne imas quidem terrae partes ab illo fuisse praetermissas, sed & has adiisse, vt diuina sua vi, in exaltatione recens assumta, omnia penetrare, permeare possit, & praesentia & operatione, fructibus mortis expiatoriae, donis humano generi recuperatis, immo se ipso implere. Sunt quidem magni nominis theologi, qui haec κατώτερα μέρη τῆς γῆς non nisi de terra, quam nos inhabitamus, & quam relicto caelo filius Dei adiisset, intelligenda esse docent. e. g. S. V. ERNESTI *Neueste Bibl.* T. II. p. 31. Ill. MICHAELIS in paraph. *und Anmerk. über die Briefe Paulli: p. 106. Es kann unmöglich von der Höllenfarth Christi die Rede seyn, wie viel von unsern Gottesgelehrten vorgeben.* FRID. BALDUINUS in comment. in omnes epp. Paulli illud κατέβη εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς tam de incarnatione Christi, quam de descensu ad inferos interpretatur p. 906 Habet omnino haec interpretatio praesidia haud contemnenda. Obuersatus est animo apostoli, dum haec scriberet, (psalmus LXVIII.) qui alius quoque descensus meminit, nimirum in montem Sinai, ℣. 16. Christum vero multo inferius in eam partem, in qua homines solent viuere, descendisse asserere videtur Apostolus, & hoc sensu verbum

κατα-

καταβαίνειν plurimis locis vſurpatur, (Joh. III. 13. VI. 33. 38. 41. 42. 50. 51. 58.) & *κάτω* in relatione ad caelum, *ἄνω*, de terra occurrit. (Joh. VIII. 23. Act. II. 19.) Sine dubio haec ipſa locutio hebraiſmum ſapit, תַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ e. g. Pſ. LXIII. 10. vbi Dauid conſilium ſuorum hoſtium, eorundemque exitum deſcribit, וְהֵמָּה לְשׁוֹאָה יְבַקְשׁוּ נַפְשִׁי יָבֹאוּ בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ׃ LXX. *εἰς κατώτατα τῆς γῆς*. Non facile de ſepulchro heic cogitari poteſt, nam eosdem hoſtes fore portionem vulpium, ℣. 11. מְנָת שֻׁעָלִים יִהְיוּ vel hyaenarum contendit, adeoque honore ſepulturae non cohoneſtatum iri, haud igitur improbabile videtur, haec תַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ eſſe periphraſin שְׁאוֹל, loci & domicilii mortuorum. Porro haec ipſa locutio, (Pſ. CXXXIX. 15.) de vtero matris vſurpatur, רֻקַּמְתִּי בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ ingenioſe contextus ſum in ima terra, i. e. in vtero matris: vbi Ill. MICHAELIS annotat, p. 247 ſ. *Den Zuſtand vor der Geburt ſtellen Hebräer und Griechen ſich eben ſo vor, als den nach dem Tode: die Griechen nennen den einen ſowohl, als den andern*, Hades, *und die Hebräer vergleichen den Mutterleib mit dem Grabe, und ſtellen ihn ſich als einen Theil der unterirrdiſchen Welt vor.* Hinc factum eſt, vt quidam hunc deſcenſum Chriſti *εἰς τ. κ. μ. τ. γ.* de ſepulchro, vti Cel. D. ZACHARIAE, in *paraphraſtiſchen Erkl. pauliniſcher Briefe* ad h. l. alii de vtero matris, adeoque de incarnatione Chriſti, vti BEZA & FAGIUS, & Cel W. A. TELLER, interpretarentur, nec GROTIUS in annott. in N T. alienus videtur, „poſſet, inquit, aliquis credere, agi hic de vtero materno ob locum Pſ. CXXXIX. 15. Sed credibilius eſt agi de diuina Chriſti potentia, in terris exercita, coram multis teſtibus, de quo agitur & 1 Tim. III. 16.„ Cum itaque haec תַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ tam in proprio, quam improprio ſenſu aliquid inferius ſuperficie telluris indigitare videantur; cum oppoſitio illa, qua adſcendiſſe Chriſtus *ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν* dicitur, etiam deſcenſum ad ima terrae ſupponere videri poſſit; denique cum non quilibet adſcenſus, vti b. BENGELIUS annotat ad h. l. ſed adſcenſus, captam captiuitatem habens coniunctam, praeſupponat & inferat deſcenſum in inferiores terrae partes; non vana & mere arguta eorum interpretatio videtur, qui ex h. l. deſcenſum Chriſti ad inferos inferunt, vti quidem exiſtimauit Reu.

M. GRAEFENHAIN, Lipſienſis, in diſſ. perquam eleganti, *de interpretationibus N. T. argutis magis, quam veris.* 1774. p. 18. Ceterum ingenue fateor; ni alia loca ſupereſſent, ex hoc vno veritas deſcenſus Chriſti ad inferos, tuto & liquido probari haud facilè poſſet.

3) Tertius locus, in quo ſingulare quoddam robur ineſſe putat PEARSONIUS l. c. p. 407. vt euidens & infallibile nominet pro hac doctrina argumentum, exſtat Act. II. 25 ſs. Si anima Chriſti non derelicta eſt in inferno in reſurrectione ipſius, vtique in inferno fuerit, neceſſe eſt, ante reſurrectionem. Vt enim caro eius vi promiſſionis ac prophetiae non vidit corruptionem, tametſi fuit in ſepulchro, corruptionis officina, vbi vsque ad reſurrectionem in ſpe requieuit: Sic & anima eius, quae vi eiusdem promiſſionis in inferno derelicta non eſt, vtique in inferno fuit vsque ad tempus, quo corpori rurſus vnita fuit ad reſurrectionem exſequendam. Hinc ſatis manifeſte ſequi videtur, animam Chriſti in inferno fuiſſe. AUGUSTINUS, quis, inquit, niſi infidelis negauerit, Chriſtum fuiſſe apud inferos. ep. 99. Ill. MICHAELIS verba pſalmi: כִּי לֹא תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל vertit: *Du wirſt meinen Leichnam nicht dem Grabe laſſen*: נַפְשִׁי *meinen Leichnam*, שְׁאוֹל *Grabe*, denotare autumans. Pace vero viri Ill. putem, valde proprie prophetam loqui, & inde in ſuam orationem transferre apoſtolum, in carne Chriſti negantes corruptionem, quae in ea ſola locum habuiſſet, & de anima Chriſti aſſerentes, non derelictum iri in inferno. Caput rei in euoluendis notionibus שְׁאוֹל & ᾅδῃ ponitur, in his cardo vertitur. Equidem nolim, omnibus in locis, vbi in text. hebr. שְׁאוֹל & in graeco τῶν LXX ᾅδης occurrit, intelligi ſepulchrum, quo corpora mortuorum conduntur, nolim etiam & minus adhuc, cum aliis vbique illas voces interpretari de inferno, proprie ſic dicto, ſeu loco damnatorum. Dantur enim loca, vbi שְׁאוֹל & ᾅδης neutrum horum denotare poſſunt, ſed generatim ſtatum animarum ſeparatarum in loco ſeu bono ſeu malo, quis enim, e. g. Jacobum (Gen. XXXVII. 35.) ſub voce שְׁאוֹל ſepulchrum intellexiſſe dicat, cum ſe ad filium ſuum in שְׁאוֹל ᾅδην abiturum ait, quem credebat in ventre beſtiae ſepulchrum ſuum inueniſſe? Quis Dauidem, Hiskiam & Hiobum deſcenſum in infernum, locum

eum damnatorum, meditatos esse cum ratione sibi persuadeat, vbi de suo in שְׁאוֹל seu ᾅδην descensu loquuntur, (Ps. VI. 6. LXXXVIII. 4. 5. Es. XXXVIII. 18. Hiob. XVII. 13. Apoc. XX. 14.) vbi mors & infernus, inter se, vt demortuorum receptacula, & vterque a lacu igneo distinguitur. Intelligi itaque videtur status animae Christi separatae, in quo Deus illam manere haud passurus, sed propediem in corpus reuocaturus sit, quemadmodum contra & *corpus* a corruptione in sepulchro immune mansurum esse dicitur. conf. not. §. 10. Cap. II.

4) Haec primaria sunt illa dicta, è quibus locus ille de descensu Christi ad inferos, probari in scholis nostris solet, ita vero comparata, vt, si fateamur quod res est, dubiis & exceptionibus pateant. Multo minus laudanda est & imitanda multorum, inprimis vero pontificiorum, molesta sedulitas, qua in conquirendis vbique testimoniis, pro descensu hoc Christi ad inferos, tam ex libris canonicis quam apocryphis, numquam non vacarunt, eo quidem consilio, vt sententiis de purgatorio, de limbo patrum, infantumque aliquod quaererent praesidium auctoritatemque. Excitant e. g. Ps. CVII. 16. כִּי שִׁבַּר דַּלְתוֹת נְחֹשֶׁת וּבְרִיחֵי בַרְזֶל גִּדֵּעַ׃ Sed hic locus plane nil ad hanc caussam spectat; agitur enim de liberatione ex aegypto, cuius memoria & agnitione populus ad gratias agendas excitatur, hinc prorsus ἀπροσδιόνυσος est. Excitant (Zach. IX. 11.) גַּם — מַיִם בּוֹ׃ Sed aeque absurde hic locus in subsidium vocatur. Propheta agit de liberatione ex captiuitate peccatorum, in quam asserturus sit Hierosolymam, eiusque ciues Messias, cuius ℣. 9. manifesta fit mentio, & sensus sine dubio huc redit: Etiam tu, filia Sionis, Hierosolyma cum tuis incolis & vniuerso populo, in sanguine fœderis tui es; fœdus illud, sanguine Messiae confirmandum stabiliendumque ad te primario pertinet, tui caussa factum, sancitum & manifestatum est; hinc dimittam tuos vinctos, peccati, legis, damnationis vinculis constrictos & irae diuinae obnoxios, & liberabo illos è statu profundissimae miseriae, vbi nulla pax, animae eiusque desideriorum exsatiandorum nulla libertas, sed ea sitis, ea rerum omnium, ad salutem eiusque certam persuasionem spectantium inopia, vt ea non potuissent non contabescere, & misere exstingui. Excitant praeter ea loca N.

T.

T. quae iam vidimus, (Rom. X. 6.) & inde satis argute argumentantur, ergo Christus fuit post mortem in abysso; abyssus vero, vi loci paralleli, ad quem apostolus suauissima parodia alludit (Deut. XXX. 11-14.) mare denotare videtur, vt sensus hic sit: ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in caelum, sc. vt ex eo cognoscamus legem, eamque praestemus; nam hoc esset Christum quasi ex alto deducere, & negare eum de caelo descendisse, vt legis genuinum sensum nobis aperiret, & praestandi viam patefaceret, viresque concederet: aut quis descendet in abyssum, hoc est in mare vltimum nauigio, vt ex locis remotissimis cognitionem legis & praestandi facultatem nobis suppeditet? hoc enim esset Christum quasi ex mortuis reducere, ac negare, eum mortuum esse pro peccatis, & resurrexisse ad iustificationem, qua semel potiti viribus implendae legi sufficientibus instruamur: nam propinquum est verbum euangelii, quo enunciatur verus & legitimus vsus legis, & impletio illius offertur in Christo. Multo minus pro demonstrando hoc descensu admitti possunt, quae citantur ex libris *apocryphis*, testimonia, veluti illud, (Sirac. XXIV. 8.) *penetrabo omnes inferiores partes terrae; Inspiciam omnes dormientes & illuminabo omnes sperantes in Domino*; haec quidem encomii sapientiae pars, vt nil dicam de libro apocrypho, quem neque ecclesia ante Christum iudaica, neque patres ad Hieronymi vsque tempora, pro canonico agnouerunt, ne exstat quidem in fonte graeco, è quo latina versio traducta est, quod ipsi, qui illi iusto plus auctoritatis tribuunt, fatentur R. Catholici. Sunt & alia quaedam loca, ad quae patres prouocant, nec suo nec nostro tempore in scripturis sacris reperiuntur. JUSTINUS MARTYR in Dial. cum Tryph. inter alia a iudaeis mutilata, peruersa, oblitterata scriptura loca commemorat etiam hunc: Καὶ ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ αὐτοῦ Ἱερεμίου ὁμοίως ταῦτα περιέκοψαν. Ἐμνήσθη δὲ κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Locus hic adductus ab IRENAEO adu. haereses L. III. c. 23. ad probandum, quod qui mortuus sit pro nobis, non homo tantum fuerit, sed & Deus. Idem L. V. c. 26. hunc locum adplicat ad animam Christi a corpore absentem: nunc autem tribus diebus conuersatus est, vbi erant mortui, quemadmodum prophetia ait de eo. S. R.

SEM.

SEMLERUS in progr. paschali, hanc ipsam sententiam Irenaei examinat illustratque, vt simul aliquid lucis quaerat ad historiam tot apocryphorum librorum, in obs. *de vario & impari veterum studio, in recolenda historia descensus ad inferos*, *Halae* 1775. Hoc igitur loco & fundamento nec nos nitimur, quod suspectae omnino auctoritatis, in fonte hebr. non exstat, & JUSTINUS MARTYR iudaeos quidem accusat, quod eum eraserint ex versione τῶν LXX, quod quomodo in iis codicibus, qui in Christianorum manibus essent, patrare potuerint, vix comprehendi potest: nec hodie in tanto criticae artis studio repertus est, nec, praeter JUSTINUM, vllus è tot christianis scriptoribus tale carmen recitat. Idem porro momentum eandemque auctoritatem sustinet ille CLEMENTIS ALEXANDR. locus, quem, mirum omnino, ad probandam Christi in inferno praedicationem in medium adfert: Strom. L. VI. διόπερ ὁ κύριος εὐηγγελίσατο καὶ τοῖς ἐν ἅδου· φησὶ γ᾽ οὖν ἡ γραφὴ, λέγει ὁ ἅδης τῇ ἀπωλείᾳ· Εἶδος μὲν αὐτοῦ οὐκ εἴδομεν, φωνὴν δὲ αὐτοῦ ἠκούσαμεν. Hic ipse locus dignus visus est b. BENGELIO, quem in Gnom. ad 1 Petr. III. 19. citaret. In argumentando longius progrediens ceteris CLEMENS ALEXANDR. apostolos, more & exemplo Domini, mortuis euangelium praedicantes facit L. II. δέδεικται δὲ κἀν τῷ δευτέρῳ στρωματεῖ τοὺς ἀποστόλους, ἀκολούθως τῷ κυρίῳ, καὶ τοὺς ἐν ἅδου εὐηγγελισμένους, munitque se auctoritate HERMAE, qui in *pastore:* τοὺς ἀποστόλους, inquit, καὶ τοὺς διδασκάλους τοὺς κηρύξαντας τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ κοιμηθέντας, τῇ δυνάμει καὶ τῇ πίστει κηρύξαι τοῖς προκεκοιμημένοις, quam ipsam sententiam hac ratione fulcit, apostolos, vt in vita Christi imitatores fuerint, sic & ipsum imitatos fuisse post mortem. Ἔχρῆν γὰρ, οἶμαι, ὥσπερ κἀνταῦθα, οὕτως δὲ κἀκεῖσε, τοὺς ἀρίστους τῶν μαθητῶν μιμητὰς γενέσθαι τοῦ διδασκάλου. De iis, inquit b. BENGELIUS, ad Matth. XIV. 2. quae Christi prodromus ante ipsum occisus defunctis nunciarit, euangelizarit, multa dicunt graeci communiter, apud Leonem Allatium de LL. ecclesiasticis gr. p. 303. s. & apud WETSTENIUM ad Dial. c. Marcion p. 33. itemque latini, quos citat Ittig. diss. de euang. mortuis annunciato, §. XI. quibus add. Ambros. ad Luc. I. 17. & Gerson Lect. 2. super Marcum. Consimilia his sunt, quae in testamentis XII.

patriarcharum occurrunt, vbi e. g. in Testamento Beniamin legitur, referente S. R. SEMLERO l. c. p. 13. „ altissimus mittet „ τὸ σωτήριον αὐτοῦ, ἐν ἐπισκοπῇ μονογενοῦς, is in priori templi „ parte iniuria adficietur, καὶ ἐπὶ ξύλου ὑψωθήσεται, καὶ ἔσται „ τὸ ἅπλωμα τοῦ ναοῦ σχιζόμενον, καὶ μεταβήσεται τὸ πνεῦμα „ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τὰ ἔθνη, ὡς πῦρ ἐκχυνόμενον καὶ ἀνελθὼν ἐκ τοῦ ᾅδου „ ἔσται ἀναβαίνων ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανόν, nimirum ille Christus. In „ Test. Leui c. 4. ᾅδης spoliandus dicitur, καὶ τοῦ ᾅδου σκυλευο- „ μένου ἐπὶ τῷ πάθει τοῦ ὑψίστου. „ Suppositiria id genus scripta recte ad pias fraudes, quas τῆς οἰκονομίας sapientis nomine cohonestarunt, primo secundoque saeculo bona fortassis mente familiares & vsurpatas recte retuleris, sed & inde manifestum fieri putem, qui ab his iudaizantibus christianis loca S. S. quoad hunc articulum intellecta fuerint, tantum abest, vt apostolos ipsos inde aliquid suis scriptis κατ' ἄνθρωπον inseruisse existimem, quae sine dubio his spuriis priora exstitere. Haec de fundamentis, quibus hic locus nititur, sufficiant. Pergimus

III) ad *finem*, quem in descensu ad inferos Christus intendisse putatur; hic a variis vario modo proponitur. Christum non motu locali & reali in inferno praesentiam suam ostendisse, sed virtualem tantummodo motum praesentiamque efficaciae, qua mortis Christi effectus in defunctorum animas egerint, virtutemque suam exseruerint, DURANDI quondam fuit opinio, quae vero ob πορευθεὶς (1 Petr. III. 19.) stare nequit. Christum per passiones cruciatuum infernalium descendisse in infernum dici, vt CALVINUS in Institt. C. VII. 25 - 29. p. m. 299. (ed. geneuensis MDLIV.) putat, plane non veri speciem habet, quia passiones & mors & hic descensus, in loco illo celebri, (1 Petr. III. 19.) euidenter distinguuntur, si vel ea argumenta, quae PEARSONIUS l. c. p. 409. contra hanc sententiam vrget, prorsus intacta velimus esse. Alia opinio haec est, Christum, qui nobis in omnibus assimilari voluerit, experiri voluisse statum hominum, vita functorum; repugnare vero huic sententiae illud maxime videtur, ᾅδην tam apud graecos & iudaeos, quam in ipsis sanctioribus litteris denotare non solum statum quemdam, sed & locum, in quo demortuorum animae commorentur. Refragatur

tur & huic sententiae illud πορευθεὶς, refragantur actiones, in in- inferno perpetratae. Alia sententia alium finem descensus Christi ad inferos fingit: ᾅδην tribuebant communi isti animarum, tum in Dei fauore & gratia, tum in peccatis suis decedentium, domiciliis, & Dominum descendisse ad illam ᾅδου partem, vbi animae fidelium, inde a morte Abelis vsque ad mortem Christi detinebantur, ibidemque dissoluta omni illa potestate, qua inferius detinebantur, translocasse in sedes longe illustriores, inque statum beatiorem, ipsos nempe caelos superos. Multi ex patribus EUSEBIUS, CYRILLUS, AMBROSIUS, HIERONYMUS huic sententiae adstipulabantur, quorum loca vid. in PEARSONIO l. c. p. 425. ex quibus eam mutuo acceperunt Scholastici, & hinc in romanae ecclesiae articulos fidei transiit, quae statuit, animas piorum ante Christi aduentum in limbo inferni superiori fuisse. Statuunt nimirum infernum diuidi gradatim in quatuor loca; infimum locum esse aeternis poenis destinatum, vbi poena est *damni* gloriae caelestis, gratiae Dei & pacis conscientiae & poena *sensus* cruciatuum infernalium; qui locus reprobis destinatus & proprius, qui sceleribus illum sunt promeriti, vnde nulla sit liberatio. Reliqua autem tria spatia sic distinguunt, vt locus, infimo inferno proximus, sit purgatorium, in quo eodem igne infernali crucientur animae, quae a peccatis venialibus nondum plene purgatae eo descenderunt, vt purgentur satisfactione illarum poenarum, vt tandem in caelum purificatae ascendant. Reliqua vero duo spatia superiora inferni vocant *Limbos*, h. e. oram seu extremitatem duplicem. Proximum enim purgatorio limbum statuunt esse locum poenae damni gloriae caelestis, non autem poenae cruciatus seu sensus. In quo limbo statuunt infantes, sine baptismo mortuos, perpetuo mansuros, sine liberationis spe. Alterum denique ac supremum limbum statuunt esse locum, in quo omnes sancti patres, post mortem, vsque ad Christi aduentum fuerunt; vnde per Christum in descensu suo ad inferos liberati iam sint, adeo vt hic limbus iam sit vacuus; in quo patres habuerint poenam, non sensus, sed tantum damni, & quidem temporalis, nec aeterni, vt de limbo infantum supra dictum est. Haec omnino sunt ἄγραφα, immo scripturae contraria, caelum seruandis, infernum perituris adsignanti. (Rom. VIII. 1. Es. LVII. 2.

Luc. XVI. 22.) Inprimis Mosis & Eliae adparitio in transfigurationis monte longe feliciorem statum arguit, quam qui ipsis a pontificiis in limbo patrum tribuitur. Temeraria haec curiositas & audacia, qui tamquam periti quidam inferorum metatores ausi sunt vastos illos, qui circa centrum terrae sint, hiatus in has quatuor partes distribuere, nostris & reformatis maxime vapulat, conf. DANNHAUERI hodomori in Spiritus papaei T. I. Phant. XII p. 939 - 1052. AMYRALDI diss. bigam de descensu Christi ad inferos in Syntagmate thesium theolog. in acad. Salmuriensi disputatarum P. II. p. 28. ss. & S. R. D. COTTAE diss. II. de inferno eiusque sede. Alia opinio est, quae Christum in infernum descendisse putat, vt euangelium Spiritibus ibi praedicaret, quo vel illi reciperent ipsum, qui ante credidissent in eum, vel isti crederent in eum, qui antea reiecissent. Nituntur, qui hunc finem assumunt; inprimis loco 1 Pet. III. 19. quem proprie intelligunt, & Act. II. 24. Alia adhuc opinio obtinuit in nostra potissimum ecclesia, sc. finem descensus Christi ad inferos fuisse, vt triumphum ageret de Satana, atque omnibus potestatibus infernis, in ipsorummet ipsa ditione. (Col. II. 15. Eph. IV. 8. 9.) Hic ipse vero triumphus sine praeda, hosti erepta, per liberatas ab inferno animas, cogitari nequit, hinc plerique patres, spoliasse Christum Satanam, captiuitatem captiuam duxisse, in descensu putabant; haec fuit b. LUTHERI sententia, quae deinde in nostras ecclesias, tamquam omnium sententiarum, hactenus in medium productarum, optima & Scripturae maxime conformis transiit, & in nostris compendiis systematibusque inualuit. Conf. inprimis S. R. D. SARTORII, Comp. Theol. p. 166. & expende loca, quae tam de *animabus*, sub terra detentis, quam de *frustratis inferni* aduersus Christum *insultibus*; de *victoria*, quam Christus morte sua ab inferno reportauit, & de *fructu* benefico in redemtos redundante, ad declarandam hanc doctrinam in medium attulit. Certe probabilior est his propositis & vltima, quae PEARSONII est, & hinc STACKHOUSII *in Lehrbegriff* p. 200-212. quae descensui Christi hunc finem tribuit, factum esse, vt satisfaceret mortis legi; animam Christi a corpore vere separatam per mortem, reuera migrauisse in locos inferiores, vbi degerent animae defunctorum, & id eo consilio factum esse, vt aeque mortui quam viui sortem subiret, adparuisse hic in similitudine carnis peccaminosae,

nosae, & in alterum mundum concessisse sub imagine peccatoris, repositum fuisse corpus Christi in sepulchro more aliorum defunctorum, animam quoque ipsius delatam esse in eas regiones, quo aliorum hominum animae deferri soleant. Haec quidem sententia congruit illi loco, quem PEARSONIUS l. c. tamquam veram & vnicam huius doctrinae sedem, Act. II. agnoscit, sed nullatenus illi, quem 1 Petr. III. 19. videre est, & maiori iure fundamentum huius doctrinae dici haberique meretur. Missis iam omnibus, illud cogitare suaue est & iucundum, descensu suo metum nostrum sustulisse Christum, & ascensu spem nostram confirmauisse. Ad eas commigrauit sedes, quas Diabolus occupauit, & in quibus potestatem suam maxime exercuit, vt cum in ipsum nihil quicquam habuisset potestatis, certi redderemur & nos, non posse eum exercere dominium in nos, tamquam mancipia sua. (Hebr. II. 14. 15.) Actuali in regna sic destructa descensu de eadem, qua ipse gauisus est, libertate certos fecit omnes, qui ad sese pertinerent. Recte ATHANASIUS: πάσχων αὐτὸς ἡμᾶς ἀνέλαβε, πεινῶν ἡμᾶς ἔτρεφε, καὶ εἰς τὸν ᾅδην καταβαίνων, ἡμᾶς ἀνέφερεν. Ad alias, quae hunc descensum ad inferos spectant, quaestiones ingenue & liberaliter respondebo: Q. 1.) de tempore, quo in infernum descenderit Christus, cum latroni eodem die paradisum aditum iri secum, pollicitus sit? Nescio. Q. 2.) Num sola anima, an corpore iam excitato loca inferiora adierit? Nescio. Q. 3.) Vt vidimus, num & Apostoli, vestigia Domini prementes, tale praeconium apud inferos annunciauerint? Nescio, nec enim illud ex 1 Petr. IV. 6. sequi putem. Q. 4.) De momento huius doctrinae, & cum plane non ἐξαγώνιος sit, num in symbolo apostolico, sic dicto, retineri debeat? R. ex Jud. ✝. 3. Q. 5.) Quaenam & de modo & de fine huius descensus sententia optima sit & tutissima? penultimam puto. Q. 6.) Num ii sancti, qui obdormierant, & quorum corpora surrexerunt cum Christo, prius ex ᾅδη liberandi erant? (Matth. XXVII. 53.) Nescio. Q. 7.) Num satius sit, omni hac doctrina abstinere, quod recentiorum quidam volunt, & de sepultura intelligi loca citata, & praeconium (1 Petr. III. 19.) de poenitentiali praeconio Noachi aliorumque patriarcharum? Non putem; nec tamen ob id ipsum suspicionis dicam scribere cuiquam ausim. In his problematicis salua sit

 omni-

omnibus ſentiendi libertas, ſuumque iudicium. Modo illud teneatur ſollicitiſſime: ne in illis indiciis & documentis, quae de mundo inuiſibili nobis aperit Spiritus, vel eliminandis, vel ad rationis, in his rebus caecutientis, placita refingendis, iuſto plus ſimus & diligentiores & liberiores. In hac igitur re, quam hactenus diſputauimus, quid a dignitate perſonae Chriſti, a muneris ipſius rationibus alienum ſit, quid doctrinae ſalutaris frugiferae cognitioni repugnet, me non videre, non intelligere, palam & ſincere profiteor.

§. 11.

Continuatur.

Quicquid igitur ſit de omni hac cauſſa, in qua fortaſſe ſecundum nonnullorum ſententias iuſto plus iudaizauimus, illud perſuaſiſſimum mihi eſt certiſſimumque, morte Chriſti & iis, quae eam mox conſecuta ſunt, in inuiſibilibus inſignem commotionem, varias mutationes, regno Diaboli funeſtiſſimas, factas eſſe, nulla vi, nullo tempore ab ipſo reſarciendas, fortius ſubinde continuandas, & omni principatus, poteſtatis & virtutis, filio Dei contrariae, abolitione, (1 Cor. XV. 24.) aliquando terminandas, in gloriam patris & victoris J. C. in aeternum concelebrandas. (Pſ. CX. 1. Phil. II. 10.) Generatim haec in ſacris litteris V. & N. T. docentur. Eximiae illae promiſſiones de morte deglutienda in victoriam, ſiue in aeternum, (Jeſ. XXV. 8. 1 Cor. XV. 54.) & initium praeclari illius *ἐπινικίου. Πȣ̃ σȣ θάνατε τὸ κέντρον, πȣ̃ σȣ ᾅδη τὸ νῖκος* (1 Cor. XV. 55. Hoſ. XIII. 14.) in morte Chriſti factum, per omnes temporis aeternitatisque periodos cauſſa erunt communis tripudii & laetiſſimarum acclamationum ad thronum eius, cuius admiranda ſapientia omnia recte diſpoſuit & feliciſſime abſoluit. Tota rerum vniuerſitas aduentu Chriſti commota eſt, & maxima rerum conuerſio in mundo inuiſibili contigit, (Hagg. II. 7. coll. Ebr. XII. 22-26.) conf. b. Crusii progr. I. II. *de caelo per aduentum Chriſti commoto*, Lipſ. 1757. quidni etiam tum, quum poſt mortem expiatoriam viſibili praeſentia occuparet imperium, quod ipſi in orcum quoque competeret, a Diabolo *αὐτοκρατορικῶς* adhuc ſibi tributum, immo ipſum inferni principem cum ſociis exueret, & publice (Col. II. 15.) triumpharet, tamquam is, qui operum diaboli diſſoluendorum cauſ-

ſa

sa in mundum venisset. (1 Joh. III. 8.) Ex hoc iam tempore nutu & imperio J. C. totum caelum gubernatur, quod magnifice depictum vide per totam apocalypsin, quae omnis in eo est, vt ostendat, Christum esse τὸν ἰσχυρότερον, qui τὸν ἰσχυρὸν, totius fere mundi tirannum potentem, & per aliquot iam millennia opus suum perficientem, per gradus illustrium triumphorum sit deuicturus. Mirum est, homines plerumque ad ea, quae ad mundum inuisibilem pertinent, vel caecutire, vel vestigia reuelatae de eo doctrinae non satis attente legere, vel praeiudicatis opinionibus seruire, vel ad rationis, in his rebus infirmae, decempedam exigere, & iis, qui ceteroquin recte animati sunt, & bona mente in hoc vel illo genere incedunt, inuidere, insultare & nescio cuius dictatoris prouinciam sibi arroganter sumere. Amor certe veritatis id non facit, aut studium sapientiae, haec enim ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνική, ἐπιεικὴς, εὐπειθὴς, μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος. (Jac. III. 17.) Mirum est, cur tam aegre mens humana, verbi diuini impatientior, & propriorum ingenii abortuum iusto tenacior, veritates de mundo illo inuisibili admittat, cur in his tam facile tricetur, cur omnis eruditionis copiam linguarumque notitiam in his arduis doctrinis profundat, inque illas è typo salutaris doctrinae eliminandas conferat, alios; vel antiquiorum vestigia prementes, vel suam conuictionem sequentes, castiget, traducat, eludat.

§. 12.

Effectus huius victoriae.

Effectus huius victoriae tam in inuisibili, quam visibili mundo illustres exstitere. Quis enim modus fuerit in terrore, pudore, ignominia, oportet, qua se adfectos senserint mali angeli, inuictissimo Mariae filio succumbentes! quam pudenda consiliorum, latissime patentium, deiectio! quam insignis clades hostium publice triumphatorum! quam gloriosa Christo spiritus illius arrogantissimi, quem sibi principatus isti sumerent, depressio! & quae & quanta sunt illa commoda, quae hanc victoriam in visibili mundo consecuta sunt, qualia sunt ex infinite multis ista manifestissima & celeberrima: Religionis Christianae firma & stabilis in terris constitutio & erectio, celerrima per omnes mundi plagas propagatio, (Col. I. 23.) variorum im-

impedimentorum, immo ferramentorum, quibus palatium suum firmatum existimabat hostis, irruptio & demolitio, idololatriae destructio, iudaicae ἀπιστίας illuminatio, fidelium in fide confirmatio, & ad finem vsque vitae, saepius periculosissimae, sustentatio & inde proficiscens perseuerantia, (Joh. X. 28. 1 Petr. I. 5.) è sanguine martyrum noua prosiliens confessorum & fidelium soboles, ita, vt saepius fit, etiam hîc aduersarii machinationes in suam ipsius perniciem, regnique tenebrarum damna notabilissima terminarentur; Oraculorum gentilium iam obmutescentium silentium, & ea consulentium minor subinde & decrescens quotidie numerus, vt suo iam tempore Plinius Ep. L. X. ep. 97. desolata prope templa & sacra sollemnia diu intermissa quereretur; operum diabolicorum dissolutio, & salutaris doctrinae per omnes terrarum fines amplior subinde & firmior sustentatio; barbariei & crassae superstitionis expugnatio; artium scientiarumque, inprimis philosophiae, defaecatio; spiritus maligni, adhuc in contumacibus vigentis & dominantis, peruersitati, opposita donorum Spiritus & extraordinariorum & ordinariorum administratio, vigens vbique eorum vsus, & omnium charismatum plenior œconomia; obsedendi homines, christianos maxime, quoad corpus, valde circumscripta, vel etiam nulla amplius potestas. Nuditas certe hostis deuicti in nulla re magis patuit, quam in euangelio, quod fremente hoste, omnibus machinationibus eius frustra exhaustis latius serpsit, & maiori vi & efficacia ad omnes orbis terrarum gentes peruagatum est. Hic ipse triumphus iam per tot millennia continuatus, plena hostis clade & aeterna pernicie terminabitur. Ad peractum iam triumphum, inquit b. Bengelius in Gnom. ad 1 Cor. XV. 25. eius residua pars victoriae se habet, vt ad orbem alicuius monarchiae humanae subiugatum, margo eius quispiam aut angulus. Victoria igitur de Satana, in morte Christi parta, in resurrectione declarata, in ascensione publice, omnium regni Dei inuisibilis ciuium oculis, ostensa, plena in se, & ratione meriti consummata, ratione adplicationis & exsecutionis est vel maiestatica, vel gratiosa, datur enim exsecutioni per homines & in hominibus, hinc suos accipit limites, prouti ab hominum fide vel ἀπιστία aut laxantur aut restringuntur. Non itaque omnem in homines potestatem demtam esse diabolo eiusque satellitibus putem, sed valde circum

scriptam,

ſcriptam, & ab hominum arbitrio vel extendi vel limitari ſolitam. Chriſtus enim hoſtes, quatenus Chriſti hoſtes erant, pridem deſtruxit, quatenus noſtri, eos deſtruet, non vero ſine aliquo conſenſu & concurſu hominum, quod etiam huius liberationis pars, prouti omnis redemtionis gratia, nemini obtruditur, ſed omnibus offertur, admittenda, continuanda, perſequenda.

§. 13.

3) per pugnam illam apocalypticam

Ad maieſtaticam victoriae Chriſti, in morte partae, perſecutionem, pertinet etiam ſine dubio inſignis illa & notabilis *clades*, quam perpeſſus eſt Satanas cum ſuis copiis ab Michaele archangelo eiusque angelis, (Apoc. XII. 1 - 12.) quam pro ingenii modo paucis obſeruationibus illuſtrabimus.

1) Pugnam hanc proprie & litteraliter accipere, nil omnino obſtat, cum alia id genus certamina inter bonos malosque angelos in ſacris litteris commemorentur, & arctiſſimus inuiſibilium cum viſibilibus intercedat nexus. (Dan. X.) Per tres ſeptimanas, in quibus inſcius rerum momentoſiſſimarum, quae tum agerentur, Daniel in inſignem precum ardorem & luctam introducebatur, princeps regni perſiae reſiſtebat angelo bono, ſine dubio, iſraëlitis illaturus noxam, in quo tempore Daniel in luctu erat ter ſeptem dies, nec pane veſcens, nec victu carnis aut vini, nec vnguentis vtens, toto illorum ter ſeptem dierum ſpatio. Exactis his ter ſeptem diebus angelus victor in perſia Danieli ſplendido adparatu & laetabili magnificentia adparuit ℣. 5. 6. Agebatur igitur in inuiſibilibus de ſtatione apud perſiae reges, vel malo vel bono angelo, iure victoriae concedenda; malus ſine dubio omni intenſa opera ſtationem adfectauit, inuiſibili ſua vi & poteſtate animum regis, regnique procerum flexurus & contra iſraëlitas irritaturus, cui vero bonus praeualuit, a Michaële confortatus. Qua re factum eſt, vt boni angeli, ceu legati Dei, inter perſas ſtatio confirmaretur, & iudaeis a perſiae regibus nil mali inſtare, haud obſcure ſignificaretur. Euentum, qui in terris inde prodiit, cernere licet in reaedificatione templi, vrbisque reſtauratione, in hiſtoria Hamani & Mardochai, & in iis omni-

bus, quae libri Esrae, Estherae, & Nehemiae exhibent. Nec illud, quod notemus, indignum videtur, preces piorum vel caussae, cur solito sint ardentiores, ignarorum, saepissime coincidere cum maximis rebus, quae in curia caelesti agantur, quemadmodum hic Danielis ardor precum & lucta angelorum pari passu ambulant. Poëtice tantum & figurate haec dici, vt Ill. MICHAELIS docet *Erkl. Brief an die Hebr. p, 130 f.* vix putem, cum scriptores sacri in iis rerum gestarum narrationibus, quas in litteras, retulerunt, nec ingenio nec eloquentia placere lectoribus studeant, & simplicissime ea, quae facta sint, soleant proponere. Nec in eo ipso, quod Deus certis quibusdam prouinciis & regnis angelos praefecerit, quod Satanas, Dei simia imitatus sit, absurdi quid & Deo indigni inueniunt multi. (Hebr. II. 5.) Forsan, inquit Dign. GRIESINGER l. c. Deus „ postea demum, quum Diabolus mundi nostri per peccatum poti- „ tus erat, angelos bonos eorumque ordines singulos singulis tellu- „ ris nostrae locis, prouinciis, rerum generibus & ipsi etiam ho- „ minum genti praefecit, tum vt globo huic ab spiritibus homoge- „ neis tantum commodi ac beneficii redderetur, quantum detrimen- „ ti allatum ipsi a diabolo esset, tum vt malis, ne vastitatem nimiam „ efficiant, vires spirituales bonae resistant. Forsan homines, non „ prius, quam tirannidi satanicae subesse & decoctis viribus concrea- „ tis alieno indigere praesidio coeperunt, custodiae angelicae com- „ mittebantur. Vt enim hominum quisque magis indiget, ita eum „ frui magis tutela angelorum, & hinc pusiones ab ipsis praecipue „ custodiri, è sacris litteris euidens est. „ Prophetiae, visiones, adparitiones a poetarum fictionibus & allegoriis, ad libidinem vsque excogitatis, infinite distant & multum abhorrent. Aliud eiusmodi certaminis exemplum idem nobis sistit Archangelus, de corpore Mosis cum Satana disceptans, (Jud. ỽ. 9.) conf. §. 3. C. II. Accedit & illud, quod proprie haec pugna explicanda sit; Scripturae familiare saepius est, ea, quae in terris geruntur & ad terram spectant, impropriis verbis describere & caelestia propriis, statui nostro peregrinationis valde adcommodate & adposite, quod pluribus ostendit Ven. ROOSIUS *Einl. in die bibl. Gesch. von Adam — Abraham, Vorr. p. IX - XXIV.* & boni quisque & religiosi interpretes numquam non praecipiunt, interpretationem omnem, vt magis habeat facilitatis

notam, & sit eiusmodi, vt cuilibet, diligenter attendenti, sponte venire in mentum debuisse videatur, ita magis plerumque veram esse. Proprie igitur h. l. Michaelem, Draconem, caelum, sumi debere, nec allegorice, his, quae diximus, recte expensis, facile cuique patebit. Moratur recentiores inprimis commoratio Satanae in caelo, quam cum plena de eo reportata Christi victoria, cum caeli beatis sedibus mansionibusque conciliare nequeunt, conf. S. R. ERNESTI *Neueste Bibl. T. I. p. 416.* Nec vero hic vnicus superest locus, in quo statio quaedam Diabolo in caelis adsignatur; idem ex Joh. XII. 31. Hiob I. 6. II. 1. Eph VI. 12. manifestum est; his omnibus locis si quid proprii inest, quod cur dubitari debeat, non video, impudenter religiosissimae se intrudebat sanctorum panegyri, & sanctos criminabatur apud Deum. Tam vere igitur fuit in caelis, in quibus post hanc pugnam nullus ipsi amplius locus supererat, id quod laetissima omnium caelitum adclamatione excipiebatur, ℣. 12. quam est in terra, erit aliquando in abysso & in stagno ignis. In summa, inquit b. BENGELIUS in Gnom. ad Apoc. XX. 2. accusatio Satanae in caelo, furor in terra, per spatium millennio breuius, captiuitas in abysso, per mille annos, & post seductum Gog & Magog cruciatus in stagno ignis, in saecula saeculorum, ita inter se succedunt, vt nullum horum, cum altero coniungi, nullius ordo traiici possit. Omnem Scripturae perspicuitatem neget, qui hoc negare perseueret, ac refutare conetur. „ Agnoscit idem b. CRUSIUS in progr. de caelo per aduentum Christi commoto, P. II. „ locum tamen qualemcunque in caelo retinebat, commeans illuc, potissimum ad sollemnes πανηγύρεις s. congregationes, & in terram remeans, quem, cum propinquitate ad thronum, qua sancti angeli fruuntur, non comparandum, regnante Christo non retinuit, (Apoc. XII. 7.) sed post grauem cum archangelo & eius copiis pugnam in terram praecipitatus est — Testimonio Dei credere conuenit eiusque sanctitati & bonitati confidere, nec vmquam opinari, quod Deus nostro periculo nimis erga Daemones indulgens sit, sed credere, quod iustas indulgentiae caussas habeat, quas in rerum caelestium & systematis spirituum ignoratione nos nondum capimus. (*)

 II) Accu-

(*) Quicquid sit de hac pugna, quaecunque hypothesis ad eam declarandam assumatur, proprie aut improprie explicetur, caelum siue figurate intelli-

II) Accusarat adhuc Satanas fideles coram throno Dei, varia ipsis easque odiosissimis nominibus exprobrans, ℣. 10 quâ vero caussa iustissime excidit contra victores in sanguine agni ℣. 11. & haec ipsa sententia exsequenda datur Michaëli, eiusque copiis, a quibus in

intelligatur, siue non, Michaël sit, ἀρχάγγελος, & Satanas, necesse est. Alias nec in visione, sub quocunque emblemate, repraesentari potuissent. In mira illa sententiarum diuersitate, qua interpretes Apocalypseos inter se distant, id, puto, conceditur ab omnibus, describi C. XII. singularem aliquam persecutionem ecclesiae, Satana duce & concitatore illatam, cui Deus, ne latius serperet, pro sua in ecclesiam cura & prouidentia cauerit; ad Satanam in suis erga ecclesiam machinationibus euertendis vti Deum ministerio bonorum angelorum; Satanam hoc illoue consilio frustratum statim molire aliquid noui, instare ex alio latere, nec cessare vnquam, etiam in hac pugna decessisse inferiorem; peccatorum hoc modo impletâ mensurâ accelerare iudicium ultimum, eiusque grauitatem exasperare. Hæc si concedantur, satis præsidii tractationi nostræ ex hoc loco, vti omnis apocalypseos, ἀνενεύτῳ accedit. Illud vero ne minimam veri speciem habet, quando auctor anonymus: *Versuch einer bibl. Daemon. p. 171-182.* Diabolum, Satanam, Draconem, serpentem antiquum, de imperio quodam, e. g. Romano, ecclesiae ante Constantinum M. valde molesto, interpretatur: *Der grosse rothe Drache — bezeichnet ein mächtiges heidnisches Reich — das seine fürchterliche Macht Christo und seiner Kirche entgegensezte: — Die römischen Kaiser und Obrigkeiten widersezten sich der christlichen Kirche gleich anfangs, und suchten ihre Kinder, gleich nach der Geburt, zu vertilgen — die wahren Glaubigen sind der Sohn der Kirche, Gott hat sie in seinen Schuz genommen, und zu den höchsten obrigkeitlichen Würden erhoben.* ℣. 7-9. commoratione Satanae in caelis maxime offenditur auctor, *es ist nichts widersinnischer und alberner, als, daß Satan dazu im Himmel bleiben müßen, damit er, die Heiligen auf der Erden, bei Gott verklagen konnte. — Der Kampf, die Zwietracht der heidnischen und christlichen Religion ist durch einen Streit im Himmel, zwischen den Engeln der Finsterniß und den Engeln des Lichts vorgestellet. Michael und seine Engel bedeuten die Vertheidiger der Wahrheit, der Drache und seine Engel, die Verfolger desselben, die Vertheidiger des Aberglaubens und des Irrthums. Der Himmel — ist die Religions-Verfassung — des Drachen Engel sind die römische Unterobrigkeiten, Statthalter, Philosophen, Gözendiener und Sophisten — Die christliche Religion erhob sich immer — und ihre Vertheidiger herrschten so gar auf dem kaiserlichen Thron: die heidnischen Priester wurden mit ihren Gözen ein Spott — wegen der* List *und des Betruges wird das Heidentum* die alte Schlange, *wegen der Lästerungen, Verläumdungen, falschen Anklagen und übrigen Verfolgungen der Christen, der* Teufel *und* Satan *genennt —*

℣. 12.

in terram è ſuperis regionibus deturbatus, Vae illud tertium, omniumque grauiſſimum ciere anniſus eſt; ſiſtitur hoc modo in vltima tuba vae huius tertii occaſio, nimirum deiectio Satanae è caelo & mulier, filium parturitura, omnes gentes virga ferrea paſturum, quae duo phaenomena pari paſſu ambulant, & ſpecimen ſunt ſimultanei illius, cuius varia exempla in Apocalypſi obuia obſeruat b. BENGELIUS *Einl. in Erkl. Offenb. §. 19. p. 84* quae vero etiam viam ſternunt laetiſſimae illi & Domino glorioſiſſimae acclamationi, per ingentes illas voces concelebratae, regna mundi Domino noſtro & Chriſto eius obtigere, hicque regnabit in aeternitates aeternitatum. ℣. 10. Eodem igitur modo etiam iam hic victus eſt Diabolus in ſuis contra ſanctos accuſationibus, quemadmodum in certaminibus contra ipſum Dominum, videlicet via iuris & facti, prouti ſupra in morte & exaltatione Chriſti factum eſſe vidimus, (Joh. XII. 31. Eph. IV. 8. Col. II. 15.) Noua illius eaque continua delicta nouum illi & triſtius ſubinde domicilium parant. Accuſator ſanctorum in terram, beſtiae vtriusque auctor concitatorque in abyſſum, Gogi & Magogi dux in ſtagnum ignis deiicitur, & depreſſio haec Satanae per gradus, variaque iudicia oeconomiae diuinae tantum abeſt, vt repugnent, vt potius adprime illi conueniant, & mirifice illam illuſtrent, in inſigni illa

℣. 12. ℣. 31. *Je mehr ſich die Vertheidiger des heidniſchen Aberglaubens verachtet ſahen — deſto heftiger verfolgten ſie die Chriſten, ſonderlich die ſich in niedrigen und armen Umſtänden befanden. Wehe denen, die auf Erden, (in armen niedrigen Umſtänden) wohnen, und auf dem Meer (auf den Inſeln entfernt von der höchſten Obrigkeit) denn der Teufel (der heidniſche Aberglaube mit ſeinen Vertheidigern und ihren Verläumdungen und Läſterungen) kommt zu euch hinab — Zeit hat. Das Heidentum kam ſeinem Ende recht merklich immer näher.* Poſito, minime conceſſo, Michaëlem, & Satanam h. l. improprie ſumi & figurate, nec tamen vtrumque exſiſtere, quam abſurde haec omnia dicerentur, figura & ſimili ab iis deſumtis, quae plane non ſunt, nec cogitari poſſunt Nec vllus locus ſimilis datur, in quo vocabulo Satanae notio plurium Deorum cultus, idololatriae, religionis gentilis ſubiiciatur. Haec omnia in gratiam hypotheſeos dicuntur, nec vllo probabili argumento nituntur, nec ipſi hiſtoriae profanae conſentanea ſunt, barbaros ad delendam religionem chriſtianam, in imperio romano ſtabilitam legibusque firmatam, ab iis allectos & prouocatos eſſe, qui ſuperſtitionis gentilis tenaciores eſſent, eamque ſub imperatoribus chriſtianis tuerentur.

illa longanimitate, qua erga homines peccatores vtitur benignissimum Numen, satis quoque conspicuam.

III) Ad varias τέχνας & machinationes Diaboli recte cognoscendas & detegendas valet etiam illud, quod hoc loco inprimis fecit, hostem hunc arcem caussae, & id quod caput est & praecipuum adgredi. Adortus Dominum ipsum, sed superatus, inuadit & accusat sanctos, ab his quoque sanguine redemtoris pudefactus, regnum Christi in terris quouis modo impedire & sufflaminare contendit; masculum a parturiente vix enixum, mox deuoraturus, quo ad thronum Dei recepto, persequitur mulierem, & hac in deserto nutrita, reliquos eius seminis vexat, etiam in his votorum suorum non compos in iis, qui ἐπίγεια φρονοῦσιν, & bestiam adorant, requiescit. Ex his planum est & perspicuum, id agere Satanam, in id omnibus intensis viribus anniti, vt regnum Christi sub septima tuba in pleno vigore stabiliendum, & ad omnes orbis terrarum gentes peruasurum, quouis modo impediat illiusque progressibus obstet. Magna igitur illa seductio, qua tertiam partem stellarum caeli secum detractam in terram deiecturus praedicitur, (Apoc. XII. 4.) formidabilis est & in notabili illa & satis manifesta ἀποστασίᾳ a plena fidei vi & ἐνεργείᾳ conspicua, quae alias ● christianis primaeuis, in admirationem omnium & stuporem vsque, enituit, inprimis, si computo temporum bengeliano sua fides constet, Anno Christi 840. incepta & per infausta illa saecula continuata.

§. 14.

4) Per captiuitatem mille annorum in abysso.

Bestia, falsoque propheta submotis, ordo iudiciorum diuinorum ducem & facem tot calamitatum, & regno Christi adhuc per tot saecula funestissimarum catastropharum tangit, Diabolum, (Apoc. XX. 1-3.) cui captiuitas mille annorum in *abysso* praedicitur, quae certe periodus, capitali hoc hoste, ab nequitiarum suarum exercitio excluso, ecclesiae Christi non potest non esse laetissima, prosperrima, & omnium iucundissima. Sic demum tranquilla erunt omnia in terris, Diabolo gentium decipiendarum si nulla amplius supererit copia; tum florebit regnum Christi & tot vaticiniis in omni sua vi &

am-

amplitudine impletis euentuque comprobatis, piorum exspectatio communis erit laetitia, sic spes meliorum temporum tandem coronabitur, & euentu illi non modo exacte respondebit, sed eandem multum superabit; tum non habebit vllus, quod queratur: o longas & vanas spes! Regno certe Christi, nisi me omnia veteris nouique testamenti fallant indicia, talis periodus, talis manifestatio instat, qua omnia regna mundi Domino erunt & vncto eius. Hic certe chiliasmus, sanus & verbo diuino consentaneus ab expressa promissione diuina, (Apoc. XX. 1-3.) a naturali verborum vi & significatione, a plurimis veteris Testamenti vaticiniis eam habet commendationem, qua vlla vmquam veritas prophetica emicuit; nec abusus huius doctrinae verum illius vsum & legitimum tollit. Scripturam mirifice torqueat, & foecundissimas latissimeque patentes eius promissiones ad minutos sensus redigat, necesse est, qui ab hac doctrina, nescio qua ratione & inani abusus formidine, alienum se profiteatur. Dixit aliquando b. WEISMANNUS *in diss. priuilegium populi christiani & iudaici* &c. p. 27. n. 1. ,, quisquis statuit cum Malebranchio, Diabolum in hoc mundo nullam exercere potestatem, quoniam is pridem ab angelo caeli catenis vinctus, in abyssum detrusus fuerit, in fine mundi demum inde emersurus, (Apoc. XX. 1. ss.) is ostendit, se infelicem esse apocalypseos interpretem ,, pari modo eodemque fundamento nixus dixerim, quisquis hoc millennium vel ad Constantini M. tempora, vel ad publicam sacrorum emendationem, Lutheri ministerio factam, quod b. ZELTNERUS fecit diss. 1716. *de chiliasmo praesenti*, is plane ostendit, se infelicem esse Apocalypseos interpretem; Et ordo prophetiae & varia iudicia antegressa, hostes huic periodo obstantes sublatura, & harmonia vaticiniorum veteris testamenti longe aliud suadent postulantque. Voti igitur illius, quod b. WEISMANNI fuit in diss. *Apocalypseos excellens doctrina fidei & morum*, p. 27. ministerio b. BENGELII compotes nos esse factos, insigniter laetamur: ,, Vtinam, inquientis, vel tandem ea cognitionis & lucis mensura aetati nostrae obtingeret, per quam illa sacrarum litterarum testimonia, quae vltimam mundi aetatem vt pessimam & corruptissimam describunt, & cum aduentu Domini coniungunt, nec minus altera illa, in quibus magnifica & illustria regni Christi phaenomena nouissimae saeculi huius consummationi

densis

densis & confertis in eam rem doctrinis praemitti videntur, saltem quoad rem ipsam, (quis enim plura hic facile requisiuerit?) ad suauem, perspicuam & satisfacientem omnibus bonis & sapientibus harmoniam redigantur.,, Nam distingue tempora & concordabit scriptura; distingue, inquam, hos mille annos captiuitatis in abysso, vbi in terris, hoste capitali, lerna malorum, submoto, tranquilla erunt omnia, ab illo parui temporis spatio, (Apoc. XX. 3.) in quo solutus carcere Satanas per seductionem Gogi Magogique vltimum accelerabit iudicium, & testimonia Scripturae de laeto optabilique, simul, vero etiam tristi & calamitoso nouissimi temporis statu amicissime conspirabunt. Nec hoc modo dicam nobis scripserit facile rei gnarus & intelligens iudex, quasi hoc chiliasmo adstructo articulum XVII. Aug. Conf. transgressis, nec enim omnem ibi proscribi chiliasmum, sed mere carnalem, iudaicum, vanum illud commentum, multi ante nos solide demonstrarunt, e. g. PAUL ANTONIUS in Coll. antith. p. 935. GOD. HOFFMANNUS in Comm. ad A. C. p. 304. ss. BENGELIUS in *Erkl. Off.* p. 945. s. Accedit & illud, quod foecunditas, profunditas, & ingens latitudo plurimorum vaticiniorum in iis, quae sub initia N. T. contingere, non exhauriantur, conf. & expende Jes. II. LX. LXI. LXV. LXVI. (*)

§. 15.

(*) In postremis his iudiciis, Diabolo futuris, idololatriae, superstitionis, irreligionis finem exitumque videt Anonymus l. c. pag. 183. *Gott wird die herrschende Bosheit, Blindheit, und Lasterhaftigkeit der Ungläubigen, die von je her der Warheit Hinderungen entgegen gestellet, und sie verfolget und gelästert haben, d. i. den Drachen, die alte Schlange, den Teufel und Satan, durch seine treue Verehrer binden. Wir sehen bereits die Erfüllung. Die Macht des heidnischen und jüdischen Aberglaubens ist alles furchtbaren Ansehens beraubet — — dem Laster und Gottlosigkeit ist immer mehr gesteuret, so daß sie nicht mehr öffentlich und gewaltsam herrschen können.* ℣. 7. 8 Cap. XX. *Es soll aber die traurige Zeit wieder kommen, und vieleicht ist sie schon da gewesen, da sich die Macht der Finsterniß, der Warheit und ihrem Lichte sich ohne Scheu mit öffentlicher Gewalt widersezen und den Aberglauben mit öffentlicher Gewalt unterstüzen wird.* ℣. 10. *Alle offentliche und fürchterliche Macht des Aberglaubens und alle gewaltsame Verfolgung der Warheit, wird auf ewig vertilget, und* in

§. 15.

Vltimam denique eamque finalem ſtragem experietur Satanas in *ſtagno ignis* ardente ſulphure (Apoc. XX. 7 - 10.) & haec erit decretoria 5) Per iudicium ultimum.

in verſchiedenen offenbaren Feinden und Verfolgern der chriſtlichen Kirche zu ſteter ewiger Schmach und Schande verworffen werden —— *Teufel und Satan ſind in der Offenb. Joh. allgemeine Benennungen und perſonificationen, des Aberglaubens, des Unglaubens, und der Bosheit.* — Quid ſentis, lector ſcripturae reuerens! de his explicationibus, aut potius torturis, quales hactenus orbis, dum eſt, non vidit. Hoc modo ſcripturam interpretari videas eccleſiaſten, animarum ducem; nec interpretari tantum, ſed omnibus, qui ſapiant, vel conuiciis iudaicae ſuperſtitionis & nefandarum opinionum, commentorum, deliramentorum, angue peius & cane fugiendorum, obtrudere eas ſententias conantem, in ſingulis interpretationibus ſibi adplaudentem, & in gloriationem ingenii & perſpicaciae deſinentem, ne vlla earum firmo & ſtabili argumento firmatâ, ſed tamquam è tripode dictâ, ſine idonea probatione, leuiter & temere cum ampullis & ſesquipedalibus verbis proiecta. Declamationes vero declamationibus non rependamus. Haec teſtimonio ſint, ad quas manifeſtiſſimas torturas ſcripturae per hypotheſin ſuam abripiantur adaemoniſtae. Quis per omnia illa V. & N. T. loca, in quibus Satanae mentio ocurrit, a prophetis, ab ipſo Chriſto apoſtolisque iniecta, abſtracta quaedam & perſonae ſpecie repraeſentata vitia intelligat? & quaenam ſunt contradictiones, quibus ſe communioris ſententiae patroni implicant? Quænam ſunt præcepta hermeneutica, quibus hæc ab omni vſu loquendi aliena, & inſolentia, immo, quod in prima fronte gerunt, contortiſſima interpretamenta nituntur? Et quî, quando, quomodo ſuperſtitio, peccatum, prauitas, malitia, ad mille annorum ſpatium in abyſſum concluſa dixeris? Et his transactis, quando reuiuiſcere cœperunt? Haec omnia ſcripturæ ſumma vi inferuntur, nec, vt decet theologum, veritatis amore ductum, efferuntur. Redarguuntur hæc aliaque plura falſitatis, vel vno illo notiſſimo præcepto hermeneutico; Talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur eſſe a ſuis prædicatis. Repræſentantur regna, babylonicum, perſicum, græcum, romanumque variis emblematis, è regno animali deſumtis, leonis, vrſi, pardi, (Dan VII.) ſingulis horum animantium adfectionibus illorum regnorum ſtatui conuenientibus: ſed vel ſola horum locorum comparatio cum illis, quæ Apocalypſis C. XII. XX. de Satana habet, precario aſſumtæ huius hypotheſeos fundamenta ſubruit. Quis enim imperium romanum, in quacunque periodo, cum ſerpente, contulerit?

toria illa dies, vbi de omnium hominum angelorumque actionibus iustissime decernetur. (Matth. XXV 31-46.) Sic impleta Spirituum malorum mensura superabundabit, & reddetur vnicuique secundum opera sua. (Rom. II. 6-10.) Ad hunc finem tendit imperium Christi, in medio hostium administrandum, vt tandem fiant scabellum pedum ipsius, (Ps. CX. 1. Phil. II. 9-11. 1 Cor. XV. 25.) Hic pater nequitiarum cum suis apostolis, bestia falsoque propheta, eorumque assectis promeritas aeternasque luet poenas, ℣. 10. Apoc. XX. Hic brachium Jehouae in omni suo robore, & maiestatico infinitae potentiae vsu, manifestandum, coram omni creatura celebrabitur! Rex, iuramento in sancto Sionis monte inauguratus & confirmatus, (Ps II. 6-9.) euicto hoste, omnem suam recuperabit ditionem, latissime patentem in caelis & in terris, omni principatu; omni potentia ac potestate abolitis. (1 Cor. XV. 24.) Hic Dominus in viis suis, in quibus toties pro infirmitate nostra, & obtusa oculorum acie offendimur, coram tota Spirituum ciuitate, quaqua patet, iustificabitur, omniaque in ipsius laudem, virtutumque perfectissimarum celebrationem vergent: Vltima haec scena, vt fit, omnibus antegressis admirabilem adfundet lucem: Hic scandala, ex longanimitate diuina accepta, in summam optimi maximique regis gloriam desinent, & omnia ipsius opera laudem creatoris concelebrabunt, & eo perducentur, vt Deus sit omnia in omnibus, (1 Cor. XV. 28.) hostibus ita destructis, ut repugnare non valeant, sint debellati, imbelles, capti, supplicio adfecti, sub pedibus Domini nostri prostrati, quemadmodum de terrae canaaniticae regibus relatum legimus, (Jos. X. 24.) Hic peccatum & mors & infernus, quique in his dominatur, Satanas, a quibus oppugnati toties ingemiscimus, victi ad ἐπινίκιον illud, in omni sua vi vt personare possit, exstimulabunt prouocabuntque. Πȣ̃ σȣ, θάνατε, τὸ κέντρον; πȣ̃ σȣ̃, ᾅδη, τὸ νῖκος; (1 Cor. XV. 55) Quam illustris tum adparebit sanctorum dignitas, vel angelos iudicaturorum? (1 Cor. VI. 3.) a quibus toties impetiti, tentati, vexati, accusati numquam plene succubuere, sed sanguine filii Dei abluti, animo corporeque purificati, rerum spiritualium mira cognitione imbuti & aucti, & supra mensuram, statui gratiae conuenientem, illuminati de mundi illiusque principis moliminibus recte & sententiae supre-

premi iudicis conuenienter statuent, non modo testes & adprobatores, sed etiam in suffragiis suis ferendis veri iudices. Deuictio quidem, condemnatio, pudefactio & repressio regni diabolici, durante hoc mundo, immo durante potius regno gratiae inchoata, & per notabiles vitae spiritualis periodos & illustres victorias continuata est, sed quilibet tum triumphi, Deo & Saluatori illiusque genuinis discipulis honorifici, non modo consummabuntur, sed etiam manifestabuntur in contumeliam Satanae, huiusque tiranni pudorem, in laudem Seruatoris, Sanctorumque salutem, & augmentum gloriae illustrissimum & magnificentissimum.

§. 16.

Liberatum iri aliquando, post multorum aeonum decursum, ex hoc vltimi grauissimique supplicii loco, & naturam angelicam, diabolica vitiis peruersitatibusque expurgata, primaevae integritati restitutum iri, inde ab ORIGENE statuerunt multi, ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονοῦντες, sine dubio ex argumentis, è ratione magis, quam reuelatione ductis, eo ablati. In vexatissimum illum locum de *ἀποκαταστάσει πάντων*, non descensuri, paucis quibusdam obseruationibus, omnem hanc rem pro instituti ratione expediemus, ad cetera disputationis capita progressuri. De restitutione Diaboli.

I.) Historiam huius dogmatis pertexere instituit Ven. D. JOH. AUGUSTIN. DIETELMAIR, in *Commenti fanatici de rerum omnium ἀποκαταστάσει historia antiquiori*. Altd. MDCCLXVIIII. in qua vero vltra Saec. XIII. nondum progressus est, & alteram partem, proxime, si promissis steterit Vir Cel. edendam, iure desideramus. Addimus his id vnum, dogma hoc nostra aetate plures nactum esse patronos, qui id publice profiteri, litterisque propagare, argumentisque firmius munire non verentur: conf. Auct. *Güldene Zeit* P. I. II. III. BASEDOUIUM in philalethie p. 539-552. S. R. D. BÜSCHINGIUM in *den allgemeinen Anmerkungen über die symbolische Schrifften*, p. 92. s. Ven. LAVATERUM in *Aussichten in die Ewigkeit* T. III. p. 275.

275. f. EBERHARDUM *in der Apologie des Sokrates* &c. p. 371. Cel. C. F. BAHRDTIUM, *in dem 44 Brief über die systematische* Theologie p. 273-279. conf. etiam, quae de hac materia Theodicaeae inseruit, LEIBNITIUS §. 266-274.

II) Si quid iudicando assequi possumus, rationes, e rationis lumine ductae, praeualent illis, quae ex reuelatione proferuntur, neque tamen illae rem conficiunt, quod dudum demonstrauit C. M. PFAFFIUS in diss. de *perpetuitate poenarum infernalium ex ratione neque refutabili, neque demonstrabili.* Tub. 1748. cum vindiciis; dissertationi de inuocatione S. Christophori ad largiendos nummos, 1748. annexis p. 27. f. Ceterum, quam infirma sint & longe petita argumenta, quae inprimis pro restitutione diaboli malorumque angelorum a Petersenio sociisque afferuntur, pluribus exposita & plus iusto refutata vid. in DAN. PFEFFINGERI, Argentoratensis Theologi, diss. de restitutione diabolorum, 1708. Argent. p. 18-48. J. C. PFAFFII sylloge quaestionum theologicarum denuo tritiorum p. 89-94. Ej. disp. inaug. de fine oeconomiae Christi, ex Cor. XV. 24. cum vindiciis ab J. W. PETERSENII animaduersionibus. Tub. 1713. Si restitutio hominum damnatorum a restitutione Diaboli malorumque angelorum seiungeretur cogitatione, pro illa non exigui ponderis argumenta passim, maxime e f. litteris, e dogmate de gratia vniuersali, è munere sacerdotali Christi in aeternum duraturo, adduci solere putem, cum in hac maxime medium deficiat & ignoretur, per quod eiusmodi restitutio Diaboli perfici possit, nec poenae in se & vel acutissimi dolores id efficiant, vt potius pari iure contrarium operari posse existimari queant. Sobrie de omni hac caussa sentiunt & PFAFFIUS & WEISMANNUS: „Nec tamen quis negauerit, si demonstrari potest, gratiam Dei vniuersalem εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων valituram, nec praesenti tantum vitae inclusam esse, non parum inde subsidii (in doctrina de origine & permissione mali,) esse exspectandum. Ceterum (inquit b. PFAFFIUS,) multa omnino circa praedestinatianismum, circa originem mali, quae subnascuntur dubia, quae & facile contra attributa diuina homini rationali suboriuntur, multa, inquam, dubia hoc systema solueret, vnde & JOH. CLERICUS contra Baelium, & JOH. TILLOTSONUS contra

contra incredulos id tantisper assumsere, si saltem id ἐξαγώνιον esset. conf. WEISMANNUS diss. I. inaug. p. 45. sq. Ad problemata exegetica si quis igitur omnem hanc caussam amittat, non male fecisse putandus est. Fortasse successu temporis, & maiori cognitionis mensura ecclesiae diuinitus dispensata, in hac quoque caussa clarius videbimus perspicaciusque, die illucescente & phosphoro in animis nostris oborto. (2 Petr. I. 19.) Illud quidem haud temere coniectare licet, Satanam cum omnibus Christi hostibus eandem experturum esse sortem, vt ad pedes Domini dominantium prosternatur, & huius regis regum maiestatem inuiolabilem & sanctam, nolens, volens agnoscat & reuereatur, (Ps. CX. 1. Matth. XXII. 24. 1 Cor. XV. 25. Ebr. II. 8.) illud vero beatitudinem nondum inuoluit.

§. 17.

Rationes longanimitatis diuinae in tolerando hoc hoste.

Superest vnica quaestio, quam hic mouere non superuacaneum duxi. Adstruximus hactenus plenam victoriam, ab infenso hoc Deitis hominumque hoste a Christo in morte partam §. 7. 8. 9. in descensu ad inferos & exaltatione gloriose demonstratam §. 10. 11. 12. a Michaële archangelo continuatam §. 13. in millennio exsecutioni dari cœptam §. 14. & in die pantocritico absolutam & perfectam. §. 15. Iam cur supplicium hoc vltimum in diem vniuersalis iudicii differt Deus? Nonne satius fuisset, hunc tot malorum coryphaeum è theatro rerum humanarum submoueri, & promeritae pœnae longe citius addici? quam infinite multa cum eo malorum genera praecisa fuissent, & series omnis abrupta, qua tot mala, & peccati mancipia concatenata sunt? quot scandala, ex hac longanimitate diuina vulgo accepta, vno halitu absorpta, & è medio sublata fuissent? Digna omnino est haec quaestio, ad quam exacte respondeatur. Si quid in œconomia diuina ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι ὁδοὶ αὐτοῦ (Rom. XI. 33.) probat, certe id facit patientia & longanimitas, qua continuata huius hostis molimina tolerat Deus. Sapientia, qua cum hoste hoc agit, admirabilis est, & nobis mysterii plena, quoad maximam partem futuro saeculo, vbi omnes hostes Christo subiacebunt scabellum pedum ipsius, reseruata. Interim in hoc etiam difficili & spinoso loco ne succumbamus, & viarum Do-

mini attenta consideratione laqueis humanae sapientiae irretiamur, verbum Dei omnibus id in timore Domini scrutantibus opitulatur, & talia nobis argumenta suggerit, quibus suspensus animus figi, & conscientia tranquillari potest. Non repetemus, quae iam WEISM. in Institt. theol. p. 413. in medium attulit, ἀπολογίας Dei in hac re specimina. Vnum alterumue meditantibus nobis subnatum addere liceat. Arbitrio diuino, quod in omni religione constituenda venerari debemus, saluo, consentaneum videtur sapientiae summae, seducti̇s prius auxiliari, quam punire seducentem, qui quidem, vt vidimus §. 9. ss. a primis peccati seductionisque protoplastorum initiis iudicium, a peccati natiua vi & indole numquam diuellendum, incurrit, quod constitutis sapientissime & liberrime periodis oeconomiae diuinae exsecutioni datur. Adde etiam illud, quod omnia ipsius molimina contra Deum hominesque, quot & quanta sint, in maiorem ipsius contumeliam pudoremque & ampliorem Christi fideliumque gloriam desinant. Permittit Deus sapientissime, vt omnia malitiae machinationumque suarum fraudumque genera profundat, certior ita futurus, non inique secum agi, sed secundum exactissimas iustitiae leges, nec in simili culpa aliam esse Dei in se, quam in homines sententiam. Nullum igitur est dubium, quin huius quoque hostis peccatorum certa quaedam mensura sit, quae si adimpleta fuerit, iudicium accelerabit. Nec est, vt quis victoriam Christi opponat; vicit enim Diabolum, quoad se suosque, sed ita, vt adhuc sui quasi iuris sit & Christi tributarius, ingentem animarum summam quotannis Christo victori, quamuis inuitus, cedens. Nec status probationis, in quo in his terris versamur, & ecclesiae militantis natura, plenam huius hostis remotionem & abolitionem admittere videntur. Etiam in hac re & tot illustribus triumphis, qui ab illo reportantur, principatibus & potestatibus in caelis declaratur per ecclesiam ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ (Eph. III. 10.) Permittit igitur Deus, vt vires suas in hoc mundo experiatur, & lictor quasi sit in ecclesia, per quem mali & infideles, aut relapsi puniantur, quemadmodum incestuoso illi homini minatur Paullus, (1 Cor. V. 5) παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, & de Hymenaeo Alexandroque (1 Tim. I. 20.) constat, Satanae traditos esse ab apostolo, vt castigen-

ſtigentur, quo minus veritatem ſalutarem conuiciis proſcindant. (*) Piis vero, vti omnia in hoc mundo, tantum abeſt, vt damno ſit & noxae, vt potius ipſis ad bonum cooperetur, (Rom. VIII. 28.) & ſi filius Dei incarnatus eius tentationi ſe ſubiicere non dedignatus eſt, a ſpiritu ideo ductus in deſertum, eamque feliciter ſuperauit, & noſtram quidem in ſalutem & exemplum ſuperauit, §. 5. ſponte ſua ſequitur, nolle quidem nos Deum, in tempore longanimitatis & patientiae ſuae, tentationibus Satanae ſubtrahere, & vocationem noſtram nos eo ducere, non tamen velle, vt ideo murmuremus adverſus rationes regiminis diuini, ſed potius ad ſancta cum regno Satanae certamina, & parem victoriam ſub auſpiciis illius Saluatoris contendamus, qui quidem venit ad deſtructionem operum Satanae, ſed eam nonniſi gradatim exſequitur, ex cordibus primum eum eiiciendo, deinde etiam exterius ad conſummationem ſui de Satana triumphi maieſtaticam proceſſurus. Quid igitur ſobrietatis ſtudium, & vigilantiam fidelium continuam magis acuat, quid precum ardorem ma-

(*) De hac traditione in poteſtatem Satanae interpretes ſibi non conſtant, & in varia ſententiarum diuortia abeunt, nonnullis e. g. BEVEREGIO, ESTIO, FECHTIO, MARCKIO, S. R. SEMLERO in paraph. 1 Cor. Ep. de ſupremo excommunicationis eccleſiaſticae gradu eam intelligantibus, qui phraſi iudaeis familiari, prouti exempla ex LIGHTFOOTO & WETSTENIO allata probare videntur, expreſſus ſit; aliis contra SELDENO, LIGHTFOOTO, MOLINAEO, VITRINGA, SAM. BASNAGE, CAUEO, CLERICO, PFAFFIO, quibus addere licebit S. Ven. D. ERNESTI *Neueſt. theol. bibl. T. I. p. 507.* de ſingulari apoſtolorum poteſtate eam explicantibus, qua efficere potuerint, vt infernalis genius malitioſis hominibus morbos plagasque corporis inferret. Nam praeter apoſtolos nemo illa vſus legitur. Nec ſine grauiſſima ratione apoſtoli territarunt homines, immiſſis hoc modo morbis & intentata morte, (Act. V. 1-11.) ſed rariſſime factum eſt, nec potuiſſet frequenter fieri, quin calumniandi grauem anſam incredulis praebuiſſent. Poenae hae miraculoſae, primis illis temporibus adprime conuenientes, peccatoribus quibusdam (1 Tim. I. 10. Act. V.) ab apoſtolis ob ſcandali noxaeque grauitatem inflictae, ad ἐνεργήματα δυνάμεων recte referuntur. (1 Cor. XII. 10.) Abuſum huius poteſtatis in PP. RRis vid. in diſſ. J. J. GRIESBACHII: Locos theologicos ex Leone M. P. R. ſiſtente p. 74. not. 64.

magis accendat, quid spiritualis armaturae cupidiores reddat, quid singulatum virtutum christianarum incontinentiae huius hostis oppositarum, indefessum studium exerceat magis, quid lautioribus praemiis digniores reddat, quam felix quidem cum hoc hoste & fortiter decertata pugna. (1 Pet. V. 8.) Paullus in paradisum vsque raptus & ineffabilia verba audire dignus habitus, certamen & adflictionem ab hoc hoste perpeti sustinuit, (2 Cor. XII. 7. 8) (*) vt in fine curriculi & metae praeclarum illud ἐπινίκιον celebrare posset, (2 Tim. IV. 7. 8.) Haec recte considerata, neque indignum Deo esse, neque iniustam hanc malorum spirituum tolerantiam ostendunt, nec enim aliquid possunt, nisi homines velint, & pectoris sui ianuam aperiant ipsi, (Joh. VIII. 44.) & satis firma, immo insuperabilia homini praesto sunt praesidia, quibus ab eorum malignitate caueri potest, (Eph. VI. 10 - 17. Luc. XXII. 31. 32.) nec ipsi operationum suarum perniciosissimarum terminos & fines figere possunt, sed in operando a permissione & regimine Dei dependent, (Hiob I. 12. II. 6) ipsiusque consilio inscii & inuiti subseruiunt. Quemadmodum olim populis Assyriis, Babyloniis, Syris, Aegyptiis, Romanis vsus est Deus, tanquam virga populi sui castigatoria, quae vbi officio functa est, ipsa abiecta, concremata & exitio data est, (Jes. IX. 4. X. 5.) ita idem fatum eundemque exitum nanciscetur Satanas, cuius continuis sollicitationibus, tentationibus, & ad relapsum instigationibus, Deus suos continet in officio, ab omni securitate praemunit, & ad omnium bonorum operum exercitium strenuos reddit & indefessos. Accedit etiam illud, quod sapientiae diuinae, & liberrimo arbitrio constitutum fuerit, arrogantiam & superbiam Diaboli intumescentem paruu-

(*) Quomodocunque hic σκόλοψ & colaphi explicentur, vel de cephalalgia vehementissima, vel de insigni furore libidinis, in membris excitato, vel de aculeatis arthriditis doloribus, vel de persecutionibus inimicorum quorundam, Paullo inprimis infestorum, vel de nephriditis vehementibus συμπτώμασι, non tamen ab hac vel illa sententia, vti S. R. D. TELLERUS in *WB. p. 112.* & *in Zusätzen p. 18-22.* fecit, cooperationem quandam diabolicam abesse putem, nec Deo, nec apostolo indignam, inprimis cum alia, Hiobi e. g. exempla suppetant eiusmodi adflictionum, ope Diaboli sanctorum corporibus inflictarum.

paruulis illis deprimere & humiliare, illiusque impotentiam virtute diuina, τοῖς πτωχοῖς πνεύματι, suppeditata, infringere & pudore suffundere, quae quidem victoria Deo, cuius virtus ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, (2 Cor. XII. 9.) gloriosa & piis omnino laetabilis est, hosti vero inflato & tumescenti pudenda & erubescenda. (Luc. X. 17 - 19. Ps. VIII. 3. Apoc. XII. 7 - 12. Rom. XVI. 20.) Et quae tum erit gaudii & communis laetitiae, gloriaeque & felicitatis numquam intermoriturae accessio, cum Deus potentissimo suo brachio systema hoc, tot vitiis deturpatum, tot sceleribus inquinatum, tot diabolicis artibus operibusque peruersum in ordinem rediget, vbi, quae Dign. GRIESINGERI verba sunt, l. c. p. 150. quot indignis seditionibus, praeliis, vastationibus regnum Dei & Christi ab vsurpatore Diabolo, mundi per peccatum potito, impetitur nunc, tot insignibus victoriis, tot gloriosis triumphis, de agmine hostium rebellium agendis, extolletur Christus Rex; quot conuiciis, scommatis, insultibus Christus dehonestatur nunc, tot sanctissimorum caelicolarum plausibus & adclamationibus, de vindicta ab hostibus sumta personituris, magnificabitur, tantumque ignominiae ac tormenti reddetur ipsis, quantum nequitiae aduersus regnum Christi exercere ausi sunt. „Tunc malum „rependetur aequa prorsus lance. „ Non igitur est, vt quis in tolerantia huius hostis offendatur. Tota inprimis Apocalypsis in eo est, vt prouidentiam diuinam in omnibus viis sanctam & iustam vindicet, & princeps hoc scandalum, ex magno & diuturno Satanae regno acceptum, caueatur. Quis enim dubitet, inter alios eius fines etiam hoc maxime consilio admirabiles illius prophetias esse editas, vt memoratum hoc scandalum remoueatur, Deoque sua in omnibus viis constet sanctitas & gloria? Si quaeratur, inquit b. WEISM. in diss. *Apocalypseos excellens doctrina fidei & morum*, *p. 16. s.* cur hoc regnum exstare & dominari Deus permiserit, testatur spiritus Dei, non id factum esse ex imbecillitate, cum sit αὐτοκράτωρ & omnipotens, certus & gloriosus victor Satanae & regni illius, vbi de potentia & robore agitur, neque ex ignorantia, omnes enim hos euentus perspicacissime praeuidit, priusquam exsisterent & accurate praedixit, multo minus ex ignauia, ambulat enim in medio ecclesiarum, vt inspector vigilantissimus; (C. II. 1.) nec diuturnitas huius mali pariter detrahit prouidentiae, praeterquam enim, quod has moras illa non

efficit in oculis Dei, cito ſane fieri cenſentur, quae alias humano calculo per plura decurrunt ſaecula. „ Quid multa? Deus odit omne malum, idque nomine ſuo ſancto decenter abolebit remouebitque. Inter omnes triumphos imaginarios cum maiori dedecore & ignominia pudefiet hoſtis; determinatum eſt tempus, quo durare ipſi licet, & in tabernaculis iuſtorum celebrabitur victoria Domini & potentiſſimi ipſius brachii. Tum, vti de omnibus operibus Dei recte dici & exſpectari poteſt, finis coronabit opus, cum, omni principatu, potentiaque abolitis regnum Chriſtus tradet patri, & redintegratio omnium, quae in caelis terraque ſunt, ſub vnum caput & collectio ſecuta ſit, (Eph. I. 10.) qui quidem glorioſiſſimus exitus omnes, quotquot ſunt, praeteritos ſcenae actus luce ſua inſigniter colluſtrabit, & quae nobis erant, in tenebricoſo noſtro ſtatu antegreſſo, offendiculo, tum erunt laudi, quae olim ſcandalo, tum gloriae, quae ſalutis noſtrae impedimento, tum beatitudinis & felicitatis noſtrae aeternae acceſſioni incredibili. Sic triumphabit veritas, ſic omnia in laudem & gloriam Saluatoris optimi, & patris indulgentiſſimi collimatura videas licebit!

Cap. IV.

Cap. IV.

De Consiliis Satanae.

§. 1.

Quid intendat hostis, & quibus mediis consilia perficiat, hoc capite, quantum apud nos est, euoluemus. Habere enim certa νοήματα, conatus, consilia, quibus circumueniri possint homines & capi, Paullus ostendit, (2 Cor. II 11.) & verae prudentiae spiritualis est, ita habere mentem Christi cognitam perspectamque, vt non ignoremus νοήματα, cogitationes & molimina hostilia. Quid igitur agit, quid intendit, quid meditatur? quo spectat omnium ipsius operum finis? Satanam ex quodam fine & consilio agere, neque imprudenter brutorum more, sine consilio, pro impetu naturae peccatricis ad hoc vel illud ferri, intelligere est ex natura sagacissimi hostis, & ex concatenatis eius moliminibus, quae astutiam & calliditatem summam arguunt, & ad vnum aliquod centrum, vnde enata sunt, haud difficili opera reducuntur. Atque hoc principe eius actionum scopo, ad quem collineant omnes, recte constituto, omnium illius, a multis retro saeculis ad nostra vsque tempora continuo actu peractarum, machinationum, dilucidiori mentis oculo circumspiciendarum, dabitur copia. Quid igitur meditatur, quid intendit? Hostem se & aduersarium Dei in omnibus ostentare, non difficile est diuinare, sed & hoc ipsius consilium praecise & specialius determinari posse videtur. In omnibus *Christo* inprimis, filio Dei vnigenito, refragatur, huius regnum quouis modo impedire, ciues vexare, suos ab illo auertere, & tenebrarum regnum fulcire, munire & quibusuis aggeribus & castellis inuictum praestare annititur. Odium hostium speciali ratione fertur in primogenitum. (Ps. CX. 1. Matth. XXII. 44.) Hinc solide, vt solet b. WEISMANNUS diss. *porismata sapientiae & religionis ex laudibus Mahomedis* p. 23. „ quando Diabolus atheismum inspirat hominibus, personam is agit, quam nouit esse falsissimam: credunt enim Daemones Deum & contremiscunt: (Jac. II. 19.) sed cum docet & inspirat deismum, tunc ipsissimus est diabolus, rem suam serio agens. „ Oeconomiam igitur Christi, Dei filii, peruertendi, elu-

Generatim de consiliis Satanae.

dendi, & fine suo primario, gloria Dei & Saluatoris optimi, ex restabilita salute hominum redundatura, defraudandi infaustam sibi prouinciam sumsit satanas, id quod primariae illius actiones aperte declarabunt. Hinc malitiosa, illa verbi audiri & intellecti surreptio, ἵνα μὴ πιςεύσαντες σωθῶσι (Luc. VIII. 12.) hinc τυφλώσας τὰ νοήματα τῶν ἀπίςων dicitur, ὡς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριςοῦ ὅς ἐςιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, (2 Cor. IV. 4) hinc tot zizaniorum, bono semini immixtorum, sementis, & nata inde ecclesiae deprauatio, (Matth. XIII. 24-30. coll. ℣. 38.) hinc veritatum caelestium suis erroribus & inventis peruertendarum studium, (2 Thess. II. 9.) hinc duorum, regno Christi quam maxime aduersorum hostium, bestiae & falsi prophetae excitatio, quae directe Diabolo adscribitur, & primum illud opus est grande & capitale, post deiectionem è caelis in terram tentatum, (Apoc. XIII. 2, coll. ℣. 11. ss.) hinc atrocissimarûm persecutionum in Christianos saeuientium, & optimos reipublicae ciues è medio tollentium, insania, ipsi reipublicae exitiabilis & perniciosissima. (Apoc. II. 10.) Hinc pseudo-apostolorum, prophetarum doctorumque ortus (2 Cor. XI. 13.-15.) hinc omnia fluunt, quae contra vniuersam ciuitatem Dei inter homines, & singula illius membra, quoad statum eorum externum & internum, tentauit vmquam: hinc haeresium, & crassiorum errorum, veritatem Dei inter homines obfuscantium, ortus & largissimus prouentus: hinc hominum κατ' διάνοιαν peruersorum & peruertentium alios suscitatio; lucis & tenebrarum mixturae; ecclesiae in se sanctae & vnius deprauatio, & in multas sectas scissio; (vnitatem enim reformidat, in distractionibus animorum & sententiarum, tamquam statu turbulento piscatur & aufert, decipit & defraudat,) aut vnionis studium cum detrimento veritatis; hinc lucis obtenebratio; veritatis abnegatio; christianismi vigor decrescens; pietatis verae & sincerae insectatio; hominum ab vno extremo ad alterum deflectentium vertigo, a summo ἀπιςίας apice ad fanaticismum lapsus, ab incredulitate ad superstitionem, & ab hac ad illam relapsus. Hinc infinitae fraudes, stratagemata, μεθοδεῖαι, (Eph. VI. 11.) quas mendacii auctor & patronus numquam non fouere, inspirare, & longo vsu exercere intermisit. Hinc tot genuinae proles patris mendaciorum in deistis, in fanaticis, in incredulis om-

nis

nis generis, in singulis saeculis, nouo habitu, noua forma, nouis armis, reuiuiscere videas.

§. 2.

Generalia haec sunt, & finem principem ostendunt; in quo assequendo infelicissime laborant cacodaemones, & qui in eo constituitur, quo regni sui prouehendi & tuendi studio ducti, oeconomiam salutis quouis modo euertendam impediendamque spectare dicuntur. Jam innumerabilia sunt illa strategemeta, fraudes & artes, quibus hoc consilium perficere, eodemque potiri student, vt variarum & abstrusarum illarum artium oceanum exhaurire nec hominis sit, nec inprimis mearum partium & virium. Ex multis tamen & infinitis pauca quaedam attigisse iuuabit. Quis enim potiores illius hostis & homicidae fraudes caueat, nisi cognitas? Et quamuis τὰ βάθη τῦ σατανᾶ (Apoc. II. 24.) plene ab hominis intellectu commensurari nequeant, oculi tamen & sensus spirituales multa vident, multa sentiunt, ceteris incognita & incredibilia. Antequam vero ad specialiorem harum fraudum enumerationem descendamus, generaliora quaedam praemittemus. Continuatur.

I) Quamuis infinitae sint fraudes & artes, quibus ecclesiae & piis imponit Satanas, in summa tamen rei sibi perpetuo constat; & quamuis varias formas & σχήματα temporum, hominumque genio, notabilioribus in mundo φαινομένοις, scientiisque mundanis attemperata induat, eandem tamen & vbique ludit fabulam. Tentationes hae ad genium, gustum, palatum, delicias hominum dominantes, adcommodatae, tot insignes habitus, arguunt versicolorem chamaeleonta, in consiliis suis perniciosissimis sibi semper & vbique similem, in mediis vero & ad scopum primarium perueniendi adminiculis plane disparem. Hinc personas agit, sibi plane contrarias; & modo leonis rugientis specie, (1 Pet. V. 8.) modo angeli lucis forma adparet, (2 Cor. XI. 14.) nonnisi oculis illuminatis & sanctis cognoscibilis. Mox serpentina calliditate incedit, vt semper verendum sit, ne forte, vt serpens Euam astutia sua decepit, sic nostrae mentes a simplicitate, quae esse debet in christianis, corruptae deflectant,

(2 Cor. XI. 3.) mox leonina saevitia grassatur, & vbi locus ipsi datur, in membra Christi furit. (1 Pet. V. 8. 9.). Mutatis igitur personis ministris, mutata tantisper scena, eadem agitat consilia Satanas, & conuenit, immo incumbit sapientiae verae & christianae studiosis, vt ea agnoscant, sibi aliisque ab iis caueant, & praecepta scholae Christi, vel maxime quoad hanc caussam, alio quamuis tempore, aliisque hominibus, ab initio dicta, suae aetati suisque non minus, quam aliorum vsibus prudenter adplicare discant.

II) Ad pleniorem regni tenebrarum notitiam multum facit continua illius cum regno lucis comparatio. Ita enim inter se sunt opposita, vt vnum alterum illustret. Quicquid de bonis angelis in bonam partem dici praedicarique potest, id vi oppositionis de malis in malam intelligendum est. E. g. ex peccatis Deus iram, diabolus laetitiam orcus iucunditatem, ecclesia scandalum boni taedium, angeli Dei tristitiam, capiunt; pari ratione ex conuersione Deus laetitiam, diabolus iram, ecclesia οἰκοδομὴν, pii voluptatem & angeli Dei summum gaudium concipiunt. Quemadmodum apud bonos angelos ingens laetitia fit ob vnum sontem, qui ad frugem redeat, (Luc. XV. 7. 10.) ita infando prorsus dolore adficiuntur daemones, si quando praeter spem eos, quibus ad amplificandum inferorum regnum, auidissime inhiarant, ex foedissima vitiorum lue ad sacratissima virtutum templa properare conspiciunt, nec maiorem patiuntur carnificinam, quam si eos, quos mundanis illecebris ad aeternam perniciem irretitos & excaecatos crediderant, caelitus liberatos, saluifico praelucente lumine, sacrarum litterarum studiis religiose deditos, & in Domini sanctuario, precum vigilia, fidei exercitationibus assidue detentos deprehenderint. Et hoc vindictae quoddam genus est, quod statuit Deus in peccati auctorem, vt illo, qui ab ipso deceptus erat v. g. ad fornicandum, conuerso ad pudicitiam, & ad castitatem reuerso, aut de superbia ad humilitatem, de profusione ad parsimoniam recurrente, seque errasse, agnoscente & deflente, poenitentiae ipsius lacrymis vratur & incendatur, & hoc modo flagelletur crucieturque. Quemadmodum boni angeli πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα — σωτηρίαν, (Hebr. I. 14.) ita mali angeli salutis

salutis huius praepediendae, interuertendae, obscurandae spartam infelicissime susceperunt.

III) Mirum est, Satanam, spiritum sagacissimum, suaeque a Deo dependentiae conscium, & pœnarum, quae eum manent, atrocissimarum haud ignarum, tantum abesse, vt a peccando desistat, vt potius nouis indies delictis reatum cumulet. Extrema talis & radicatissima malitia quî in angelum eius ordinis, eius notitiae, rerumque diuinarum scientiae cadere potest? Se Deo resistere omnipotenti, eique se plane imparem esse, non ignorat, quia toties deuictus & triumphatus, sua tamen aduersus Deum & sanctos praelia continuat, & quo magis compertum habet, parum sibi superesse temporis, & pœnas fore aliquando vehementissimas, eo crudelius furit, aciemque eo fortius instruit, maiori vigore vniuersam tenebrarum œconomiam administrat, immo paucitate temporis ad nocendum acuitur. (Apoc. XII. 12.). Multa omnino sunt, quae dubii huius solutioni inseruiunt. Peccatum insita quadam vi animum indurat; a Deo, omnium bonorum fonte, longius subinde remouet; voluntatem propriam confirmat, φιλαυτίαν inordinatam fouet; superbiam inspirat & magis magisque acuit. Quemadmodum igitur boni angeli ad maiores cognitionis, sapientiae, beatitudinis gradus, vel ex opere redemtionis in ipsos redundantes, ob fidelitatem rite praestitam, admittuntur; ita malorum tenebrae subinde fiunt crassiores, spissiores, inextricabiliores, vt longo rerum vsu in malitia crescant, in sua ἀποστασίᾳ perseuerent, vanis inanibusque conatuum suorum exspectationibus detineantur; sicuti id videre est in multis hominibus malis, corruptis, & magno saepe gradu ad malitiam daemoniacam accedentibus, qui adeo indurati & ad omnia vitiorum genera proiecti adparent, vt ad quaevis salutis media, diuinitus oblata & praedicata, obbrutescant, occalleant, & ne tangi quidem, multo minus se excitari sinent. Adde porro & recogita iudicium, de quo C. II. §§ 9. 10. diximus.

§ 3.

Omnis vis, robur & potentia, & hinc nascens iuris quoddam genus, quod Diabolo adcrescit, sita sunt in *peccato*. Per hoc intrauit *Speciatim in peccato.*

uit in mundum, illiusque incolas; eodem etiam illius dominium sustentatur; & peccato abolito euanescit omnis cacadaemonis potentia. Sicut igitur SS. Trinitas in hac pestifera & abominabili re euertenda, animisque hominum ab hac vitiositate liberandis, purgandisque, omnibus viribus modisque, gloriae diuinae decentissimis & honorificis laborat, ita omnia consilia Satanae eo spectant, vt hominibus peccatum inspiret, animos hac pestilentissima lue inficiat, dominium fundet, eodemque ius & robur suum stabiliat. *Ὁ ποιῶν γὰρ τὴν ἁμαρτίαν, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν· ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει.* (1 Joh. III. 8.) Ad actualia peccata concurrere Satanam, & quo grauiora illa sunt, eo apertius id dici existimarique posse, multa exempla scripturae declarant. Instigauit, pellexit & prouocauit Judam Iscariotem ad nefandum illud facinus, proditionem Domini, (Joh. XIII. 2.) Ananiam & Sapphiram ad defraudationem & spiritus apostolici tentationem, (Act. V. 3.) Dauidem ad superbiam & fastum, (1 Paral. XXI. 1.) (nec enim cum BEKKERO, DALENIOQUE heic ob sensum vbique obuium gnathonem quendam aulicum intelligimus, qui si fuisset, caussa tamen principalis, quam scriptura aperte nominat, non excludenda est, & ab instrumento humano separanda:) pellicit ad impuritatem, (1 Cor. VII. 5.) immo peccatum quoduis quouis modo inspirat, hominibus persuadet, & fouet; nec sequitur, Jacobus veram C. I. 12. *ἁμαρτιγενίαν* sistens, solius concupiscentiae tamquam caussae meminit, ergo quicquid alibi in scriptura de Diabolo dicitur, nonnisi de concupiscentia est interpretandum, vt adaemonistae sentiunt, conf. C. I. § 9. p. 32. Plures enim & externas & internas caussas ad effectum tum bonarum, tum malarum actionum concurrere posse, & actu secundum scripturam concurrere, quis negauerit? Hinc ipsi peccato fraudes tribuuntur, quibus se insinuat, (Hebr. III. 13.) quas nonnisi auctori suo & patri debet, cuius imaginem vbique & exacte refert. Fraudes hae certe innumerabiles sunt. Quemadmodum serpens in prima protoplastorum seductione serpentem egit, & callidissime aciem instruxit, ita id sexcentis iam vicibus apud infinite-multas animas continuauit. Inspirat e. g. in alia se ingerendi pruritum, curiositatem, & per hanc dubitationem, ex hac mendacium, vnde carnis & oculorum cupiditates vitaeque arrogantia nascuntur, variis coloribus & praetextibus illitae,

illitae, quos temporis, loci, obiectorum, quibus immixti sumus, ratio subministrat. Videre id est euidentissime in Galatarum, Corinthiorum, Colossensium & Hebraeorum coetibus. Et vt hac ratione decipiamur, facillime fit, si meris speculationibus rerum diuinarum, sine viua cognitione & liberali obsequio, innixi fuerimus. Qua re fit, vt precum studium langueat, amoris Dei & saluatoris optimi vis & ardor exstinguatur, veteris hominis mortificatio suspendatur, & vigor illius subinde crescat, cognitionis nostrae centrum vnicum & norma & finis obtenebretur, & promissionum amplissimarum inordinata participatio sibi vendicetur, sine iure, sine iusto ordine. Quae quidem peruersa in rebus sacris & diuinis versandi ratio variis abusibus obnoxia est, & foecunda aemulatione & litibus, dissidiis, zelo ἄνευ ἐπιγνώσεως, inflationibus, aliisque carnalem mentem prodentibus signis; (1 Cor. III. 3.) & haec molitur, haec fouet, haec inspirat Satanas, qui vitae spirituali, secundum diuersas aetates & periodos, diuersis modis, insidiatur. Quam horribilibus laruis nos peccatum circumueniat, ex innumeris fraudibus in anima & in corpore sub Diaboli regimine, vel inde patet, quod hic tenebrarum patronus omni modo viam praestruat, ne veram peccati indolem agnoscamus, detestabilem eius vim & mortiferam virtutem sentiamus, ab eius regno & imperio nobis sollicite caueamus. Immo ad infinitas eius hac in re μεθοδείας & illud pertinet, quod variis modis hominibus persuadeat, vt peccatum extenuent, immo aperte testentur, non posse irasci Deum, liberum esse his passionibus, locutiones id genus esse mere anthropopathicas, & grauissimas rationes, quibus a peccatis deterreamur, quod Deum offendat, gloriam Dei minuat & tollat, omnis cum Deo communionis impedimentum maximum sit, & summa aduersus Deum inimicitia, & sanctum ipsius spiritum exacerbet, metus terrorisque iniiciendi caussa esse additas. Quae hominum ratiocinia & philosophemata de peccato, si cum his aliisque scripturae & Spiritus Sancti testimoniis comparemus, in ea detegentis quoque τὰ βάθη τοῦ σατανᾶ, semper noua veneratio gratiae Dei in tanto beneficio reuelationis gratiosae, semper noua theologia comparatiua surgat & stabiliatur in animo nostro, necesse est. Mirum omnino est nec dici potest, quantum in se ipsos animaduertant,

X haec

haec testimonia leuissime contemnentes & negligentes, vt de peccato tenuiter sentiant, quouis modo illud pallient & excusent, vel ipsa gratiae vbertate in licentiam carnis abutantur, cum παράβασις πᾶσα καὶ παρακοὴ ἔνδικον μισθαποδοσίαν nancisci soleat, (Hebr. II. 2.) & familiare sit hosti animarum stratagema, retium iaciendorum curam & rationem ita prudentissime habere, vt incautos fallant, vt a paruis & contemtis peccati initiis incipiat homo, & ad atrocissima quaeuis delicta procedat, vbi per naturale peccatorum consortium semper maius fit incendium; quemadmodum enim in virtutibus amicissimus talis nexus conspicitur, vt vna alteram pariat, sustentet, corroboret, fundet, (2 Petr. I. 5. ss.) conf. Reuerendiss. D. D. Fabri Diss. Inaug. systema virtutum christianarum pragmaticum. Tub. 1755.; ita par vinculum inter vitia & peccata obtinet, vt auctor ad Herennium iam pridem agnouit. IV. 16. „ Maiores nostri, si quam vnius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant: Quo pacto? quoniam, quam impudicam iudicarunt, eam veneficii quoque damnatam existimabant. Quid ita? quia necesse est eam, quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati, timere permultos; Quos istos? virum, parentes, caeteros, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? quos tantopere timet, eos necesse est, vt, quoque modo possit, veneficio petat. Cur? quia nulla potest honesta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconsideratam. „ Detestabilius numquam & formidolosius adparet peccatum, quam vbi sanctam aliquam speciem induit, & more sui patris in angelum lucis transformatur: quale apud singulos iam homines, integras sectas & coetus exstitit. In V. T. fuere v. c. meretrices sacrae aut deuotae קְדֵשִׁים dictae, (2 Reg. XXIII. 7. Hos. IV. 14. Deut. XXXIII. 17.) quae promiscua in sacris & diuinis locis consuetudine sanctitatis & piae communionis speciem prae se ferebant, sicut in prima ecclesia Nicolaitae, Apoc. II. Gnostici, aliique teterrimi haeretici fecerunt; Ecquis vero in tam abominabili spurcitie τὰ βάθη τοῦ σατανᾶ non agnoscat? Aliud τῶν πνευματικῶν τῆς πονηρίας Satanicae speciem illud est, cum inter ipsos

etiam

etiam christianos odium peccati in Deo, & impunitatem peccandi ex parte hominum conciliare conatur; quorsum referri potest distinctio illa inter hominem externum & internum, quasi in illo Deus abominationes extremas ferre possit, dummodo hic maneat purus & innocens. Huc crassissimo sensu redeunt principia nouorum & veterum gnosticorum; de quibus horrenda recitantur in monumentis antiquae & recentis historiae. Idem crimen imputari solet Quietistis, nominatim Michaeli MOLINOSIO, conf. WEISMANNI H. E. T. II. p. 537. ss. sensum distinctionis huius verum, scripturarium ab illo satanico & infernali sollicitissime distinxit idem diss. II. inaug. p. 83. s. Innocuis etiam in se & indifferentibus rebus ad peccatum, mentemque Christo illiusque indoli & exemplo contrariam, ingenerandam abutitur insignis & periculosissimus artifex; id quod CHRYSOSTOMUS admirabili facundia docet, & tendiculas hoc modo tam in excessu, quam defectu iactas detegit, Lib. VI. de sacerd. § 507. ss. p. 296. ss. ed. Beng. immo per omnia, per paupertatem & per diuitias, & per habitum scitum & male sedentem, & per mores affectatos & incompositos, quid multa? per omnia sollicitare ad peccatum asserit. Quemadmodum enim Dei & Saluatoris optimi ratio administrandi regiminis eo spectat, vt sui amantibus omnia ad bonum conferre iubeat, (Rom. VIII. 28.) ita hostis & ἀνθρωποκτόνος, omnia hominibus in perniciem salutisque aeternam iacturam vertere allaborat. Hinc idem CHRYSOSTOMUS quouis bello grauius esse illud Diaboli contra nos eleganter, vt solet & facundissime perorat L. VI. de Sacerd. cap. XIII. p. 354 ss. & quidem summum periculum ostendit ex eo, quod videri non queat; vndequaque immineat, armis plane periculosis vtatur, vulnera aeternam necem inferentia infligat, variis modis aciem instruat, & tantum artificiorum machinationumque illi supersit, quantum quidem furti dolique formas nemo facile nouerit, ardorem plane incomparabilem, nostrae perniciei procurandae caussa demonstret, nullam temporis iacturam faciat, ne inducias quidem & interstitia bellandi paciscatur, plusque adferat studii ad nostram perniciem, quam nos ad nostram ipsi salutem. In hac certe re, quae peccati dominium in hominibus erigendum, plantandum sustentandumque spectat; vti in omnibus suis consiliis, fraudulentissime

sime agit antiquus serpens, vel in crassissimis vitiis, sceleribusque manifestis, in societatem humanam, ipsaque etiam sacra introducendis, laborans nonnisi per fucos & praetextus, non directe docendo praecipiendoque per instrumenta sua, vt virtutem eiurent, sceleribus se polluant, mala quaeque impudenter perpetrent homines, quin potius alia prorsus nomina his omnibus imponenda esse scit, si velit homines sibi ad nutum habere obnoxios. Quanta vero sit, quam hactenus adstruximus, homines ad peccata, ingenio & κράσει illorum adposita, sollicitandi seducendique cura & sollicitudo Satanae, *cogere* tamen ad illa nequit, libertatemque hominibus ita adimere aut restringere, vt sine propriae voluntatis consensu mancipii loco habeantur. Imperium ipsius tantum non est, quantum ipse vult, sed vt MACARIUS de discretione & patientia C. VII. p. 76. ed. Pritii, loquitur, ὅσον τὸ δεσποτικὸν ἐπιτρέψει νεῦμα. Naturae entis intelligentis, studiis vniuscuiusque hominis singularibus, animique & corporis ad hoc vel illud vitiorum genus pronis dispositionibus conuenientissime agit, vestigiaque callidissime celat, vt in his vel illis peccatis diabolici quid subesse, vix existimaueris. Nec necesse est, enumerare ipsa peccata, ad quae concurrere solet Satanas, vbi ne vnum quidem excipi potest; inprimis vero opus eius capitale & primarium est *idololatria*, crassa & subtilis, de qua mox erit disserendi locus; nam id agit omnium maxime, vt homines a Deo auocet, sibi mancipet, variis illecebris irretitos teneat, vt, quamuis desiderio infiniti praediti sint, verorum bonorum iacturam, quae numquam intermoritura sunt, facilius ferant, nec ad ea adpetenda impellantur, & mundi praesentis deliciis inescentur, vt futuri saeculi memoriam ac desiderium abiiciant, mundana sapiant, & terrena ambiant, nec ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, (2 Tim. II. 26.) Etiam illud, quod notemus, haud indignum videtur, dari tam in vniuersa ecclesia, quam singulis eius membris, peccata periodica, talia, in quae per vicissitudines aetatis, temporum, obiectorum incidunt homines, extremum per extremum corrigendo, & pro genio & indole saeculi permutando vitia cum vitiis, peccata cum peccatis, immo cum omnis fere virtus consistat in mediocritate, ad extrema quaeuis impellendo, & regiâ viâ, i. e. mediâ incedere homines vetando. De

his

his omnibus plenius & ad propriam conuictionem longe certius & solidius edoceberis, si genium saeculi, artes & placita mundi, ad nutum sui principis conformati, recto corde, illuminatis oculis & spirituali rerum diuinarum gustu & sensu praeditus inspexeris intellexerisque. Illud quoque probe tenendum est, concursum hunc malarum mentium ad actiones prauas differre gradibus, & dici posse generalem, specialem, specialissimum; id quod opposita ipsis oeconomia gratiae insigniter illustrat.

§. 4.

Omnis oeconomia gratiae eo spectat, vt *veritatem*, diuinitus reuelatam, agnoscamus, reuereamur, faciamus, in eaque vitam salutemque aeternam nanciscamur. Quod consilium vt eo felicius & promtius perficiatur, nullo tempore, nulla aetate se non testatum reliquit Deus, veritatis testes suscitando, eosque, vt eam intemeratam cum posteris scripto communicent, extraordinaria quadam vi adiuuando, ab omni errore praemuniendo, dicta & scripta diuina virtute & efficacia, quae singulorum conscientiis, recte in iis euoluendis, intelligendis, interpretandisque versantibus, exacte satisfaciat, corroborando, ipsum filium vnigenitum, aeterna cum suo patre & intima familiaritate & necessitudine de ipsius omni mente plenissime edoctum, impendendo, (Joh. 1. 18.) veritates ab ipso diuina vi & singulari spiritus virtute praedicatas, orbique, cum incognitae essent & ingenio humano imperuestigabiles, manifestatas, morte expiatoria confirmando & obsignando, nec quicquam, quod veritatis cognitionem promoueret, lucem hanc accenderet, tenebras dispelleret, reliqui faciendo. Iam vero nec dici nec cogitari potest, quantum ab omni aeuo in hac veritate diuinitus reuelata, peruertenda, obscuranda, interpolanda, ad rationis infirmae & caecutientis placita refingenda, variisque *erroribus* inficienda & conspurcanda desudauerit, & omnes ingenii vires omnemque operam nauaverit, eoque contulerit mendaciorum pater. (Joh. VIII. 44.) Insignitur hinc hoc ipso nomine, l. c. a Iesu, qui ipse est veritas (Joh. XIV. 6.) & in cuius cum patre mysterio, *ὧσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι*, (Col. II. 3.) repraesentatur ab eodem tanquam is, qui

In erroribus.

bono ſemini ſparſo, noctu, hominibus ſomno ſopitis, fraudulenter immiſceat zizania, (Matth. XIII. 24 - 30. 36 - 43.) quae ipſa boni ſeminis ſpeciem praebeant. Errorum porro natales non ex ſola ingenii humani imbecillitate, animaeque viribus valde limitatis, repetit ſanctus apoſtolus, (1 Tim. IV. 1. ſſ.) ſed inde potiſſimum, quod homines, ad apoſtaſiam, a vera fide procliues obnoxii ſint ſpiritibus *πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων*, vbi ſine dubio genitiuus, Daemoniorum, cauſſae eſt, vt ſatis euidens ſit, apoſtolum, ex oraculo ſpiritus, ꝟ. 1. ab inſtinctu & opera ſingulari malorum ſpirituum deriuare doctrinas, quas ibi carpit. Nec quicquam obſtat, quo minus inde concludamus, eundem influxum illos habere in inſpirandis aliis quoque doctrinis malis, peruerſis, animabus noxiis, ad conſeruationem regni tenebrarum plurimum conferentibus. Intelligitur hinc & perſpicitur illud, non ſola leuitate ingenii, vel caſu quodam fortuito, aliisque cauſſis, ad hunc locum excitari ſolitis, incidere homines in graues & damnabiles errores, ſed eo impelli, a malignis ſpiritibus, & longe alia de ſe praeſumentes agitantibus, ad inueniend a & exoſculanda, nec minus ad tuenda & propaganda huiusmodi dogmata, quibus regnum tenebrarum magnopere poſſit augeri & confirmari, quod vtique facile impetrant ab illis, qui religionem tractant ſine guſtu veritatis, ſine pulſu conſcientiae, diuino ſenſu tactae, ſine docilitate humili, ſine reuerentia ſanctiſſimo numini illiusque omnipraeſentiae debita, ſine precibus, ſine liberali obedientia erga ductum Spiritus S. in omnem veritatem ducentis, tales nimirum, quales deſcribit Paulus, (1 Tim. VI. 3 - 6.) quod ſint *ἑτεροδιδασκαλοῦντες, — τὴν εὐσέβειαν*. Antichriſti, apoſtoli Satanae, aduentum futurum eſſe docet Paullus, (2 Theſs. II. 9.) *κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας*. Triga porro illorum emiſſariorum, (Apoc. XVI. 13. 14.) reges orbis ſeducentium, dicitur egredi *ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δράκοντος καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ θηρίου καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ ψευδοπροφήτου*. Vidit etiam hanc errorum cauſſam LACTANTIUS & adcurate deſcripſit, Inſtit. L. II. de origine erroris p. 96. ed. Cellarii, dum ait: „ quanam iſtud ex cauſſa fieri „ putemus, niſi eſſe aliquam peruerſam poteſtatem, quae veritatis „ ſit ſemper inimica, quae humanis erroribus gaudeat, cui vnicum

„ &

„ & perpetuum opus sit, offundere tenebras, & hominum caeca-
„ re mentes, ne lucem videant. „ Hinc etiam fit, vt πνεῦμα τῆς ἀληθείας & πνεῦμα τῆς πλάνης sibi directe opponantur, (1 Joh. IV. 6.) & adultiorem aetatem christianam decet, (Eph. IV. 14.) ita stabilem esse & firmum in fide veritatisque cognitione, ne simus amplius pueri, qui omni doctrinae vento fluctuemus ac circumferamur, versutia hominum, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, vbi secundum b. BENGELIUM in Gnom. ad h. l. metonymia abstracti occultam rationem agendi exprimit, qua hostis vtitur. Laudabilis hinc & imitatione digna est apostolorum cura, qua doctrinae puritati sollicitissime inuigilarunt, & ne limpidi illius fontes cum impuris mundi eiusque sapientum lacunis misceantur, prouiderunt, ἔπεμψα, inquit Paulus, (1 Thess. III. 5.) εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν, μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων, καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν. conf. Col. II. 8. & diss. b. WEISMANNI *eximia & insignis*: de studio sapientiae, quod non est sec. Christum, sollicite fugiendo Tub. 1727. Jam innumerabiles sunt *fraudes*, quibus veritatem, diuinitus reuelatam, obfuscare, peruertere, oblitterare annititur mendacissimus spiritus, qui vti in veritate non perstitit ipse, ita nec suis eam gustare, sentire, nosse, & recte videre permittit: βάθη τοῦ σατανᾶ in hac potissimum re & infinite multa sunt, & fere incredibilia. Omni enim aeuo è penu sapientiae δαιμονιώδους talia dogmata & principia falsa, recta quidem & sapientiae specie infucata, protulit, quae ipsius regno fauerent & obstetricarentur, quae neglecta vel etiam incautius admissa, vim nocendi, ab initio quidem non plenam, sed mox, cum inualescerent, eo pleniorem, in veritatis salutaris obnubilationem, in decrementum ecclesiae, in languorem pietatis exseruere. Ne vllum quidem sanctioris doctrinae locum ab insultibus perniciosis intactum reliquit, idque eo magis & acerbius, quo arctiori nexu cum religionis christianae acropoli coniunctus esset, id quod ei, qui controuersias in loco de Christo, de S. Trinitate, de peccato originali, de satisfactione Christi, de iustificatione, expenderit ad animumque reuocauerit, palam fiet & manifestum. Ex his vero litibus, quas serere numquam destitit, tantum abest, ut regnum tenebrarum multum lucraretur, vt potius, prouidente ecclesiae Domino, in veritatis controuersae manifestationem, errorum illi admixto-

mixtorum detectionem, in Satanae ob frustratas artes opprobrium, in ecclesiae firmiorem basin, & quid multa? in gloriam Domini, constituentis ecclesiam vel orci portis inuictam (Matth. XVI. 18.) terminarentur, quorsum tandem omnia Satanae consilia, artes & stratagemata desinent. Controuersiae igitur, omni aeuo de primariis religionis christianae capitibus agitatae, illius magis veritatem quam falsitatem euincere videntur: Diaboli enim parum interfuit, quocunque modo in gentilismo verus Dei cultus obtenebraretur, modo obtenebraretur, & quot Dii constituerentur, modo verus Deus ignoraretur, negaretur, illiusque cultus deformaretur, hinc vel nullae vel rarissimae apud gentiles de religione controuersiae. Memorabile etiam illud est, vsque ad initia veritatis euangelicae, per totum terrarum orbem sparsae, in gentibus iudaeisque, si a tribus & quod excurrit, *Antiochi Epiphanis* vexationum annis discesseris, *persecutiones* ob religionem fere inauditas fuisse. Hic demum scenam tragicam tirannicamque aperuit Satanas, regno suo quaevis infausta instare sentiens; sed & his fine suo se excidisse videns, & omnia vexationum genera, in Christianis exantlata, in vigorem christianismi terminata dolens, ex alio latere institit. & religionem christianam crassissimis superstitionibus inundare Saeculo V. cœpit, & sequentibus continuauit. Vsque ad tempora *Theodosii M.* quibus religio christiana stabilem demum, & legibus quoque corroboratam sedem, in imperio romano obtinuit, a Philosophis, nostris Deistis & mendaciorum propugnatoribus, superbo titulo des Esprits forts turgescentibus, multo acutioribus, iisdemque periculosioribus impetita est veritas. Exhaustis hoc modo tenebrarum viribus, alia media, quibus veritas salutaris obtenebraretur, adhibenda ratus, excitauit innumerabiles illos ritus & caerimonias, è sacris gentilium ad christianismi speciem adcommodatas. Quae ipsa assimilatio rituum gentilium ad sacra christianorum, a LEONE M. P. R. Saec. V. animo, vt videtur, non malo, sed imprudenti consilio, magnoque rei christianae malo & noxa, suscepta, inter stratagemata Satanae haud postremum est, veram enim doctrinam Christi, cultum Dei in Spiritu & veritate, (Joh. IV. 24.) pietatis genuinae natiuam indolem, in mentis cordisque emendatione, & in conformatione ad legem Domini sitam, inutiles id genus caerimoniae depres-

preſſere, onerauere, & tantum non exſtinxere, vt is in eccleſia ſtupor, rerum diuinarum ignoratio, morumque ruditas & barbaries inualeſceret, ad quarum memoriam non poteſt non cohorreſcere animus. Accedit, quae eodem tempore contigit, religionis Chriſtianae deprauatio, per *Mahomedem* facta, nonniſi infernalis genii ope & virium tenebrarum, ipſi ſubminiſtratarum adminiculo tentata, tam incredibili ſucceſſu continuata, & ad tantum faſtigium amplitudinis, durationis & roboris euecta. Vae enim illud ſecundum, (Apoc. IX. 13 - 21.) quod b. Bengelius de Saracenorum vexationibus & caedibus interpretatur, ope ſolutorum, apud Euphratem ligatorum, quatuor angelorum malorum, & infauſto illorum miniſterio perficiebatur. Per grauiſſimos igitur errores religio chriſtiana ab incunabilis ſuis dehoneſtata eſt, quos in ipſam incuria malorum paſtorum, inſcitia, & inprimis ambitioſa quaedam hierarchia, & ad quaeſtum & dominationem traducta ſuperſtitio, inprimis vero Satanae aſtutia & tirannis inuexerant, quae horrendum hoc errorum ſyſtema clam conſtruxit & moderata eſt, vt vix vmbra doctrinae Chriſti adpareret. Nec mirum, cur hanc infidelem ſancti depoſiti cuſtodiam horrendo illo iudicio, per *Mahumedis* aſſeclas exercito, puniret Deus, & ea propter in orbem chriſtianum grauiſſime animaduerteret. — Quod iam ad fraudes ſatanicas circa errores inſtillandos ſpecialius attinet, maximam partem veritatis quodam fuco illinuntur, nam ſola falſa ad circumueniendum non videntur apta; ſingulari quadem ἐνεργείᾳ πλάνης & efficacia tinguntur ad ſeducendum, vt inde oriatur procliuitas quaedam & fortis propenſio ad credendum mendacio; & conuictionem falſam, pro efficacia ſuae illuſionis, operatur in illis Satanas, qui ab ipſo deludi ſe paſſi ſunt, vt iactent & millies iurent, ſe certiſſimam veritatem habere, tantum abeſt, vt fateantur, ſe errare, & vt maxime obruantur & conuincantur ſcripturis, tamen nil efficiatur, quia ſtatim in promtu habent ſuas gloſſas, quibus ſcripturas eludunt, itaque rationibus, monitis, demonſtrationibus non emendantur, ſed plus indureſcunt. Falſam hanc πληροφορίαν ſingulari diſſertatione perſecutus eſt b. Sonntag: *de conuictione imaginaria* 1700. Altd. eandemque luculentis exemplis Pontificiorum, Reformatorum, Socinianorum, Arminianorum, Judaeorum, Mahumedanorum, Naturaliſtarum, Latitudinariorum, Deiſtarum, Gentilium, Quackerorum,

Enthusiastarum, comprobauit: haec ipsa imaginaria conuictio mater est tot sectarum, in quas ecclesia Christi, in se vna & sancta, scissa est, & singulis vsus est hostis animarum, ad hoc vel illud dogma capitale impugnandum, eliminandum, peruertendum. Mirum igitur non videbitur illi, qui hanc fraudem Satanae nouit & rite expendit, cur ecclesiae christiani nominis, systemate religionis diuersae, tam diu, tam pertinaciter versari possint in contradictoriis, vt quod vna adfirmauit olim, adhuc hodie adfirmet, quod negauit, neget, nec vlla alteri sponte sua cedat; omnes praetendant veritatem, & frustra sint, quoad summam rei, omnes conatus, se mutuo docendi, refutandi, conuincendi: b. WEISMANNI sententia de insigni hoc phaenomeno huc redit: in diss. *Varia Sacra* p. 26. s. „ Non potest magnis vitiis carere haec ecclesiasticarum societatum „ in errore perseuerantia, cum fieri non possit, vt in his contra„ dictoriis omnes teneant veritatem, huius autem agnoscendae impe„ dimenta, tam contumacia & diuturna, siue manifesta sint, siue „ occulta, coram Deo bona & innocentia esse nequeant: eo minus „ possunt culpa vacare haec impedimenta durantia & crescentia, si „ ex conflictu partium accesserit solida eorum commonstratio, & „ mala deinceps voluntas eadem non parum augeat & confirmet: „ est indicium notorie malum mali serpentis, quod hucusque dissi„ dentes Christiani semper lubentius in vitiis, quam virtutibus, in „ eo potius, quod malum, quam quod bonum habent, se inui„ cem imitentur, seseque mutuo inficiant & corrumpant — — Ec„ clesiae denique, apud quas veritas & cognitio veritatis praeualet „ prae aliis, in media hac confusione tenentur ad custodiam eo di„ ligentiorem veritatis, & habent caussas cauendi, ne vel per ne„ gligentiam suam eam amittant, vel peccatis suis iram Dei prouo„ cent, vel, cum lux in candelabro posita esse debeant ad aliis prae„ lucendum, intra sua moenia & extra, blasphemare faciant apud „ alios nomen Domini, vt dici possit de illis, quod olim de Israe„ litico populo dixerunt gentes: *Num populus Dei hic?* & de ter„ ra tamen exiuerunt. (Ez. XXVI. 20.) „ — In erroribus inueniendis & propagandis maximam partem vsus est Satanas ministerio hominum, qui non crederent diuinae ac salutari veritati, huiusque amore carerent, (2 Thess. II. 9. ss.) hinc illi, per quos zizania

bono

bono femini immiſcuit, (Matth. XIII. 38. ſ.) ὑιοὶ τȣ̃ πονηρȣ̃ audiunt; hominum, inquam, vel praeiudiciis, vel inanis gloriae cupiditate captorum; vel ſententias ſcripturae ingerentium, nec ex illis informantium; amore ſectae detentorum; nec ſapientiae caeleſtis characteribus praeditorum, quae primum caſta eſt, deinde pacifica, aequa, obſequioſa, pietate boniſque referta fructibus, ſeuera & minime ſimulatrix, (Jac III. 17.) in quibus non erat, vt ad omnem frugiferam veritatis cognitionem perneceſſarius, Spiritus intelligentiae, ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, nobilis, non inquinatus, certus, firmis rationibus cedens, ſuauis, amans bonum, acutus, quem nulla humana auctoritas infringit, beneficiens, benignus, ſtabilis, amans omnem virtutem, omnia proſpiciens, omnis inflationis expers; hominum, inquam, ob multa infidelitatis ſpecimina, veritati antea praeſtita, iudicium quoddam diuinum incurrentium, vt animus obtorpeat, & auribus obtuſe audiant & claudant oculos, ne & oculis videant, & auribus audiant & animo intelligant, (Matth. XIII. 15.) diſciplinae Spir. S. ſe non totos & ex animo ſubiicientium, naturalia ſua dona ſpiritualibus non ſanctificantium, nec gloriae diuinae finibusque Deo gratis religioſe conſecrantium, ad res honeſtas, graues, neceſſarias, ſalutares cum perpetuo ad vnum illud neceſſarium & ſummum reſpectu cultuque adplicantium, τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα μὴ ζηλȣμένων, naturae, quid multa? numquam ſatis ſolide emendatae prae gratiae praedominio laborantium. Satanam certe ad corruptos eiusmodi & male cuſtoditos hominum animos facilem retinere aditum, quis negauerit, ipſis licet longe alia & prorſus contraria, de ſe ſuoque ſtatu cogitantibus? Quousque igitur tales in eccleſia viri conſpiciuntur, fundamentum & praeſidium reſiſtentiae ſatanae & regni illius, tam validae & pertinacis aduerſus ſalutarem efficaciam veritatum ſummi quoque ordinis, non ceſſabit, nec deerunt μεταςρέφοντες τὸ ἐυαγγέλιον τȣ̃ χριςȣ̃. (Gal. I. 7.) — Fraus ſatanae eſt, immaturas, vel omnino falſas opiniunculas, acceſſorias doctrinas admiſcere religioni & doctrinae ſalutari, vt per eas huic maculam adſpergere, tenebras affundere, neruum adimere poſſit; idque fit potiſſimum illa ratione, qua ſcita mundi, falſa philoſophiae principia ad doctrinas reuelatas adcommodantur, & hae ex illis lucem aliquam ſingularem fœnerari exiſtimantur.

tur. Suo iam aeuo apostolus eiusmodi dogmata, a falsis sapientibus sparsa adpellat βεβήλυς κενοφωνίας ϗ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμυ γνώσεως, (1 Tim. VI. 20. 21.) per quas nonnulli circa fidem a scopo aberrauerint, monetque ex illis consequi τὸ λογομαχεῖν, εἰς ὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκυόντων, (2 Tim. II. 14-23.) notabilibus hanc rem exemplis comprobauit b. WEISMANNUS diss. 1. inaug. Tub. 1721. Aurea igitur est regula, quam EPHRAIM SYRUS vnicuique doctori suppeditat, excitata a b. BENGELIO in nott. ad Chrys. L. de Sacerd. p. 446. νῆφε σφόδρα ἐν τῷ σὲ σπείρειν τὸν σπόρον τῦ κυρίυ συ, μήποτε ὁ τὰ ζιζάνια σπείρων συμμίζῃ τι τῶν ἰδίων. ἔθος γὰρ αὐτῷ ἐςι διὰ τῦ ἀγαθῦ τὸ κακὸν κατεργάζεσθαι. οἶδε γὰρ, inquit, Chrys. l. c. p. 182. οἶδεν ὁ πολυμήχανος ὄφις ἐκεῖνος ϗ διὰ χρηςῶν πράξεων ϗ λόγων τὸν αὐτῦ παρασπείρειν ἰόν. Adeo multiplices laruae in promtu sunt hosti animarum, ad perdendam veritatem, omnique is cothurno pedem suum nouit aptare, vt plerumque apud crassos crassus, apud subtilis subtilis, apud sapientes sapiens, apud philosophos philosophus, apud theologos theologus, in omnes & quascunque formas mutabilis adpareat. Hinc tot veteratoriae versutiae in peruertenda veritate conspiciuntur, vt earum numerus non facile iniri possit. — In multis familiare ipsi & illud artificium est, antiquos & dudum obsoletos errores, noua forma, nouo habitu, saeculi genio attemperatos renouare: sic Nicolaitismum in Herrnhutianismo, (si vera sunt, quae in *entdecktem Geheimniß der Bosheit der Herrnhutischen* Secte a Timoth. Verino I-VI. Entrevüe relata legimus.) Photinianismum in Socinismo, Pelagianismum in Arminianismo reuiuiscere putes. Haec vero omnia ostendunt, quam firma fide veritas simplex, recto corde, tenenda sit, cum minima pars errorum sit innocua, quae non in vitam mentemque vim habeat maxime noxiam, vel sedimenta errorum post inundationem subsidentium nequaquam contemnenda aut innoxia sint, ne igitur in retia satanae incidamus, ea omnia sollicite cauenda sunt, quae è veritatis cognitione, possessione, amore deturbare solent, e. g. petulans neglectus gratiae diuinae, precum languor, malitia, superbia, curiositas maligna, disciplinae Spiritus Sanctus impatientia, experientiae spiritualis defectus, quae si a nobis absint, profunditatibus Satanae acutius inspectis, non erimus illius instrumenta, ad quorum animos tam

facilem

facilem habeat acceſſum, nec in ſtatu tentationis ſatanicae omnem regni tenebrarum impetum in nos patietur effundi Deus, quin nos cuſtodiat, ſuſtentet, quaerat, probet & reſtituat. Cautio eſt, quae & in erroribus & peccatis, ne admittantur, & quibuscunque praetextibus ſubrepant, adcurate tenenda eſt, & trito illa vulgatoque prouerbio continetur: *principiis obſta.* In veritatis igitur cognitione, vti in actionibus vitae momentoſiſſimis, lente feſtinandum eſt, ne deducamur ad leuia & lubrica, iisdemque incidamus in cribrum ſatanicum. MACARIUS Hom. XXVI. §. XII. p. 350. ed. Pritii: *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον δὲ ὁ σατανᾶς, ὡς ἐπὶ προφάσει ἀγαθῶς λογισμῶν ὑποβάλλει τῇ ψυχῇ καὶ ὑποκλέπτει αὐτὴν εἰς λεπτὰ καὶ εὐλογοφανῆ νοήματα, καὶ οὐκ οἶδεν ὑποκλεπτομένη διακρῖναι, καὶ οὕτως ἐμπίπτει εἰς παγίδα καὶ ἀπώλειαν τοῦ διαβόλου* — —. Cum omnis vera, ſalutaris, viua veritatis cognitio è reuelatione diuina, *ſacris litteris* nobiscum communicata, repetenda ſit, quantum tum in ipſo hoc fonte, in ſe puriſſimo limpidiſſimoque, inquinando, tum in illius interpretationibus peruertendis, ab omni aeuo laborauerit Satanas, dici non poteſt. Infiniti ſunt illi modi, quibus hanc omnis veri, ad ſalutem aeternam neceſſarii, ſcaturiginem obſtruere tentauit ſemper, adhucque tentat, & obiectiue & ſubiectiue, mendaciorum pater. Si quis omnibus in Sacram Scripturam impetibus, è regno tenebrarum ortis, enumerandis recenſendisque par eſſet, ſummopere miraretur, vel vnicam litterulam ex illa ſupereſſe, immo prouidentiam diuinam, huic pretioſiſſimo cimelio inuigilantem non poſſet non exoſculari & depraedicare. Si quis gentilium, iudaeorum, perſecutorum, philoſophorum, falſorum ſpiritualium omnis aeui ad animum reuocet conatus & machinationes, ad illius admirabilem conſeruationem non poſſet non obſtupeſcere. Gnarum eſſe Diabolum ſcripturae illiusque contentorum, ſingulari ſpecimine in tentatione Chriſti commonſtrauit, cum ex ipſa ſcriptura argumentaretur, & tentationi vim auctoritatemque conciliaret, nec vlla illius tela magis aculeata ſunt, quam illa, quibus ſcripturam in rem ſuam vertit, & ad noxias & periculoſiſſimas tentationes ſuas abutitur. Vtilitatem vero illorum armorum adparatusque ſpiritualis, quem Paullus ſuis commendat, (Eph. VI. 13. ſſ.) ſuo exemplo docuit Chriſtus. Ab his armis recte inſtructo & Scripturam cum Scriptura conciliante de his, quamuis ignitis, tentatio-

tationibus Satanae non multum metuendum erit. Bis Satanam verbum Dei allegasse legimus, semel non scriptum in paradiso, vbi victor in arena stetit, (Gen. III. 1. ss.) semel scriptum, in deserto, vbi victus abiit, (Matth. IV. 6.) idem hodienum saepe Scripturam allegat, ad fucum faciendum incautis, circa credenda aeque ac agenda, ita tamen, vt semper certa sit victoria τῷ γέγραπται. Cum igitur minima particula auri sit aurum, grata sint nobis criticorum studia, ex ingenti lectionum variantium farragine eam nobis quouis loco sistentium & commendantium, quae codicum pluralitate, antiquitate, auctoritate confirmetur, & ad primaeuam puritatem integritatemque quam proxime accedat: posse enim vel apicem vel vnicam litteram, vnicamque vocem momenti quid, vel maxime in libris Θεοπνεύςοις, habere, quis negauerit? modo ne in defectu vel in excessu huius accurationis peccemus. EUAGRIUS L. I. Hist. C. I. Saepenumero, inquit, sua ipsius malitia Satanas vnicam litterulam ad ipsam sententiam euertendam immutare solitus est, vt nempe mentem a lingua separaret, vt ne haec duo, vno velut consensu, Deo confessionem & laudem atque honorem debitum deferrent. Circa *sensus* Scripturae Sacrae torquendos, peruertendosque imprimis multus est & copiosus Satanas, vt BÜCHNERI de fascino Galatarum, ingenua sit confessio: non possum Satanam ita repellere, vt libenter vellem: Christum sic adprehendere, vt eum mihi Scriptura proponit. Sed subinde mihi suggerit Diabolus falsum Christum, pariter id fieri potest in aliis grauissimis doctrinis. Grata igitur nobis sint & antiquiorum & recentiorum interpretum studia, a rectitudine cordis, linguarum notitia, praeiudiciorum immunitate, experientia spirituali, ab amore veritatis, a liberali, simul vero etiam recta, scripturam tractandi ratione instructorum & commendabilium; quae quidem virtutes si vel omnes, vel singulae absint ab interprete, verendum omnino est, ne pro conditione nostri temporis regnum Dei vnciam, Satanas autem regnum integra talenta lucretur ex ipsius laboribus.

§. 5.

§. 5.

In veritatis reuelatae cognitione duae sunt eaedemque capitales pestes, quarum altera *rationi* iusto plus tribuit, altera iusto minus, vtraque fidei integritatem laedit & sollicite cauenda est. Rationis au&oritatem in rebus, ad fidem christianam pertinentibus iusto plus exaggerant omnes, rationalismi, vt vulgo dicitur, nomine & morbo laborantes, Naturalistae, Deistae, Sociniani, eandemque deprimunt & iusto plus extenuant, qui eam tantum non eiurandam esse praecipiunt, Enthusiastae, Fanatici, Mystici. Vtramque hanc hominum sectam, rectâ sibi oppositam subornat Satanas, vt de veritatis salutaris recte cognoscendae impedimentis obiiciendis inter se certent; posteriorem tamen alteram noxa & detrimentis, fidei illatis, vincere putem. De vtraque pro instituti ratione pauca dicemus. Satanas numquam periculosior est, quam vbi in angelum lucis transformatur, (2 Cor. XI. 14.) colores & laruam seraphicam, quemadmodum in paradiso, adfectans. (conf. Cap. II. §. 11.) idque facit potissimum, & fecit per omnia saecula, in quibus religio christiana in terris viguit, per falsas illas, vt dicuntur, spiritualitates in Enthusiastis, Fanaticis, & Mysticis. Verissimum quidem est, multa in sacris litteris credenda contineri, in quibus ratio parum possit, vt potius in obsequium fidei captiuanda sit, (2 Cor. X. 5.) vti in mysteriis; multa itidem contineri, quarum plena, viua, & efficax cognitio nonnisi *sensibus* spiritualibus absoluitur, quorum frequens fit in sacris litteris mentio, (Phil. I. 9. Hebr. V. 14. VI. 4. Pet. II. 3.) de insigni hoc rerum diuinarum recte cognoscendarum adminiculo conf. diss. Reuerendiss. Canc. D. REUSSII de Illuminatione p. 41. §. XXIII. sed haec omnia fanaticismi patrocinium non pariunt, vt potius homines, experimentaliter & vere spiritualiter de rebus ad gratiam adplicatricem pertinentibus edoctos, longe ab illo prohibeant. Alia omnino res est, vbi omnia ad lumen quoddam internum, omnium fanaticorum πρῶτον ψεῦδος, reducuntur, vbi quaeuis phantasiae viuacioris ludibria sancto spiritui tribuuntur illiusque operationibus, vbi ea rerum diuinarum contemplatio praetenditur, quae cum aliqua emotione mentis coniuncta sit, vbi ea ἀναισθησία adflectatur, quae in homi-

in Enthusiasmo.

hominem non cadit, vbi rationis, doni illius nobilissimi, diuini, praestantissimi, euacuatio postulatur, in sanctum ministerium grauissime inuehendi summa sibi licentia arrogatur, vbi credulis & leuioribus animis variis visionibus, ecstasibus, prophetiis, imponitur. Hic certe enthusiasmus, seu falsa opinio de singulari quadam inspiratione diuina, omnibus aetatibus, hominibus cuiuscunque status, gentilibus iuxta ac christianis communis, occasio fuit tot errorum ac malorum inter homines, vt nullus vmquam error aut illusio, qualiscunque fuerit, aut maior exstiterit, aut foecundior. Hinc b. LUTHERUS in artt. Smalcald. p. m. 327. ed. b. Walchii: „Enthusiasmus „insitus est Adamo & filiis eius, a primo lapsu, vsque ad finem mun„di, ab antiquo diacone ipsis veneno quodam implantatus & infu„sus, estque omnium haeresium & papatus & Mahometismi origo, „vis, vita & potentia.„ Idem de se ipso testatur: „In mystica „doctrina ego aliquamdiu versatus sum, non tamen sine meo ma„gno damno; vt istum Dionysii mysticam theologiam & alios si„miles libros, quibus tales nugae continentur, detestemini tam„quam pestem aliquam, hortor.„ Non in Judaeis tantum, haereticis priorum saeculorum, sed in gentilibus quoque tales ingenii lusus, cooperante sine dubio cacodaemone, exstitisse, mirum fortasse quibusdam videbitur; recentissime vero lectum exemplum id in innumeris aliis probare videtur; Fauno, inquit Justinus L. XLIII. I. 8. tertio post Saturnum regi in Latio, vxor fuit *Fatua*, quae assidue diuino spiritu impleta, velut per furorem futura praemonebat, vnde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Idem L. XVIII. 5. 7. narrat, inspiratos vates, daemone plenos, Pygmalionem a persecutione sororis Didonis auertisse. Miram aliquam huius Enthusiasmi caussam dat PLUTARCHUS in L. de orat. defect. T. II. opp. f. 413 ss. εὔηθες εἶναι καὶ παιδικὸν κομιδῇ τὸ οἴεσθαι τὸν Θεὸν αὐτὸν, ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους, εὐρυκλέας πάλαι νυνὶ πύθωνας προσαγορευομένους, ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι, τοῖς ἐκείνων στόμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις, eundem vero vaporibus, qui diuinare faciant, ex terra exhalantibus & φανταστικὴν καὶ μαντικὴν δύναμιν τῆς ψυχῆς incendentibus tribuit, secutus οἰομένους τὴν διάθεσιν καὶ κρᾶσιν ἐμποιεῖν τῇ γῇ τὸν ἥλιον, ἀφ᾽ ἧς ἐκφέρεται τὰς μαντικὰς ἀναθυμιάσεις, qui vel διὰ γυναι-

ναιχείαν, vel alia ratione in homine se insinuantes, ἐνθουσιασμὸν efficere fingebantur. Vel in brutis tale quid obseruatum esse exemplis quibusdam comprobare vult b. BEBELIUS, theologus argentoratensis, in diss. de Enthusiasmo p. 5. Huius vero genus duplex est, datur enim Enthusiasmus naturalis, vel rhetoricus, vel poëticus, datur etiam supernaturalis vel diuinus, vti in apostolis, prophetis, & christianis in flore christianismi & in pleno charismatum extraordinariorum vsu constitutis, vel diabolicus, vti in pseudapostolis, prophetis doctoribusque. Hi enim ab apostolo adpellantur ἐργάται δόλιοι, κ. τ. λ. (2 Cor. XI. 13 - 15.) Quantum autem antiquus serpens, (ib. ℣. 3.) viuentibus & in spiritu docentibus apostolis, tum in peruertenda religione christiana, tum in praua donorum tam extraordinariorum quam ordinariorum imitatione & simulatione, tum in suscitatione hominum, speciosissimis, & è regno tenebrarum mutuo acceptis, artibus & praetextibus, veritatem salutarem obfuscantium, laborauerit, dici non potest. Vnde factum est, vt inprimis rudiores & in dono discretionis spirituum non admodum versati christiani, tali euangelio, viuidius & ad conscientias adcommodatius, singularis γνώσεως praetextu & auctoritate, immo maiorum virium, quam quae in Paullo ceterisque veris apostolis conspicerentur, iactatione, annuntiato caperentur, & illorum mentes ab illa nobilissima ἁπλότητι εἰς τὸν Χριστὸν deflecterent. Magna haec & notabilis seductio eo tempore non obtinuisset, nisi hunc ministris suis enthusiasmum, prauum spiritus apostolici imitatorem, inspirasset Satanas, quanta inde confusio in ecclesiis consecuta sit, ex epistolis Paulli ad Corinthios, Galatas, Colossenses, facile discimus. Et talia organa per omnia saecula christianismi in terris plantati, variis speciebus, temporibus, genio saeculi, conditioni artium disciplinarumque, vel cultarum, vel neglectarum accommodatis, a regno tenebrarum informata esse, adcuratior historiae ecclesiasticae inspectio, quemuis veritatis huius cupidum, docebit. Verorum doctorum χαρακτῆρα vt omni tempore probe perspecta habeamus exploratаque, necesse est. Hi certe mente sobria & cum modestia ac temperata constitutione, scientes, quae loquantur, nec ἀναλογίαν & fidei suae mensuram migrantes, dicent omnia. Falsorum contra prophetarum doctorumque proprium est, emotae esse men-

mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, trahi, raptari tamquam furentes. Dæmonis est, tumultum & furorem & multam inuoluere caliginem. Dei autem est, illuminare; & quæ oportet docere, cum intelligentia. Aperta hæc ἀντιπερίστασις verorum & falsorum apostolorum, prophetarum doctorumque pertinet ad illa πνευματικὰ τῆς πονηρίας, ad quæ detegenda, fugienda, superanda, diuinam illam πανοπλίαν commendat suis apostolus. (Eph. VI. 10-17.) Nec vllo tempore in eiusmodi instrumentis excitandis instruendisque operosior est Satanas, quam vbi fortius aliquod, & cum diuina virtute coniunctum veritatis præconium regno ipsius notabilem aliquam minitatur cladem. Vt maior regni Christi & diabolici inter se confusio oriatur, id agit antiquus serpens, vt verorum Dei organorum, & in officio veritatis cognitioni vtilissima ministeria præstantium, seruilem imitationem suscipiat. Apostolis e. g. in spiritu docentibus excitauit Dositheum, Menandrum, Simonem magum, quorum hic inter Samaritanos tantam sectatorum copiam coëgit, vt ab illis fere cunctis tamquam Deus, & Helena vxor, tamquam prima eius intelligentia coleretur. Sic singulas spiritus operationes praua in ministris suis imitatione incertas, dubias, controuersas, facere tentat, quemadmodum id Mer. CASAUBONUS peculiari Tractatu de Enthusiasmo, eiusdemque generibus, diuinatorio, contemplatiuo, precatorio pluribus planum facere allaborauit; idque fortasse etiam naturalibus quibusdam caussis, quibus se immiscet Satanas, fieri potest, vti superiori aetate multa edita sunt scripta, de philtris enthusiasticis anglico-batauis, *von dem Englisch- und Holländischen Quacker-Puluer*. Tale quid obseruatum quoque est in hæreticis II. Sæc. Basilidianis, Carpocratianis, Ophitis, conf. Diss. Præs. Petr. ZORNIO de philtris enthusiasticis, Rost. 1707. p. 7. Num ad omnes eiusmodi fanaticorum ecstases, somnia, visiones, contemplationes, diuinationes, & qua ratione, quo gradu concurrat hostis; difficile est determinatu, inprimis cum naturalibus mediis, vt vidimus, & phantasiæ viuidioris ministerio cieri possint. Illud vero extra controuersiam positum esse videtur, ipsam rem, veritatis salutaris rectæ & solidæ cognitioni tam noxiam pestiferamque, & operationum Spiritus sancti prauam deterrimamque & adfectatam imitationem, esse a Diabolo, idque eo euidentius, quo maiori malitia

litia illa instituitur, fouetur & defenditur. Nec ipsi rationi, lumini spiritus sancti vere illustratæ, a priori probabile videtur, sapientiam diuinam, cum in rebus naturalibus, artibus scientiisque ad hanc vitam necessariis, singulis negotiis, operibusque, studio hominum diligentiæque tantum tribuisset, veritatis salutaris cognitionem, vnam omnium necessariam, otiosis contemplationibus, & solis spiritus diuini, quem prætendunt, quem mentiuntur, misso sacrarum litterarum studio, cum quibus numquam non agit, adflatibus, inspirationibusque adsignasse. Præclare hinc S. R. D. Ernesti docet, non alio modo vel quæri vel reperiri sensum verborum in libris sacris, quoad humanæ opera intercedit, quam quo in humanis vel solet, vel debet, nec vllo modo audiendos esse fanaticos, qui contemtis studiis linguarum & doctrinæ, omnia ad vim diuinam Spiritus sancti referunt: Idem tamen prudentissime etiam illud addit: non esse dubitandum, viros pios & veritatis diuinæ cupidos adiuuari a Spiritu Dei in scrutando scripturæ sensu, in iis quidem rebus, quæ proprie ad fidem & mores pertineant. Instit. Interpr. N. T. P. I. Sect. I. c. I. § 16. Idem etiam, quantum in ipsa precum exercitatione, studio diligentiæque humanæ relictum sit, grauiter docet in diss. de disciplina christiana p. 57. ss. Quo maiori igitur proteruia scripturam conculcant, eo euidentius & propius ad malitiam & operationum diabolicarum vim & impulsum accedunt. Irrefragabile hinc mendacii & falsi spiritus κριτήριον, scripturæ contemtus est. Nec tamen omnia in his hominibus, qui mente, studio, intentione varii sunt, cacodæmonis instinctui tribuerim, haud ignarus illorum effectuum, quibus producendis læsa & corrupta phantasia parem omni æuo se præstitisset, coniuncta plerumque cum falsa plerophoria & conuictione imaginaria. Discretio igitur spirituum, (1. Joh. IV. 1.) ob βάθη τοῦ σατανᾶ, etiam in hoc hominum genere quam maxime conspicua, pie, solicite, & caute instituenda est, ne vere piis iniuria fiat, spiritusque Dei illiusque operationes blasphementur, & omnia ad lapidem illum lydium, scripturam examinanda sunt. Nimius enim fanaticismi metus, per se non iniustus, ad alia æque periculosa ducere deuia potest. conf. Weismannus diss. I. in aug. p. 74.

§. 6.

— in Deismo.

Quemadmodum *rationis* contemtum subornat Satanas, ita nimia quoque illius in rebus fidei *auctoritate* abutitur ad interuertendam veritatis salutaris cognitionem rectam & salubrem. Tali artificio vsum esse in incredulis, deistis, naturalistis omni aeuo, in aprico est. Dicitur hinc saeculi huius Deus caecauisse infidentium mentes, (2 Cor. IV. 4.) εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. Haec ipsa vero mentium obtenebratio variis, iisdemque infinitis modis procuratur, per veri luminis surreptionem & falsi ostentationem, per sufficientiam rationis ad salutem, variis praetextibus persuasam, per eum animi statum ingeneratum, quo nec externis nec internis argumentis, pro veritate religionis christianae adduci in medium solitis, cedit, quamuis ne verbum quidem, quo incredulitas pallietur, & ne minima quidem elabendi rima supersit; per eam animi indurationem, qua ad grauissima Dei *iudicia*, in mundo, in ecclesia, in ἀπιστίας sociis, in se ipsis statuta, supino & inexcusabili sopore dormiunt, in caussis naturalibus, quibus procurantur, haerent, nec ad earum auctorem illiusque prouidentiam conseruatricem, gubernatricem, directricem cogitatione adscendunt; per conscientiae variis figmentis, & falsa quiete obnubilatae, & tranquillatae delusionem; per adfectuum vehementiorum imperium & aestum, ad veritatis placidum examen & sobriam disquisitionem inhabiles reddentium; per animae immortalis, & ad longiorem, hac praesente, vitam destinatae, incredibilem obliuionem, & ad bene illi in futurum prospiciendi miram oscitantiam; per falsam de Deo eiusque gratia, quamuis nullo idoneo fundamento nixam persuasionem; status naturalis & mentis, à vita Dei abalienatae, tristem ignorationem, & miseriæ inde ortae viuidioris recordationis defectum; per variarum illecebrarum huius mundi, quibus fascinati detinentur, retia & inextricabiles nodos, quibus irretiti, & mente & ratione capti plerumque sunt; per fugam examinis serii & sinceri veritatis reuelatae; φιλαυτίας inordinatae, sibi ceteris sapientioris & acutioris visae, intolerabilem fastum: per carnalitatis impune & sine morsibus conscientiae exercitae studium; immo per omnes illos fontes Deismi & incredulitatis, quos enumerat Reuerendiss. D. D. Faber in diss. I.

anti-

antideistica p. 11-16. Concurrere ad hos omnes maiori vel minori vi Satanam, vel ex eo constat, quod omnia agat, moliaturque, homines ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσι. (Luc. VIII. 12.) Ceterum in amico illo rationis & reuelationis vinculo nectendo, & harmonia illarum recta constituenda, multum situm est prudentiae, moderationis, σωφροσύνης spiritualis, cum vnius aut alterius iusto plus euecta auctoritas, cum detrimento alterius & illius praeiudicio, aeque periculosa sit & a typo salutaris doctrinae deflectere soleat. Felix ecclesia, vbi philosophi credunt, & credentes philosophantur!

§. 7.

Verae pietati & sanctimoniae vitae, conformitatique cum vita, mente & actionibus Christi, ad quam vocati sumus, inter multa obstat inprimis & illud, quod ingenium humanum a primis rei christianae initiis multa instituta disciplinae excogitauerit, quae praeter actionem corporis nihil habere videntur, quod ad finem eum prodesse possit, cuius caussa inuenta sunt, & propter quem vsurpantur, in quo vera *superstitionis* natura cernitur, quae in eo sita est, quum, vt verbis S. V. D. ERNESTI in diss. de disciplina christiana p. 28. vtar, „ alicui rei tribuimus aliquam vim, praesertim in religione & ad Deum colendum, eumque nobis placandum, quae vim eam nec per naturam suam habeat, nec vlla alia de caussa habere possit. „ Inanes eiusmodi ritus & caerimoniae singulis fere saeculis plures accessere, ad veram pietatem suffocandam magis, quam augendam acuendamque. Nec illud modo factum esse scimus, sed ipsa instituta diuina, vi quadam illam ingenerandi praedita, in meram γυμνασίαν σωματικὴν conuersa, peruertere solet superstitio. Etiam ex hac vna omnium euidentissima ratione factum esse putem, cur tam pauca, nimirum nonnisi duo, baptismum & S. C. instituta, in sua ecclesia vigere pietatemque incendere & alere vellet Christus, quae ipsa, vt sunt egregia vitae sanctimoniae adiumenta, si mechanice tantum peraguntur, omnem vim potestatemque insitam amittunt, & in meram operis operati, vt in scholis dicunt, actionem degenerant, cultumque diuinum, in spiritu & veritate praestandum, (Joh. IV. 24.) mirum in modum sufflaminant. Singularis est ingenii humani & quae

— in Superstitione.

quae probe notetur, digna procliuitas, qua lubenter & ſine incommodo fertur ad omnes eas actiones perpetrandas, quae ſpecie religionis & pietatis tinctae ſint & infucatae, nec vllam niſi a ſeueritate, triſtitia, labore & moleſtia habeant commendationem. Recte huc referuntur, iam Saec. IV. ortae, crebrae in Palaeſtinam & ſepulcra martyrum profectiones, quaſi hinc ſanctitatis ſemen ſalurisque certa ſpes domum referri poſſit: Hinc pulueris & terrae portiones, tamquam efficaciſſima omnium malorum remedia, allatae, & caro vbique pretio emtae & venditae: Cultus imaginum & reliquiarum, nimia erga ſanctos caelo receptos veneratio; praepoſteram profanos ritus imitandi & cum chriſtianis ſacris coniungendi ſtudium; ſingularis alicuius in ſigno crucis efficaciae vana opinio; incredibile illud condendorum, ditandorum, ornandorum, amplificandorum ſacellorum, templorum, baſilicarum ſtudium; ſanctorum oſſium, ſupellectilis, terrae veneratio ſtulta & inhoneſta; plura figmenta & commenta de operationibus daemonum, nulla Scripturae auctoritate munita firmataque, terriculamenta talia ad nauſeam vſque excogitata, multo magis media, ab eorum inſultibus ſe expediendi, abſurda, inania, ridicula: vt absque ſtupore & indignatione legi non poſſint, quae & antiquiores & recentiores de hac re collegere, e. g. Joan. Wierus de praeſtigiis Daemonum & incantationibus ac veneficiis L. I - VI. Baſil. 1583. & b. D. Hauber, noſtras, theologus omnium confeſſione & pius & eruditiſſimus, in bibl. magica. Obſcurorum illorum ſaeculorum, in quibus eiusmodi fraudes, fictionesque a Monachis Clericisque ortae ſunt, & quaeſtus faciendi cauſſa inuentae, euidentiſſimum praebent argumentum, eodem facile gradu, quo ſcientiae cultae eſſent & philoſophia viguiſſet, iterum diſpulſae & euaneſcentes, tenebricoſae enim eiusmodi fictiones & ſplendorem ſcientiarum fugiunt, & lucem reuelationis. Infinitae ſunt, quas rerum naturalium cauſſarumque ignari, admitterent veteres, fallaciae cauſſae non - cauſſae, nec dici poteſt, quantum ad ſuperſtitionis origines & progreſſum conferrent vanus hominum metus, nimia credulitas & φιλαυτίας inordinatae effectus. Jam cum ſuperſtitionis eiusmodi genera, quotquot ſunt, veram Dei, in operibus & verbis eius manifeſtati, agnitionem impediant, cultum illi externe interneque praeſtandum, mirum in modum peruertant, animum

animum vanis imaginibus, cogitationibus, ἐθελοθρησκείας, propriæ iustitiæ fastu & arrogantia impleant & onerent, & religionis insitam vim & naturam, quæ in conformatione mentis actionumque ad exemplar vnum omnium perfectissimum summi boni & Supremi Numinis sita est, obfundat caligine, quænam sint in illis ingenerandis, fundandis & multiplicandis partes Diaboli, facile colligimus, & ex eius veræ religionis peruertendæ studio evidenter intelligimus.

§. 8.

in gentilismo 1) quoad idololatriam.

Artium diabolicarum theatrum nullibi magis constituisse Satanam, quam inter *gentiles*, & loca Scripturæ declarant, & natura rei. Nec enim sine alieno instigatore, doctore & duce, ad tam absurdas & rationi quoque abominabiles, delapsi essent opiniones, superstitiones, & erubescendas omnino Deum colendi rationes. (Rom. I. 25.) Initium *idololatriae* sine dubio a sole, luna, sideribusque cælestibus factum, quæ vt splendore oculos, ita vtilitate corda alliciebant. A cælo in terram delapsi variis rebus, excellenti aliqua virtute præditis, diuinitatem tribuerunt, hinc imaginum & statuarum cultus sequebatur, vt præsentes sibi sisterent, quos colerent, Deos, immo ipsorum tandem hominum, a quibus singulari beneficio se adfectos crederent, rerumque vilissimarum, adoratio secuta est. Idololatriæ igitur natales, vti omnis peccati, in ipsis humani cordis recessibus quærendi sunt, cuius ea est indoles, vt sua natura feratur ad se & res creatas, quæ cupiditatibus inseruiant, plus quam Deum, summum illud bonum & verum durabile, amandum. Subtilior haec idololatria, vitiosae hominum naturae tam familiaris, fons est & principium illius crassioris. Accedit etiam illud, quod mirabiliores vitae hominum casus, vicissitudines, facta, & fata tam laeta, quam aduersa, cum insigni aliqua vi & efficacia in mentem humanam coniuncta sint, & instrumentorum, quibus procurata sunt, vel nimia veneratione, vel indignatione & odio excipiantur, id quod homines, a veri Dei cognitione auersos, ad varia genera idololatriae induxit. Falsus igitur est DAV. HUME, qui polytheismum pro antiquissima religione, & idolorum adorationem pro antiquissimo cultu divi-

diuino habet; historica enim documenta, & sanae philosophiae placita, huic asserto refragantur. conf. & expende (Hiob XXXI. 26. 27.) & testimonia antiquitatis in BUDDEI H. E. V. T. p. 244. ss. Nec a veri similitudine abludunt ea, quae de origine idololatriae in medium adfert PETR. IURIEU in hist. crit. dogm. & cult. (P. III. c. II. p. 404.) multa nimirum eruditionis copia, id efficere tentat, idololatriae origines ab historiae sacrae superficiaria cognitione, & traditionis impuris fontibus esse repetendas (Sap. XIV. tot. Baruchi VI.) Ab hominum ceteroquin adoratione idololatriam non incepisse, vnicuique innotescet, qui GERARDI IOH. VOSSII eruditissimum opus de origine & progressu idololatriae, Francof. MDCLXIIX. a primo limine salutauerit, aut R. MOSIS MAIMONIDIS de idololatria librum cum interpretatione & notis DIONYSII VOSSII A. MDCLXIIX. euoluerit. Iam quaenam sint apud idololatras Diaboli partes, loca scripturae & natura rei euidenter declarant. Ephesiis statum pristinum in memoriam reuocat Paullus, & inde magnitudinem beneficii, in euangelio ipsis oblati, recte aestimandum docet: mortuos fuisse, inquit, (C. II. 1. 2.) delictis & peccatis, in quibus olim versati essent, secundum naturam praesentis saeculi, ad principis illius potestatis tenebricosae arbitrium, videlicet illius spiritus, qui nunc in contumacibus vigeat hominibus. Expressa porro mentio Satanae fit in describendo statu gentium, (Act. XXVI. 18.) quae per euangelium a potestate Satanae ad Deum conuertendae dicuntur, & celebratur (Col. I. 13.) ingens illud beneficium, quo christiani e potestate tenebrarum, quae apud idololatras tam crassa tam foeda fuit, & qua, tamquam captiui, detinebantur, asserti sint in ciuitatem regni Christi, ciues suos lubentes fouentis, & contra tenebrarum vires munientis. Pergami, vbi templum Aesculapii frequentabatur, dicitur esse thronus Satanae, ὅπου ὁ σατανᾶς κατοικεῖ, quemadmodum ibi, vbi mysteria iniquitatis a iudaeis exasciabantur, adposite Satanae Synagoga esse dicitur, (Apoc. II. 9. III. 9.) immo Paullus (1 Cor. X. 20.) expresse asserit, ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει καὶ οὐ Θεῷ. christianos igitur talium sacrificiorum non vult esse consortes, nam qui sacrificiis gentium, daemonia inuitantibus, aderant, daemoniis fenestram aperiebant ad sese inuadendos. (Deut. XXXII. 17. Baruch IV. 7.) Diabolo igitur cultus in idolorum adoratione praestabatur, diuinum

sibi

sibi honorem sumenti, quem ab ipso Christo sibi exhiberi postulauit, (Matth. IV. 9.) nec ab idololatria N. T. abesse Satanam, apocalypsis docet, quae ingenti illa plaga vae secundi non id effecisse Deum asserit, vt desisterent a suis actionibus, ἵνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια καὶ τὰ εἴδωλα. (Apoc. IX. 20.) Inprimis quoque impiam & sacrilegam infantum Molocho immolatorum consuetudinem, dæmonibus præstitam esse Ps. CVI. 37. docet. Phœnices, Syros, Cananæos, & qui ab his ortum duxere, Carthaginienses in magnis, iisdemque publicis, calamitatibus, homines, & quidem infantes optimæ formæ, non modo per ignem ad februationem, seu lustrationem, traduxisse, vt putant GERH. JOH. VOSSIUS de theol. gentili L. II. c. V. & AUG. PFEIFFERUS dub. vex. cent. IV. Loc. XXX. p. 832. sed plane concremasse, vt Camp. VITRINGA Obs. Sac. L. II. c. I. p. 252. BUDDEUS H. E. V. T. T. I. p. 763. ff. docent, è profanis quoque scriptoribus liquet, conf. GROTIUS ad V. T. Deut. XVIII. 10. p. 168. & immanem hunc & exsecrabilem cultum ab his Israëlitas didicisse, plura loca, (Deut. XVIII. 10. Ezech. XVI. 20. 21. Jer. VII. 31. 2 Reg. XXIII. 10.) euincunt; reuera vero Diabolum auctorem subfuisse, illique præstitum esse, quis non videat? cum illius absurditatem, & detestabilem formam, vel minutissimæ rationis scintillæ superstites, grauiter & seuere coarguissent, sed has quoque extinguere posse, & omnes hominis vires caligine offundere, & tenebris obfuscare, ex aliis quam plurimis documentis constat. Abrahamo præcepta diuinitus Isaaci immolatio, per traditionem ad gentes propagata, fortasse immanis huius cultus occasio extitit, quam in rem suam vertere non dubitauit Satanas. Atque ita primæua religio, quæ in infantili ætate mundi paucis capitibus constitit, videlicet cognitione Dei, tamquam vnius, dogmate de recuperanda Dei gratia, per purificationem a peccati sordibus, & placanda Dei sanctitate & iustitia per sacrificia, successu temporis peccatorum contagione, latius indies serpente, deprauata, phantasiæ luxuriantis placitis, fidelitatis religioni, a patriarchis traditæ, rite præstandæ defectu, leuitate animi & veri cognoscendi inueniendique socordia, hominumque malitia deformata est, accedente iustissimo Dei iudicio; homines per impietatem & iniustitiam veritatem hoc modo

iniuste supprimentes castigante, & in improbam mentem permittente, vt nefaria quæuis perpetrarent, & tenebrarum amore magis, quam lucis veritatisque detinerentur. Quam operosus actuosusque in hoc misero & tenebricoso statu firmando, & quibuscunque præsidiis muniendo Satanas fuerit, ex iis locis, quæ attulimus, liquido patet. Paullus, cum in eo est, vt gentiles ne lumine quidem naturæ recte vsos esse, & hinc diuinæ iræ iustissime subiacere ostendat, (Rom. I. 18-32.) & insignes illorum deuiationes reprehendat, caussæ huius principalis & efficientis nullam facit mentionem, nec tamen recte excludi, probabili inde ratione coniici potest. Habet enim in omnibus grauioribus peccatis aliquam partem, (1 Joh. III 8.) & inprimis illis, quæ vel sanæ rationis dictamini vel conscientiæ, accusantis aut defendentis nostras actiones, præceptis contradicunt, (Rom. II. 19.) gloriam Dei minuunt, illiusque regnum impediunt. (Eph. II. 1. 2. Act. XXVI. 18. Col. I. 13.) In gentilismo igitur habuit proprie & κατ' ἐξοχὴν imperium, regnum, potestatisque sedem, vt Johannes, (1 Ep. V. 19.) recte asserat, mundum iacere ἐν τῷ πονηρῷ per atheismum, idololatriam, superstitionem, deismum, fanaticismum, cæcitatem, fraudem, vim, lasciuiam, impietatem, malitiam omnem, vt expers sit omnis vitæ sensusque ex Deo. — Diabolum igitur cum malis spiritibus præsidem fuisse & promotorem idololatriæ, illa quoque scripturæ testimonia probant, in quibus obiectum idololatriæ adscititiæ populi israelitici, sub nominibus שעירים & שדים similibusque aliis, cum summa detestatione Dei proponitur, (Leu. XVII. 7. Deut. XXXII. 17. 2 Paral. XI. 15.) vt facile pateat, quænam expositio iure præualeat, illane, quæ sine malis spiritibus ad meras statuas & imagines, omnia redigit, vel ea, quæ partes principales dæmonibus, tamquam praesidibus & statoribus rei idololatricæ attribuit? Cultus ille directus est ad intelligentias spirituales, quid enim potuissent exspectare a mero auro, argento, lapide, lignoque, a puris putis statuis atque imaginibus? Cum vero iudæi hos spiritus deberent malos iudicare, qui se in locum Dei collocarent, cultumque huic vni debitum ad se raperent, consueta vero nomina falsarum diuinitatum illa vocabula fuerint, clarum est, non alios quam malos Spiritus in illis locis designari. Legi non pœnitebit, quæ

GRO-

GROTIUS hac de re differit in libro incomparabili de Ver. R. C. p. m. 194. ff. ed. Hagæ Com. 1718. vbi malos spiritus adoratos a paganis probatur, & ostenditur, quam id sit indignum. Quamuis vero superioribus sæculis omnes gentes suo more viuere permitteret Deus, multis tamen & variis modis se testatum voluit, (Act. XIV. 16. 17.) id quod pro apologia viarum Dei interest nosse & dicere, veræ religionis curam ita habendo, vt nullum in antediluuiana historia vestigium adpareat introductæ idololatriae, quæ mundum post-diluuianum tam cito ac tam misere infecit: se apud exteros, Ægyptios, Cananæos euidentissimis miraculis, factisque longe notabilissimis manifestando, eorumque famam late propagando, voluntatemque suam ipsis rerum necessariis perfectionibus, operibusque in naturæ regno, immo intra ipsorummet pectora & conscientias declarando, (Act. XIV. XVII. Rom. I. II.) inter illos gratiae cuiusdam generalis instrumenta excitando, qui certa ratione prophetarum ministerio fungerentur, e.g. PLATONEM, SOCRATEM, qui ob innocentem & heroicam vitam vel christianis admirabilis fit, & ob iniustam mortem, cuius præcipue ex impugnata idolololatria istius sæculi reus factus est, aliquo modo, velut inter gentiles, martyrii gloria dignus censeri possit: (Certe non sine aliquo mysterio & præparatione hominum ad christianismum tanti æstimatus est apud omnes, ob introductam morum philosophiam, & vsum sanæ rectæque rationis,) varia iudicia exercendo, populos virtutem colentes in cœptis, institutis, bellis, secundando, alios, ad quæuis flagitiorum genera proiectos, deserendo.

§. 9.

Nullibi fortasse magis se *simiam* Dei finxit Satanas, quam inter gentiles, sic omnia sibi sumsit imitanda, quae olim in suo populo sanctissime sanxisset Deus. Et nulla re artes Satanae operosiores se praestitere, quam in *variis diuinationum generibus*, quae inter omnes gentes, sua culpa a cognitione veri Dei alienas, inualuere. Indulsit suo populo pro insigni erga illum liberalitate, somnia, vaticinia, sortes, omina, visiones, oracula ex adytis, responsa per Vrim & Thummim, nec illum vmquam tam de praesenti suo statu, quam de futuro ignarum esse siuit: hos omnes occulta & maxime futura, a) Varia diuinationum genera.

cognoſcendi modos, inter gentiles imitatus eſt Satanas; vnde tot divinationis ſpecies, ſortilegia, auguria, haruſpicia, *ῥαβδομαντείαι*, necromantiae exſtitere. Has omnes inſtinctu antiqui ſerpentis inter gentiles per imitationem eſſe ortas ſotasque putem, nec Deum, vt SPENCERUS de legibus hebraeorum ritualibus & earum rationibus, ed. Lipſ. p. 781 ſſ. in ſua hypotheſi multus eſt & copioſus, hos varios diuinandi modos hebraeis indulſiſſe, quod apud exteras gentes obtinerent, & Deo iam res eſſet cum difficili populo, & ad ſpecioſas omnium gentium vanitates & ſuperſtitiones proiectiſſimo. Nec vllum mihi videtur dubium, quin naturali illa futura cognoſcendi cupiditate, maxime in gentibus incredulis, veri Dei neſciis, omni ſpe & fiducia in prouidentia diuina vacuis, de futuris euentibus anxiis, diuinae rerum omnium gubernationis & directionis nullam rationem habentibus, hoc modo abuſus ſit Satanas, & innumeras fraudes ad illam accommodauerit. Inter multas alias etiam hac ratione factum eſſe exiſtimem, vt populo ſuo omni cum his diuinandi generibus commercio grauiſſime interdiceret Deus, (Deut. XVIII. 10. 11.) vbi inter vanarum artium magiſtros primus occurrit: קֹסֵם קְסָמִים LXX *μαντευόμενος μαντείαν*, aut qui ſciſcitatur hariolos; SEB. MÜNSTERUS & ANT. VAN DALE ſortilegia varia apud ethnicos viſitata intelligi putant, quorum diuerſas ſpecies *κληρομαντείας*, *στοιχομαντείας* aut *ῥαψῳδομαντείας*, inprimis apud graecos & romanos vſitatas, (quod temere arrepto poëtae cuiusdam libro, quicquid primum oculis ſe obieciſſet, pro ſorte id & oraculo haberetur,) recenſet S. R. D. COTTA in diſſ. de ſortibus ſanctorum p. 8-30. 1758. alii קסם קסמים generale eſſe nomen putant, & omnium diuinationum ſpecies eodem indigitari, e. g. BUDDEUS in H. E. V. T. I. p. 775. ſ. Occurrunt porro l. c. 2) מְעֹנְנִים qui pro diuerſa vocis origine diuerſe explicantur, qui ab עוֹנָה tempus ſtatutum, aut ab עָנָן nubes deriuant, hac voce obſeruatores caeli, *aſtrologos iudiciarios* & genethliacos deſignari contendunt: qui ab עָנָה reſpondit, ariolos, *augures*, haruſpices, aliosque, qui, quid prodigia, oſtenta, omina ſibi vellent, explicarent, intelligendos eſſe autumant: Ill. MICHAELIS *Ueberſ. A. T.* p. 46. T. IV. Sect. 11. vertit: *Die*

aus

aus den Wolken wahrſagen: qui ab עָנָן deriuant, *praeſtigiatores* ea innui credunt, qui pedum manuumque agilitate ſpectatorum oculos fallere didiciſſent. Quidam intelligunt ſomniorum interpretes, *ὀνειροκριτικὴν* doctos. 3) מְנַחֵשׁ LXX. *οἰωνιζόμενος*, omina captans, auguria ſectans, ex cantu volatuque auium & tripudiis pullorum futura augurans, vel extiſpices, haruſpices, qui ex victimis ſectis, (Ezech. XXI. 21. Dan. II. 27. IV. 4.) vaticinarentur, Chaldaeorum גזריא. Haec aliaque ſuperſtitionis genera a Chaldaeis, Aegyptiis, ad Graecos & Romanos tranſierunt. 4) מְכַשֵּׁף ſec. plerosque, MOSEN MAIMONIDEM, SEB. MÜNSTERUM, CASP. PEUCERUM, qui de praecipuis diuinationum generibus commentatus eſt, denotat Magum, praeſtigiatorem, qui magica arte rem aliquam ſub oculis mutat, idque vel deluſorie, more agyrtarum circulatorumque, vel ope Daemonum, more Jannis & Mambris, Moſi reſiſtentium. 5) שֹׁאֵל אוֹב LXX ἐγγαστρίμυθος. אוֹב vtrem denotat, (Hiob. XXXII. 19.) ventriloqui, quod velut vtres inflati turgeſcerent & impurus ſpiritus interdum, ex illorum ventre, aut partibus obſcœnis reſponſa daret. Voce אוֹב videtur ſpiritus quidam malignus denotari, qui certis artibus eliciebatur, vt euocaret mortuorum manes, qui reſponderent ad ea, quae ex iis quaererentur, aut alia quacunque ratione futura indicarent. Hinc Endorenſis illa mulier (1 Sam. XXVIII. 7.) בַּעֲלַת אוֹב audit. Spiritus hoc modo magica arte euocatus voce humili aut ſubmiſſa, velut murmuratione quadam, reſponſa dabat. (Jeſ. XXIX. 4.) Et daemonis maligni operam heic interceſſiſſe, eo minus dubitari poteſt, cum eundem ex puella, (Act. XVI. 16.) quae dicitur ἔχουσα πνεῦμα πύθωνος, expulerit Paullus, quamuis praeclara verba & teſtimonium haud contemnendum de diuina eius miſſione exhiberet, verum, inquit BENGELIUS in Gnom. h. l. tali teſtimonio non erat opus, ſed repreſſione eius, ne Paullus videretur commercium cum hoc ſpiritu habere. יִדְּעֹנִים videntur homines, qui generatim futurarum rerum notitiam prae ſe ferrent. 6) דֹּרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים Prohibetur hîc a populo *νεκρομαντείας* aut *νεκυομαντείας* ſuperſtitio. Exiſtimabant nimirum, certis ritibus aut malignorum ſpirituum ope euocari poſſe animas defunctorum, a quibus futura, aut quae ſcire aue-

auerent, condiſcerent. Vſitatiſſimum hoc erat ſuperſtitionis genus, id quod tum ex libris ſacris, tum ex profanis auctoribus conſtat. νεκυία, inquit Grotius in annot. ad V. T. p. 170. omnium diuinationum antiquiſſima, & ſignum creditae τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς. frequenter id factitatum in Oriente diſcimus ex Aeſchylo & Herodoto. „ Jam quid de omnibus his diuinationum generibus ſentiendum eſt? Innumeras in illis fraudes & impoſturas obtinuiſſe locum, dubitari nequit, nec tamen omnes operationes diabolicas, morales certe, immo & phyſicas, ab illis excludendas eſſe, cum Bekkero, Ant. van Dale, aliisque exiſtimem. Illud vero aeternum chriſtiani nominis opprobrium eſt, vel inter ipſos illos, qui ſacris chriſtianis initiati ſunt, per omnia ſaecula, inprimis illa, quae reformationem ſacrorum, miniſterio Lutheri factam, antegreſſa ſunt, complures exſtitiſſe, qui talia deliramenta a gentilium ſuperſtitionibus retinuiſſent, & illos omnes, quos diximus, occulta, & futura maxime cognoſcendi modos, additis inſuper aliis, iisdemque aeque abſurdis, exercuiſſent, ſingularis cuiusdam honoris ſignificatione a plebe ignobili & nobili, docta & indocta recepti, id quod ex recentiſſima illa & notiſſima Schroepferiana tragoedia conſtat, de qua confer S. Ven. Ernesti progr. reform. 1775. in vernaculam translatum a Cel. Semlero & adpendicis loco *den Samlungen von Briefen und Aufſäzen über die Gaſsneriſchen und Schröpferiſchen Geiſterbeſchwörungen mit eigenen vielen Anmerkungen herausgegeben von Ioh. Salomo Semler I. St. 1776.* annexum. Tenui meo iudicio, & vbique ſaluo meliori, mihi ſic videtur, cum poteſtas Satanae daemonumque morte Chriſti & plena inde ab illis reportata victoria multis in rebus reſtricta, fracta, limitata, ſuppreſſa ſit, ſi in gentiliſmo eiusmodi inſignes operationes obtinuiſſent, quod negari facile nequit, illis in plena chriſtianiſmi luce nullum amplius ſupereſſe locum, & plerumque meras eſſe fraudes & impoſturas, quibus imperitae plebi ab hominibus male feriatis imponatur. Etiam hoc reſpectu ſimus *εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ — ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους καὶ μετέστησεν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ.* (Col. I, 12. 13.)

§ 10.

§. 10.

3) Speciatim oracula.

Judicio huic haud leue pondus & momentum accessurum esse confido, si speciatim ea, quae circa *oracula* gentilium contigere, in animum reuocauerimus. Illorum quidem origo incerta est, sed antiquissima fuerit, necesse est, ita, vt Mosis tempora anteuertere videantur. Apud Aegyptios frequentissima fuere, teste HERODOTO L. II. c. LXXXIII. Mineruae in vrbe Sai, Dianae in vrbe Bubasti, Martis in vrbe Papremi, Jouis Thebis, a quo originem duxisse ferunt illud Ammonis in Lybia, quod Alexander M. teste ARRIANO & CURTIO tanta religione adiit, & illud Jouis Dodonaei in Thesprotia; alia fuerunt Pythium seu Delphicum, celebratissimum illud & maxime frequentatum, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum in Milesia, Sabæum in Phocide; &c. Philosophorum gentilium sententias de oraculis, inprimis Stoicorum, Peripateticorum, illorumque principis Aristotelis, Epicuraeorum, adfert BUDDEUS H. E. T. I. p. 787. s. qui ea ex naturali quadam & hominibus insita vaticinandi facultate deriuant. De antiquissimis patribus constat, de oraculis ita sensisse, vt Daemonas operari in simulacris, impuros Spiritus sub statuis & imaginibus consecratis delitescere, adflatu suo vatum pectora adspirare existimarent, sic TERTULLIANUS, CYPRIANUS, sic inprimis MINUCIUS FELIX sententiam aperte & ingenue proferunt, iis quidem temporibus, quibus idolorum cultus quam maxime vigeret. Cap. XXVI. ss. p. m. 178. ss. ed. Lindneri 1770. & ej. Cap. §. 6. ss. Singularis erat illa συγκατάβασις Dei, qua ad populi israëlitici infantiam sese demitteret, in quouis ancipiti casu Deum suum consulere iussi, per Vrim & Thummim responsa dantem, conf. Jll. MICHAELIS *Erkl. Hebr. Ep.* p. 227. n. 6. & hoc quoque institutum imitatum esse Satanam per oracula, a veri similitudine haud alienum videtur. Nec tamen innumeras praestigias & imposturas sacerdotum intercessisse negauerim aut dubitauerim. Probant id & declarant responsa, vt plurimum metrica, ambigua, obscura adeoque fallere apta, specus aut antra luce destituta adytaque, in quibus ederentur oracula, ad fraudem faciendam prorsus accommodata; nam vt THEODORETUS illa descri-

scribit, „ erant simulacra aerea ligneaque, intus vacua, & dorsum
„ copulatum ad parietes habentia, vbi quaedam foramina relinque-
„ bant, & per adyta ascendentes & intrantes in simulacra, quae
„ volebant, per eorum ora loquebantur, & hoc modo seducebant-
„ tur iugiter audientes. Hi doli detecti sunt, cum idola deiicerentur.„ Risit hinc iam suo tempore has diuinationes CICERO, L. II. de diuinatione: „ Sed quod caput est, inquiens, cur isto modo iam
„ oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam
„ diu, iam vt nihil possit esse contemtius? Hoc loco cum vrgentur,
„ euanuisse aiunt vetustate vim loci eius, vnde anhelitus ille terrae
„ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut
„ salsamento putes loqui; quae euanescunt vetustate. — Quae vetu-
„ stas est, quae vim diuinam conficere possit? „ Cum vero inter multa mendacia & falsa, ambigua & obscura, responsa quoque dentur aperta, de rebus futuris, humanae sagacitati imperuiis & ignotis, quibus euentus accurate responderet; cum inprimis nato Christo obmutescerent, aperto documento insignium illarum commotionum, quae eo tempore nati, in terris versantis, mortui, resurgentis, exaltati Christi in inuisibilibus contigissent, cum illa ipsa periodo potestas diaboli admodum restricta, debilitata, fracta & triumphata sit, diaboli operationes concursumque omnem ab oraculis haud excludendum esse, putem, quamuis BEKKERO, ANT. VAN DALE, BERN. DE FONTENELLIO secus statuentibus. Lepida est de silentio oraculi delphici narratio, quam EUSEBIUS L. VII. c. 25 de GREGORIO narrat. „ Diuerterat Gregorius Episcopus iter faciens in fano Apollinis. Mane postquam Gregorius abiisset & Sacerdos oraculum expeteret ab idolo suo, negauit, se quicquam posse vaticinari, nisi copiam eius rei a Gregorio haberet. Sequitur Sacerdos illum, quanta maxima celeritate potest, impetrat litteras, quibus oraculi potestas restituitur idolo, his verbis: Gregorius Apollini: permitto tibi redire ad locum tuum, & agere, quae consueuisti: quas litteras cum Sacerdos arae imposuisset, locutus est Apollo: id cum Sacerdos vidisset, intellexit, non esse Deum, cui homo silentium imperaret: itaque relicto oraculo, sanctum illum virum sequitur, & factus est christianus. „ Fide huius narrationis Eusebianae historiae suo loco relicta, illud certum est exploratumque, luce euangelii,

mun-

mundo obortâ oracula, obmutuisse, regno Draconis, quod sub gentilismo & cultu idololatrico dominante longe lateque viguit, notabilem illam cladem passo. conf. C. III. §. 12. Nec illa obiectione, quî futurorum contingentium notitia in diabolum malosque angelos cadat, multum vrgeamur necesse est, nemine mensuram cognitionis spirituum, nobis sublimiorum, emenso. Solius omnino Dei est, futura nosse, eaque omnia, & reuelare, cui velit, (Jes. XLIV. 7. XLI. 22. 23.) nec nos animae humanae naturalem vaticinandi facultatem tribuimus; Daemonas vero multa scire, praesagire, subtiliori coniectura assequi, & ea inprimis, quae ipsi moliuntur, reuelare posse, & praedicere, quae nostrum acumen, perspicaciamque fugiant, extra controuersiam positum videtur. Perspicitur hinc, cur Deus populo suo in lege his gentilium superstitionibus grauissime interdixerit, immo ne vesci iis animantibus permiserit, quibus superstitio ad varios diuinandi modos abusa legitur. Memorabilis locus est Origenis L. IV. contra Celsum, quem Grotius, vir minime superstitiosus & credulus, exhibet in libr. de V. R. C. p. 243. n. 2. — De oraculis *Sibyllarum* non liquet. Stackhouse in *Lehrbegriff* T. VII. p. 17. ss. de illis ita sentit, vt doctrinam de Messia illis contineri asserat, sed non prophetice, ab hellenista quodam iudaeo ad propagandam communem illam Messiae exspectationem, vel inter gentiles, conscriptam, per piam fraudem vaticinii loco sparsam, & antiquitatis auctoritate munitam, ex qua Virgilius in celebratissima illa Ecloga Augusto adulatus sit, eamque ad partum Scriboniae vxoris, infausto vero euentu feminam parturientis, adplicauerit: omnium minime Diabolum horum oraculorum auctorem fecerim, quod tamen multos fecisse video, quos conf. in Tob. Wagneri, cancellarii quondam Tubingensis, Inquisitione in oracula Sibyllarum, cum annott. 1664. Diuinam illis originem auctoritatemque tribuerunt patrum plerique, iisdem ad confutationem gentilium vsi: conf. S. R. Semleri *Abhandl. von freier Unters. der Canons 2. Th. p. 118 ss.* Nulla videtur spes tempusque adfulgere, hanc rem perductum iri ad liquidum. — Vel inter hebraeam gentem tale quid ortum videas, si eorum memineris, quae de בַּת קוֹל, qua Deus aliquando quasi per echo in aëre, doctores fuerit allocutus, sub templo secundo potissimum frequentata, tradunt huius gentis magistri.

Docti de illa in duas potissimum abeunt sententias, quarum vna illius veritatem negat, altera vero vere exstitisse tale reuelationum diuinarum genus existimat, quod defectum prophetarum suppleuerit sub templo secundo. Nonnulli, vt sunt in admittendis daemonum operationibus iusto faciliores, praestigiis diabolicis vocem hanc caelitus articulatim demissam putant, alii illam anilibus Talmudistarum fabulis commentisque annumerant. conf. S. R. D. COTTAE diss. de dono miraculoso linguarum ad Act. II. p. 4. ss. & inprimis auctores ibi allegatos (n. 1. 3. 4.) WITSII Misc. S. P. I. L. 1. §. VI. p. 17. BUDDEI H. E. V. T. p. 974. s. T. I. Nec in his oraculis certiori fundamento nitimur, quam in illis Sibyllarum, vnde pleniorem illa lucem ex documentis historicis desiderant, antequam de illorum caussis dispici & statui possit. — Quid iam de his omnibus diuinationum generibus sentiendum? Non possumus non ingenii humani in gentilibus, iudaeis, christianisque sui semper similis, cupiditatem futurorum illicito modo cognoscendorum mirari, qua tam innumeris fraudibus Satanae, illiusque ministrorum aperitur ianua; nil naturae fidei, & plenae fiduciae, in prouidentia diuina & generali & speciali & specialissima ponendae, refragatur magis illamque tollit, quam inhonestum tale futura praeuidendi desiderium; nec eo quicquam fortius est validiusque ad euertendam omnem iucunditatem vitae, & tot actionum principia, spem metumque, amolienda. Solide hinc & pulchre, b. GELLERT, vt solet, orationi: *Warum es nicht gut sei, sein Schiksal vorher zu wissen*, hanc coronidem imponit: *Pest, Hunger und Schwerdt sind große Landplagen: aber Nativitätsteller*, (addiderim quoque *Wahrsager und Zeichendeuter*,) *wofern es welche gäbe. Nativitätsteller vor das ganze menschliche Geschlecht, würden noch weit fürchterlicher, als alle diese Uebel, seyn.* Quoties enim his nugiuendulis hominibus & impostoribus non ingeminandum est illud, quod ad coarguendam idolorum vanitatem adfert Zach. X. 2.: כִּי הַתְּרָפִים דִּבְּרוּ אָוֶן וְהַקּוֹסְמִים חָזוּ שֶׁקֶר וַחֲלֹמוֹת הַשָּׁוְא יְדַבֵּרוּ

§. 11.

Criteria actionum diaboli. Ex his, quae iam tradidimus de consiliis Satanae, deduci fortasse & abstrahi non sine successu possunt *criteria* quaedam, quibus actio-

actiones Satanae diiudicari & ab mere humanis dignosci possunt. Et haec omni attentione digna sunt & plane necessaria, si de omni ipsius opere recte censendum sit. Satanas maximam partem agit, per organa, per ministeria daemonum hominumque, quibus ad perficiendam suam voluntatem, tamquam satellitibus, vtitur. In quibus igitur actionibus humanis intercessisse Diaboli operam putandum est? In illis omnibus, quibus ecclesia Christi quam maxime premitur, vexaturque, vel interne, veritatem salutarem eripiendo, erroribus, fidei arcem tangentibus, obfuscando, §. 1. 4. vel externe, persecutiones immittendo, tirannos contra ecclesiam excitando viribusque instruendo; crassa mendacia contra fidelium chorum spargendo, veluti cum primi christiani promiscui concubitus humanarumque carnium deuorationis insimularentur, aliaeque grauissimae de illis calumniae diuulgarentur, & principes reipublicae contra ecclesiam armarentur. In excitandis enim ecclesiae hostibus, ab initio vsque ad finem mundi, occupatissimus idem fuit in Pharaone, Antiocho, Antichristo, Gog & Magog, nec his internis externisque vexationibus contra ecclesiam saeuire desinet, vsque ad diem supplicii illius vltimi & grauissimi, omnes illius machinationes in gloriam Saluatoris terminaturi. Peccatis, maxime atrocioribus, & quibus minus inest voluptatis, lucri, gloriae, subesse Satanam, facile vident omnes, qui omnem eius vim, ius & robur in peccato positam esse sciunt. §. 3. Quis in immani illa morum corruptione, quae apud gentiles aeque ac christianos iam toties viguit, excludat Diaboli operationem, cum infernales eius vires iis ipsam humanitatem excussisse viderentur? Quis in falsis illis spiritualitatibus, tot errorum, confusionis, verae pietatis interuersae & impeditae caussis, diabolum, in angelum lucis transformatum, neget? §. 5. Quis illum in deismi fontibus, in insigni illorum hominum torpore, veritatem reuelatam examinandi, & ad regulas logicas probandi, in manifesta illa malitia, veritatem non agnitam, non perspectam abnegante, non videat, non agnoscat? §. 6. Quis vestigia Satanae in gentilismo aperta, notabilissima, euidentissima ignoret, cum id genus hominum secundum principem huius saeculi ambulasse dicatur? §. 9. Quis in tentationibus, maxime acutioribus, in superstitionibus illis multis, absurdis, saepe etiam ridiculis, cognitionem salutarem Dei, Saluatoris optimi, illiusque cultum in veritate & spiritu, impedientibus, studia, artes & consilia Satanae non

 anim-

animaduertat? §. 7. 8. n. II. Non abludunt ab his, quas Ill. MICHAELIS in Comp. theol. dogm. p. 123. exhibet, actionum Diaboli a mere humanis internoscendarum notae: „In illis forte peccatis, inquiens, diabolo plus tribuendum, quae nihil voluptatis „immanemque habent stultitiam, vt fere sunt tirannorum consilia „de ecclesia exstirpanda, aut quae omnino ad salutarem veritatem „hominibus eripiendam faciunt, quo eadem consilia, quo semina „errorum, quo peccata pertinent, euangelio fidem abrogatura, „(Apoc. XX 1 8. 1 Petr. V. 8. 9. Matth. XIII. 24-30. 38. 39. „Act. V. 3. Eph. VI. 10-12. 2 Thess. II. 9.) aut quae sortem „singulorum hominum decidunt, vt quum semel auditi euangelii nec „iterum audiendi obliuiscimur.„ Ad veteratorias artes Diaboli pertinet etiam illud, quod in multis operibus *simiam* Dei agat, quare fit, vt ab imperitis difficilius dignoscatur, & securius illis imponatur. Hinc tot μεταχηματισμοὶ, quibus angeli lucis speciem mentitur, (2 Cor. XI. 14.) nec facile quicquam sanxit, concessit, instituit Deus in ecclesia, quod sibi non in suis imitandum sumsisset Satanas. Hinc vaticinia, somnia, visiones, ecstases, praesagia mortis, vera & falsa, diuina & diabolica dantur; cum sacrificiorum cultum a primordiis rerum instituisset Deus, etiam per haec se coli, & innumera sacrificia sibi offerri curauit Satanas, iis plerumque facinoribus sub finem dehonestata, vnde & autorem & offerentium animos facillime noueris. (1 Cor. X. 20.) Hoc modo plurima instituta diuina, leges, sanctiones peruertit, & suis vsibus, regno, amplificationi potestatis inseruire coëgit, e. g. asyla in crassissimorum quorumuis flagitiorum tuta receptacula, pietatem in hypocrisin, bonorum strenua exercitia in fastum & superbiam spiritualem degenerare facit. Quid scientiis, artibus, disciplinis, in se bonis, necessariis, sanctis quoque, vanitatis & armorum, contra veritatem reuelatam militantium, vitio hominum inesse possit, nec sine operatione malarum mentium subministretur, in tot ingeniorum, male feriatorum fetibus, in tot pestilentissimis telis videre est. Vt nil certius sit, quam *multos per Sapientiam perire.* Imo optima quaeuis, Satanae ministerio, fieri possunt pessima, animas, sanguine Christi redemtas, pessundatura. Illuminatis oculis, discretione spirituum, sobrietate corporis animique, liberali obsequio, accurata praeceptorum scholae christi obseruatione, opus est, ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ σατανᾶ. (2 Cor. II. 11.)

Cap. V.

Cap. V.

De potestate Satanae.

§. 1.

Consilia Satanæ, quæ agitet, quoad eius fieri potuit vidimus. Restat, vt de potestate dispiciamus, qua illa consilia perficere tentat. Vt vero ordine procedamus, potentiam Satanæ & vires, quas varie exercet, ita contemplabimur, vt quid in anima hominis, quid in corpore, quid in natura rerum possit, quid in homine naturali, quid in spirituali tentet, paucis ostendamus. Ordo

§. 2.

Insigni & magna pollere potentia Satanam malosque angelos, vt *generatim* aliquid de illa adferamus, tum ex natura angelorum, quam in lapsu non exuére, & de qua stupenda prostant exempla, & graphicæ descriptiones, tum ex adpellationibus, insignem vim & potentiam significantibus, tum ex ipsis illorum operationibus, intelligitur. In V. T. potestas & occultæ tenebrarum vires, animabus insidiantes, non tam clare, tam euidenter cognoscebantur, reseruatum iderat Heroi, Draconem ex omni illegitima possessione deturbaturo, fortemque vincturo. Grauissima hinc prostant testimonia Christi ipsius, quibus potestas Satanæ magna & formidabilis sistitur: Dicitur (Matth. XII. 29.) ὁ ἰσχυρός, qui palatium quibuscunque præsidiis muniuerit; qui in mundo, tamquam propria domo imperet, animos hominum occupet, ex quibus difficile sit, illum expellere, & inuite cedat, securam illorum possessionem postulans; vel legiones ipsi adstare administras, in quibus forma quædam imperii & subordinatio vigeat, ad communem vero finem omnes tendere, eadem omnes consilia pro mensura virium malitiaeque agitare, dicitur ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος, (Luc. X. 21.) ter ipsi Christo audit ὁ ἄρχων τῦ κόσμυ τύτυ, (Joh. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11.) apostolo ὁ Θεὸς τῦ αἰῶνος τύτυ, (2 Cor. IV. 4.) generatim potestas Satanae describitur insignis.

quæ grandis est, sed horribilis descriptio Satanæ, ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, (Eph. II. 21.) ἐξουσία τοῦ σκότους, (Col. I. 13.) κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, (Eph. VI. 12.) mundi tenentes, non tamen omnitenentes, πνευματικὰ τῆς πονηρίας, siue πνεύματα πονηρὰ, omnibus ingenii, scientiæ, virium neruis intensis, veritatem salutarem illiusque defensores impugnantia; (*) in apocalypsi principi malorum angelorum tribuitur regnum, repræsentatur coronatus, habens capita septem & cornua decem, septemque diademata, in oppositione ad Agnum, pariter coronatum, septem cornuum, septemque oculorum, qui sunt spiritus Dei, emissi in omnem terram, (Apoc. V. 6.). Vires tenebrarum septemplices adparent, prouti vires Christi septem illis oculis describuntur, quibus aliqui Spiritum Sanctum, alii septem potissimum ministros, sub Agno militantes intelligunt; regnum Satanæ porro describitur, vastissimum, (C. XII. 9. XIII. 3. 4. 7. 16.) regnum, data opera atque omni opum vi Christo contrarium, (C. XII. 7. XIII. 7.) regnum, magno robore sub statu corruptissimæ ecclesiæ inualescens; regnum, cuius noxia vis & pestifer influxus sub emblemate Draconis describitur, eiusdemque ignei, igneam illius principis indolem referentis, regnum, quod inprimis ex effectibus cognoscitur, & ex longa & diuturna aduersus regnum Dei resistentia; regnum, quod virulentis operationibus terram illiusque incolas summis calamitatibus, cædibus & malorum omnium oceano inundat; nam singulis illis Vae præsidet, primo angelus Abaddon, iudæos sec. b. BENGELIUM non obsignatos Sæc. VI. in persia vexans; secundo quatuor angeli, vinculis soluti, circa Euphratem, præsides Saracenorum; tertio denique Satan ipse, duabus illis bestiis ex mari terraque ascendentibus, & fidelissimis consiliorum eius administris vires, solium & magnam potentiam suppeditans. Hæc omnia insignem in Diabolo potentiam arguunt. Multo magis hanc vim declarant operationes, a quarum magnitudine & mensura ad caussæ præstantiam recte concluditur.

§. 3.

(*) Miramur illorum interpretum cogitata, qui hoc loco (Eph. VI. 10-18.) Diabolum, qui expresse nominatur, ℣. 11. ignorant, &

§. 3.

Quamuis vero haec potestas magna sit & insignis, ʼpotestati — limitata.
tamen diuinae subordinata est, nec pro animi sententia hominibus illa insultare potest. Accurate haec tenenda sunt, ne potestas Satanae nimium extendatur, vt Manichaeismo fontes obstruantur, insignes olim Saec. III. turbas excitanti, & per multa saecula in Hieracitis, Messalianis s. Euchitis, Paulicianis, Leuthardinis, Aurelianensibus, Bogomilis, Catharis, Albigensibus, variis formis & nouo subinde habitu continuato, simul vero etiam plebis praeiudicium caueatur, Diabolum vnum omnium malorum auctorem & fontem facientis. Sit itaque κοσμοκράτωρ, sit ἄρχων τȣ͂ αἰῶνος τȣ́τȣ, sit Θεὸς τȣ͂ αἰῶνος τȣ́τȣ, in ipsa hac adpellatione limites eius potestatis definiuntur, nonnisi ad mundum hunc, ad praesentem αἰῶνα, (non enim semper & in reliquis aeonibus grassari poterit,) ad homines huius mundi, terrena sapientes, & mundanarum rerum cupidos extendendae. Habeat regnum, idque latissime patens, potest tamen vinci, (Apoc. XII. 11.) & a Christo victus est, (Hebr. II. 14.) temporarium est & aliquando desiturum, (Apoc. XII. 12. XX, XXX.) Fideles quidem vexat & tentat, sed nonnisi ad modum, diuinitus praescriptum, (Hiob. I. II. 2 Cor. XI, 9.) ita, vt omnes contra eos machinationes in ipsius contumeliam, in fidelium salutem & gloriae augmentum, & in Domini, cui seruiunt, forti fortioris lau-

& vel de sectis quibusdam Gnosticorum interpretantur, vti S. R. D. SEMLER in praef. ad b. BAUMGARTENII Theol polem. p. 95. vel de magistratibus iudaeorum, gentiliumque vti *S. R.* TELLERUS, conf. C. 1. §. 10. & auctor: *Versuch einer Biblischen Daemon. p. 143. ff.* vel, quod omnium absurdissimum est, de Ioue in aëre dominante, quae HARWOODI sententia est, conf. S. Ven. D. ERNESTI *Neueste Bibl.* T. I. p. 804. Cum vna illa interpretatio, quae de Diabolo malisque angelis, eorumque contra fideles continuis insultibus interpretatur, a naturali vi vocum, a nexu cum antecedentibus & consequentibus, ab oppositione ad homines, *αἷμα καὶ σάρκα,* (Matth XVI. 17.) praesidium habeat longe firmissimum. Epistola Pauli ad Ephesios quo apertius agit de oeconomia & gloria Christi, eo apertius rursum de regno contrario tenebrarum.

laudem desinant. Nec praetermitti debet illud, potestatem Diaboli, in praeteritis oeconomiis, sub gentilismo & iudaismo inualescentem, & tempore Christi maximum gradum consecutam, sub oeconomia N. T. ita esse fractam, restrictam, debilitatam, limitatam, superatam, vt de vulnere tum accepto & notabilissima clade, ipsi ab inuicto Mariae filio inflicta, in aeternum non sit conualiturus, indies potius vincendus, & tandem è ciuitate Dei, è theatro rerum humanarum tollendus, vt ingens illud beneficium, quod incomparabili illi Heroi debemus, a quo è potestate tenebrarum vindicati & ipsius regno asserti sumus, non satis praedicari & concelebrari possit. Conf. Ven. D. DOEDERLEIN diss. inaug. de redemtione a potestate Diaboli, vt insigni Christi beneficio, Altd. 1774. in compendio exhibita a S. V. D. ERNESTI *Neueste Bibl. T. III. p. 668. s.* De illa potestate, quam veterum plerique angelis tum bonis tum malis in certas prouincias, regna, terras, societates adsignarent, cum solido fundamento in scripturis destituatur, non est, vt multa dicamus, quamuis haec ipsa doctrina è iudaismo in theologiam christianam transierit, & adhuc a RCatholicis mordicus defendatur. Conf. Jll. MICHAELIS *Erklär. der Hebr. Ep. p. 128. ss. §. 33.* (*).

(*) Potestas Satanae hoc modo intra iustos limites coarctari videtur, nec ampliores iusto, nec angustiores Veritas in medio nimiae credulitatis & ἀπιστίας incedit, & irrefragabilibus scripturae testimoniis inhaeret Hac ratione superstitionis, tot vbique, vbi non sunt, praestigias, operationes, artes diabolicas comminiscentis, & ἀπιστίας repudiandae, diabolo nullum amplius locum in rerum natura relinquentis, deuia euitantur. Omnis potestas Satanae sita est in peccato, & in tenebris, vt vidimus, C. IV. has etiam titulo maioris lucis offundere potest, transformatus in angelum lucis. (2 Cor. XI. 14.) Et quemadmodum multae argumentationes, quae ex natura virtutum diuinarum ducuntur, quid ipsis conueniat, nec ne, quid aptum, decens, consentaneum ipsis cogitari possit, aut contra, incertae sunt & lubricae, ita numquam incertiores, quam vbi clarissimis & euidentissimis Scripturae testimoniis repugnant. Liberrimum Dei arbitrium, quod in omni religione constituenda tam solide, & pulchre vindicauit S. R. D. ERNESTI in triga diss. necessitati ratiocinationum suarum subiiciunt, qui

aut

vim potestatemque daemonum, mala vel physica, vel moralia hominibus inferendi, cum summo & infinito Dei in omnia imperio & regimine conciliare nesciunt, id quod ab adaemonistis omnium saepissime vrgeri & obiici solet. Dicant hi inepti consiliarii Dei, (Rom. XI. 34.) quomodo tot mala, tot scandala, tot peccata, tot truculentissimos tirannos, terram deuastantes, cum regimine, & virtutibus diuinis, *ἐκ μέρους* cognitis, concilient, & sibi ipsis respondeant. Gloriosior certe aliquando finis erit, cum consilium Dei de restabilienda gente humana, per tot impedimenta, tot hostes, tot arma contra nitentia, fuerit obtentus, quam si horum omnium nihil adfuisset. Illud certum est exploratumque, vti omnis oeconomia N. T. hominem spiritualem format, (Eph. I. 3. Joh. IV. 24.) ita potestatem Diaboli ad eundem impediendum, & salute, diuinitus oblata, defraudandum, spectare maxime, hinc crassioribus operationibus cum nil effecisset, ad subtiliores, oeconomiae N. T. spiritualiori, vt ita dicam, attemperatas, se conuertit, & conuertere se, coactus est. Hinc etiam illi mihi errare videntur, qui potestatem Diaboli illiusque exercitium ad originem peccati restringunt, nec illi locum amplius relinquunt. Si ea, quae Cap. III. diximus, Scripturae consona sunt, & quae restant dicenda, rite expendantur, hypothesis ista per se cadit. Solide iudicauit MELANCHTHON in apol. A. C. p. m. 79. ed. b. WALCHII, „ipsa mundi „historia ostendit, quanta sit potentia regni diaboli.„ Nec minus absurde ipsi hi limites potestatis diaboli cum illis testimoniis, in quibus praegrandis sistitur, colliduntur, *dort richtet er sich genau nach den Befehlen des Herrn, und gehet keinen Schritt weiter, als ihm ist erlaubet worden; hier vereitelt er Gottes Absichten, und thut ohne Erlaubniß, was ihme beliebt, conf. demüthigste Antwort. p. 34.* Eadem est, quae omnium Christi hostium; Satanae ratio. Singulis certi limites, mensurae, termini fixi sunt definitique, quos migrare nequeunt. Satanas pro ea, quae ipsi iam natura inest, animi peruersitate, minime ad obedientiam erga voluntatem diuinam propensus est, sed totus ad contumaciam & rebellionem fertur. Sed quia Deus illum potentiae suo freno vinctum constrictumque tenet, non omnia exsequitur, quae vult, sed quae ipsi diuinitus concessa sunt. Nec vllum consilium Dei ob Satanam omni plane euentu frustratur, sed tantum impeditur, & sufflaminatur. Iniicit obstacula, quae Deus, perfectionum suarum summae decentissime, tollit.



SECTIO I.

De potestate Diaboli in animam.

§. 1.

probatur. Potestas Diaboli in animam illa vis est & facultas, qua varias cogitationes, motus, consilia, desideria excitat, quae diuinae legi repugnent, hominem a Deo longius remoueant, & a voluntate eius, anima & corpore perficienda, abalienent. Pollere hac potestate Diabolum, plura loca euincunt, & exempla declarant (Matth. XIII. 19. Luc. VIII. 12.) Quo minus semen verbi auditi iniiciatur cordi, impedire nequit; Sed illud iniectum denuo rapit, ne in *animum* penetret, naturali sua vi fidem excitet, & homo credat & saluetur, idque variis modis perficit, vi & arte celerrima, vt auis rapax, homines ab attentione erga verbum reuocando; ne ad interiora penetret, impediendo; alienas cogitationes immittendo; peregrina obiecta ostendendo; praeiudiciis contra veritatem salutarem, illiusque praecones, dubiis, exceptionibus fascinando, verique cognitionem vitam & efficaciam quocunque modo sufflaminando. Quis igitur hunc raptum verbi diuini è corde hominis, sine magna aliqua potestate cacodaemonis in animam explicare ausit? Quis eundem sine commercio cum anima intelligat? Euidentissimum porro huius influxus Satanici in animam exemplum nobis praebet, Judas Iscariotes, (Joh. XIII. 2.) Prima heic cogitatio de enormi illo & detestabili crimine in doctorem, nutricium, benefactoremque liberalissimum commisso, Diabolo adscribitur, quod illam cordi Judae iniecerit, illius aditu non fide, vigilantia, precibus obstructo, sed temeritate & auaritia aperto: & mox admissa hac prima cogitatione impia, & quam in ortu suo suffocare debuisset, fota, nutrita & cum delectatione & sacra pecuniae cupiditate recepta, penitius in animam Judae penetrandi occasionem nactus, in eandem intrasse dicitur, ib. ṽ. 27. Gradus igitur obsessionis spiritualis dantur. Antea tantum cogitationem potuit iniicere, per eandem sibi penitiorem aditum parans. Hinc BENGE-

GELIUS ad l. c. „ Vti œconomia mali & boni per omnia inter se „ comparari contrarie potest, sic quoque gradus operationis obsessionisque Satanicæ, & operationis inhabitationisque diuinæ. „ Cor Ananiæ impleuisse Satanas dicitur, vt mentiretur, (Act. V. 3.) Quis iam sine euidenti eiusmodi Scripturæ indicio illi fraudi & audaciæ, subfuisse inuisibilem hanc potestatem existimauisset? Ipse certe Ananias haud credidit, se agi impellique à tam pestifera vi, cui ingressum variis antegressis subtilioribus peccatis facilem paratumque fecisset, vt impleuisse cor eius dici posset, qua ipsa plenitudine cordis Satanica summus malitiae gradus exprimitur. Iam qui porro Dauidi consilium de numerando populo israelitico inspirasse, (1 Paral. XXII. 1) qui per iracundiam, vel in mente retentam, pertinacem & implacabilem locum dari Diabolo, (Eph. IV. 27.) qui caecauisse νοήματα τῶν ἀπίστων (2 Cor. IV. 4.) dici posset, nisi realis esset, idemque verus influxus Satanae in animam, eiusque vires intellectiuas & volitiuas? Qui posset tentationes suas, artes & retia nostro ingenio, studiis, propensionibus, desideriis tam callide attemperare, ni naturæ nostræ perspexisset ad mala omnia detestandam promtitudinem, plus quam lynceis oculis, nec generatim tantum, sed speciatim nostram ad hæc vel illa vitiorum genera procliuitatem? In logicas animæ humanæ vires quocunque modo influere posse Spiritus, natura nostra longe superiores, vel ex somniis angelicis probari mihi videtur. (Matth. I. 20. ss. II. 13. 19.) Et quid illa locutio denotat, qua non corpus tantum, sed inprimis animam Christi laborantem & extremis compressam angustiis confortasse dicitur angelus, (Luc. XXII. 43.) si non vis quaedam insit & bonis & malis, animi sui sensa nobiscum communicandi, & in animae vires influendi? Quis alius præter Diabolum impius, blasphemas, impuras cogitationes cum malis, tum etiam quandoque piis præter eorum voluntatem inspirat? Immo multæ rationes suadent, & probabile faciunt, cum ad interiora quoque pertingat Satanas, ipsum Dominum, in omnibus, si a peccatis discesseris, nobis assimilatum, & similiter tentatum, (Hebr. IV. 15.) hoc sensu impetitum esse a Diabolo, conf. b. WEISMANNI diss. priuilegium populi iudaici & Christiani &c. p. 25-27. Moralem hunc cacodæmonis in animos moresque hominum influxum

agnouit quondam etiam S. R. Semlerus *Belehrung von der leiblichen Macht des Teufels p. 218. Die bösen Geister haben den Antheil an der untergeordneten Mitregierung der Körperwelt, zum Vortheil der vernünftigen Einwohner verlohren: ob sie gleich den innerlichen Einfluß auf die Menschen noch stets äussern, zur steter Prüfung und zum größern Besten der Menschen, p. 280. in dem Maas, als wir nicht aufmerksam, wachsam und gewis sind, entsteht ein moralischer Einfluß des Teufels durch Erwegung und Unterhaltung mancher unnüzlichen und schädlichen Vorstellungen bei uns; und ich brauche mich um die innere Möglichkeit, wie die zugehet, nicht zu bekümmern.* conf. quoque Jll. Canc. D. Reuss diss. cit. p. 8. n. ** Pleræque, si non omnes operationes diabolicae, negata hac potestate influendi in animam, eiusque vires intellectuales & volitiuas eliminarentur, id quod sine manifesta tortura scripturae, sine summo vitilitigandi studio fieri non posset.

§. 2.

modus, quo illa exerceatur. In admittendis his operationibus diabolicis in animam, maximam difficultatem parit *modus*, quo illae perficiantur, auctam notionibus nostris de anima philosophicis magis, quam scripturariis. Quicquid sit de natura animæ, vel ens simplex, vel continuum, vel intensum adpelletur, actionibus certe alterius spiritus pateat, necesse est. Quamuis *modi*, vt solide monet Jll. Canc. D. Reuss diss. c. p. 59. quo vel in animam vel in corpus humanum agere cacodæmon, & hoc illudue efficere possit, verendum sit, vt umquam, tacente scriptura, cognitionem certam & accuratam assequamur. Si ipsi enim Spiritus destituerentur quasi fenestris, per quas aliquid ingredi aut egredi valeret, idque propter eorum essentiam, simplicissimam, non modo nullum corporeum obiectum, sed nec Deus, nec diabolus impenetrabile hoc punctum intrare possent. De Deo id falsum esse, omnes agnoscunt, & per continua miracula & operationes extraordinarias id fieri, sapientiæ diuinæ repugnat, in admittendis miraculis quo parciori, eo sapientiori. Naturæ animæ conuenienter agit Deus, nec efficaci influxu naturam tollit, suspendit, eique violenter se intrudit, sed intellectum illuminat, voluntatem flectit, animæque

mæque vires perficit, naturæ vniuscuiusque conuenientissime. Operationes hinc diabolicas in animam nil magis illustrat, quam earundem collatio cum operationibus Spir. S. & cum vnione illa mystica, quae intercedit inter Christum, caput, eiusque fideles, membra corporis eius. Quemadmodum Spir. S. vere corda fidelium inhabitat, & cum anima communicatur per verbum, quod eapropter tanta vi & ἐνεργίᾳ pollet, (Hebr. IV. 12. ſ.) & Spiritus in regeneratione implantatus indies roboratur a Capite Christo, a Spiritu carnis Christi viuificæ, (Joh. VI.) & fit rector & principium actionum; auctor fidei & pietatis veræ & genuinæ, conſcientiæ puræ, amoris ſereni, tranquillitatis veræ, ſpei viuæ, Christianos ad beatitudinem vnus & ſolus viuificans, informans & idoneos reddens; (Joh. XIV. 9. ſſ.) quemadmodum fideles dicuntur eſſe in Christo, (2 Cor. V. 17. 1 Petr. V. 14. Rom. VIII. 11. 16.) manere, (1 Joh. II. 6. Joh. VI. 56.) ſicut palmes in vite, (Joh. XV. 4.) induere Christum, (Gal. III. 27. Rom. XIII. 14.) omnia valere in Christo (Phil. IV. 13. Col. I. 29.) quibus omnibus non moralis tantum interna, aut externa, ſed phyſicæ quædam analoga, conſtans, realis, viuifica communio inter fideles & Christum indigitatur; quemadmodum Christus dicitur habitare in fidelibus, (Eph. III. 6.) corroborare fideles, (Phil. IV. 13. Col. I. 29.) virtutem Christi habitare ſuper fideles, (2 Cor. XII. 9.) formari Christum in fidelibus, (Gal. IV. 1. 9.) glorificari; (Joh. XVI. 14. XVII. 10.) quemadmodum gradus huius cum Christo vnionis dantur, cum dicuntur ſtare in Christo, (Phil. IV. 1.) fundari, (Eph. III. 10. 1 Cor. III. 9.) radicari, (Col. II. 7. Eph. III. 18.) & quæuis fidelium actiones, etiam quotidianæ, fieri dicuntur in Christo, vt dicantur ambulare, pie viuere, gaudere, ſperare & confidere, teſtari, obedire, ſalutare, mori in Domino, (Col. II. 6. 2 Tim. III. 12. Phil. IV. 4. II. 19. 24. Eph. IV. 7. Col. III. 18. 1 Cor. XVI. 19. 1 Cor. XV. 18. Apoc. XIV. 17.) crucifigi, (Gal. II. 19.) ſepeliri, (Rom. VI. 4.) viuificari, (Rom. VI. 8. Eph. II. 5. 6.) reſurgere, (Rom. VI. 5.) in cæleſtibus collocari cum C. J. (Eph. II. 6.) ita Spiritus malus, auctor peccatorum, & quæ ab his proficiſcitur, infelicitatis, vt ipſe per cogitationes in ſe ipſo, absque earum collatione cum creatoris voluntate & beneplacito, lapſus eſt, & per imaginationes peregrinas, & interpretationes falſas,

 dotem

dotem amoris & gloriæ, fibi conditionate oblatam, vertit in propriam facultatem & potentiam independentem, conf. C. II. §. 5 - 9. ita tales nisus, talia molimina inspirat iis, qui eum tirannum incaute admittunt. Dicuntur hi homines esse a patre diabolo, patrisque sui libidinibus libenter obtemperare, (Joh. VIII. 44.) ex Diabolo esse, qui a principio peccat, (Joh. III. 8.) capti esse laqueo diaboli, eiusque arbitrio teneri, (2 Tim. II. 26.) viperina progenies, (Matth. III. 7.) Quem bonus regit Spiritus, in se intuens, cum alio quodam quasi commercium sentit, continuo alterius cuiusdam subest paediæ, & castigationi & informationi ad quæuis salutaria, in illo homine verbum diuinum intimis infixum medullis succrescit, fidem alit & roborat, vt homo tandem se ipsum vere noscat in Deo, & Deum in se ipso, (Joh. XIV. 20 - 23.) quem vero malus occupat genius, in eius animam id commercium non tam euidenter exseritur, sed agit subtilis spiritus per præiudicia consuetudinum prauarum, vel philosophiæ mundiformis, per ministeria organorum, per inferiores potissimum animæ facultates, quas corrumpit, quas perdit, quibus superioribus quoque vitium infert. Lege phantasiæ & imaginationis turbatâ & vitiatâ ratio obtenebratur, & voluntas corrumpitur; cum in excessu imaginationis reliquæ perceptiones obscurantur, idque intelligi potest in plurimis hominibus, inferioribus animæ facultatibus, sensibus, phantasia, se regi potius & duci passis, quam ratione & intellectu. Ab his eo facilius admittitur, quo plura sunt obiecta, quibus hæc sensuum mancipia fascinare possit, idque facit illis ipsis inscijs & nil tale suspicantibus, mendax enim spiritus, vt se ipsum conuertit in mendacium, densissimis tartarisatus tenebris, ita se quocunque modo celare necesse habet, & opera sua, bonus vero Spiritus sancta lux est, nec opus habet, vt se admodum occultet; hinc operationes eius & gratiae motus saepe sunt multo sensibiliores apud eos, in quibus illarum demonstrandarum fide, vigilantia, precibusque causa datur & occasio. Nec est, vt quis infinitas Dei, Christi, illiusque Spiritus opponat vires, a quibus vires diabolicae infinite distent, a quibus ad has non liceat ratiocinari. Multa sint, quae ad remouendum hoc dubium dici possunt. Ipse Deus cum intelligentibus creaturis & liberis numquam agit in ordine gratiae, pro infinita sua potentia, cui resisti nequeat, sed,

vt diximus, naturae ipsorum conuenienter & apte. Anima hominis, si operationum spiritus, se altioris, recipiendarum non capax esset, nec a Deo conuerti, illuminari, renouari posset; quamuis enim id non fiat immediate, sed mediate per verbum auditum, lectum, intellectum, potiores tamen illorum effectuum partes debentur spiritui, per verbum operanti; ita pleraeque operationes cacodaemonis in animam non sunt immediatae, sed ministerio sensuum externorum, hominum, mundi, illecebrarum, obiectorum, ad animam deferuntur. Quamuis rarissimae sint immediatae operationes in animam, dicere tamen non ausim cum S. R. D. ZACHARIAE bibl. Dogm. T. II. p. 210. plane nullas esse. Si quis enim tentationes in anima obortas vel acutissimas, inuito, refragante, obnitente homine, cogitationes blasphemas, tamquam πεπυρωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ, immissas, somnia angelica & diabolica ad animum reuocet, limitari istam sententiam, generatim propositam & restringi oportere, aliquis existimet. Et quinam operationibus diabolicis locus relinquetur in anima, si adeo difficiles sunt quidam in admittendo qualicunque ipsius commercio cum rebus corporeis, nos ambientibus, sensus internos atque externos sollicitantibus, temperamentorum indolem plurimum ingredientibus, imaginum deceptricium lenocinia suggerentibus, mentem obnubilantibus, libidines fouentibus, superstitioni velificantibus, omne propensionum humanarum genus corrumpentibus? Illud facile vident omnes, qui scripturae auctoritatem agnoscunt, reuerenturque irrefragabilem, cum inuisibilium & visibilium nexus longe sit arctior, quam vulgo putatur, obseruari homines a malis angelis in omni ipsorum vita, actionibus, verbis, & pro ea, quae ipsis inest, perspicacia, & longo rerum vsu exercitata experientia, ab actionibus hominis externis argumentari valde probabiliter ad internam animi indolem, habitum, & omnem illius constitutionem, & si à lege voluntateque diuina dissidet, eam quouis modo ab ipsis confirmari, variis obiectis, institutis, negotiis, quibus implicentur & detineantur; ad ἀπιστίαν, foecundissimam vitiorum matrem, prouocari; ab vtilibus occasionibus, quibus ad saniorem mentem redire possint, auerti, aut irritas reddi, vt omni fructu excidant, & fortioribus ad virtutem & pietatem impulsibus plane frustrentur; è contrario occasiones ad mala & quaeuis vitia

vitia comparari, augeri, exasperari; phantasiae viuacioris ludibriis intellectum obnubilari, confundi, vt, quamuis fortissimis ad virtutem incitamentis & motiuis victi, illis malitiose resistant, nec cedant, cupiditatum carnalium & mundanarum serui maneant & mancipia.

§. 3.

circa animas, a corpore separatas.

Aliud quoddam commercii genus cum *animabus, a corpore separatis*, intercedere daemonibus, vulgo existimatur. Varia his nomina sunt indita, diuersum earum statum significantia, lemurum, larium, laruarum, manium, & omnibus communis adpellatio, *spectrorum*, de quibus Gerardus Joh. Vossius de Orig. & progr. idolol. L. I. c. XI. & C. VI. Lemures, p. 63. quibusdam fuere animae, quae pacato Numine aedes possideant: Lares, quae propter aduersa vitae merita nullis bonis sedibus, incerta vagatione, siue quodam exilio puniantur: Manes boni ominis caussa dixerunt, manes enim & manus apud veteres idem erat ac bonus, teste Serivo. Penates publica auctoritate in numerum deorum relati, dicti Indigetes. Spectra apud gentiles credita esse, doctos & indoctos, plebem & philosophos, ἐξαγώνιον est. Et apud Judaeos opinionem hanc inualuisse constat, (ex 2 Macc. III. XI. Sap. XVII. 3.) item apud discipulos Christi. (Matth. XIV. 26. Marc. VI. 49. Luc. XXIV. 37. 39.) Ab his incertis & obscuris gentilismi & iudaismi fontibus in mentes christianorum manauit communis illa opinio de spectris, quorum singulae fere vrbes, oppida, pagi, solitudines, domus plena sunt. Flagitiosi homines quantum hac opinione ad sua scelera perpetranda abusi sint omni aeuo, tum apud gentiles, tum christianos, apud omnes constat. Libidinosi, fures, inuidi, auari, ambitiosi, innumerabilem iam spectrorum numerum crearunt, & hac superstitione nixi occultas suas fraudes impune perpetrarunt. Exempla eiusmodi impostorum suppeditat Vossius l. c. p. 42. & Joh. Wierus de praestigiis daemonum p. 609 ss. Jam cum haec ipsa de spectris opinio nullo nitatur testimonio Scripturae plano, & stabili sententia, cum Φαντάσματα a discipulis Christi credita, ll. cc. iudaicam redoleant sententiam, ex qua apud nos credendi regula cogi non possit, cum nulla de illis exempla in libris caconicis

com-

commemorentur, cum contrarium potius ex Luc. XVI. 30 f. elici posse videatur, acquiescimus in iudicio de spectris solido & moderato S. R. D. D. SARTORII, in posit. theol. p. 107. exstante, de spectris, inquientis, res multo obscurior est. Theologi est, nihil statuere, quod e Scriptura doceri non possit — Minime omnium quaeuis huius generis phaenomena Satanae adscribenda esse, probari potest. — Ab huiusmodi terriculamentis animos, imperiti inprimis vulgi, decenter atque grauiter auocare consultum est. „ Frequentissima eiusmodi spectra, quae olim credebantur, cur iis tantum temporibus adparuere, quibus omnia plena erant superstitionum, & vanarum de daemonibus laruarumque adparitionibus opinionum? cur lucem scientiarum & adcuratioris examinis tantopere fugiunt? Vnicum fortasse dictum exstat, quod huic de spectris opinioni patrocinari videatur. De Babylone N. T. olim vastanda dicitur, (Apoc. XVIII. 2.) futuram esse κατοικητήριον δαιμόνων καὶ φυλακὴν παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου. Coniectura b. BENGELII haec πνεύματα ἀκάθαρτα de animabus, separatis a corpore, impuris & sceleratis intelligit, *Erkl. Offenb.* p. 898. & plenius proposita in *Reden* p. 976 - 978. cum vero etiam δαίμονες dicantur πνεύματα ἀκάθαρτα, & de illis, aut certe de quadam eorum specie affirmetur, siticulosa loca peragrare, (Luc. XI. 24.) & celebritatem hominum fugere, vbi preces, veritatis verbique diuini studium viget, hoc vno quidem loco pro asserenda spectrorum veritate, neque illo ἀναμφισβητήτῳ, plane non nitar.

SECTIO II.

De potestate Diaboli in corpus.

§. 1.

Amplissimus meditationum campus hac sectione aperitur, in quibus vero cum tot eximii viri nostra aetate & superiori desudauerint, breuioribus nobis esse licebit. Vt ordine procedamus, ante omnia, quid hac potestate in corpus intelligamus, declarabimus, Ordo.

vbi inprimis ecclesiastica illa *obsessionis corporalis* notio euoluenda erit; tum veritatem huius potestatis in δαιμονιζομένοις assereremus, denique, cur tempore Christi frequentiora essent eorum exempla & hodie rariora, aut fere nulla, videbimus. Ad tria haec genera, reduci possunt omnia, quae & superiori Bekkeriana periodo, & nostra inprimis in controuersiam venerunt, & insigni animorum commotione agitata sunt.

§. 2.

multi hoc genus operationum diabolicarum non admittunt.

Quid in animam possit Diabolus, Sect. I. vidimus. Mirum est, eos, qui in admittendo hoc genere operationum diabolicarum, luce sacrarum litterarum ducti, faciles se praebuere, in admittendo altero hoc genere tam difficiles esse & morosos, cum aeque lucidis scripturae & clarissimis nitatur testimoniis. Potestatem diaboli in corpus ita definimus, vt ea sit vis & facultas, operandi in corpus humanum eiusque interiores partes, qua ipsius functiones animales, & motus in eo voluntarii, vehementius turbentur vel impediantur. Debemus hanc definitionem Reuerendiss. D. Fabro in diss. II. de daemoniacis p. 6. & S. R. D. Sartorio in posit. p. 106. In verbis obsidere, inhabitare, occupare, non tricabimur, conf. quae Reuer. D. Faber l. c. docet, & S. Ven. Ernesti *Neueste Bibl.* T. VII. p. 191. Possibilitatem harum operationum nil impedit, neque spirituum illorum, neque corporis humani, neque vniuersi huius naturà; & cum sine hac hypothesi, quae potentiam angelorum tum bonorum, tum malorum, circa corpora asserit, Sacrae Scripturae innumeri loci, iique clarissimi, explicari nequeant, nisi ipsis absurdos, violentos & ridiculos demus sensus, ad summum verbi diuini opprobrium, interest ecclesiae, vt serio illam defendat, nec patiatur diuelli; & experientia teste factum vidimus, idque cum indignatione & dolore, multos, hoc operationum diabolicarum genere proscripto, successu temporis ad omnem cacodaemonum praesentiam & efficacitatem in rebus humanis abnegandam prouolasse, & plerosque esse homines, de aliis reuelatae doctrinae capitibus non bene meritos, qui in hac quidem re deflecterent. Nec video, si philosophandum sit, cum peccatum non solum animam hominis, sed

quam

quam maxime etiam corporis membra, vires & sensus peruerterit, & noxia sua vi penetrauerit, vt corpus mortis & peccati audiat, (Rom. VII. 5. 18. 23. 24.) & diaboli imperium, vis & potestas peccato & omnibus illis rebus, quae illo infectae sunt, nitatur, cur in ignobiliorem hanc partem hominis nil posse, nil valere, existimandum sit, cum spiritualis eius vis & moralis influxus in animam ab illis ipsis agnitus sit, qui corpus ab eius incursibus, operationibus, obsessionibus immune & liberum praestare, omni eruditionis copia annituntur. Plures insuper exstitere, qui hoc genus operationum diabolicarum in dubium vocarent, quorum agmen ducit BALTH. BEKKER, qui in mundo fascinato id egit, vt daemoniacos, quorum in euangeliis fiat mentio, morbis tantum obreptitiis & insolitis laborasse contenderet, cui suffragabatur BASNAGE in exercitationibus anti-baronianis, p. 635 ss. quos varii ex theologis refutauere, inprimis, DEYLINGIUS in Obs. Sacr. P. II. obs. 28. & quos nominat C. M. PFAFFIUS in diss. de operationibus diabolicis p. 21. 22. WETSTENII, horum vestigia legentis, argumenta diluit Magn. D. FABER, in diss. de daemoniacis aduersus WETSTENIUM, 1763. Eiusdem hypotheseos patrocinium in se suscepit S. R. D. SEMLERUS, cuius cogitata, cum occasione, qua publice prodirent, Lohmannianae illius tragoediae, recensentur in diss. I. cit. an adaemonismus cum fide & pietate christiana conciliari possit, 1765. p. 11 ss. & b. CLEMMIO in *Einl.* T. III. p. 189 ss. Ipse vir Cel. in compendio exhibet in J. J. WETSTENII libellis ad crisin, abs se editis p. 138. „ est inuenusta atque imperita agendi ratio, inuehere „ in christianos homines ideo, quia iudaicarum gentiliumque plebium opiniones, è tenebris atque superstitionibus deriuatas, nolint ad nos quoque consecratas a Deo & dedicatas statuere; nec „ satis mirari licet, obsessorum οἰκονομίαν (Origenis nomine vtor, „ de Gergesenis) tam atrociter defendi a quibusdam, vt eos fere „ nolint christianorum in loco haberi, qui sentiunt de δαιμονιζομένοις aliter, quam ipsi credere atque intelligere solent. Equidem a me impetrare non possum, vt porro adiuuem tam inuenustam caussam, quae a christiano ingenio tam abhorret, atque tantum „ abest, vt vel hilum ad christianae religionis propagationem, vt „ potius multum impedimenti secum ferat, & non solum plebis im-

„ peritiam, sed etiam improborum hominum artes & maleficia lucu-
„ lenter hodieque adiuuet, vt nempe satis securi esse possint, si
„ fingere atque informare velint paruum aliquem aut magnum diabo-
„ lum siue in ventre, siue in pectore, siue in capite sedentem, qui
„ tamen non tam verbi diuini vim, quam scuticam & baculum me-
„ tuat. Crediderint olim homines, cum alieni adhuc essent ab ani-
„ mi libertate & mentis iusto vsu, quem Christi doctrina atque ex-
„ emplum adiuuat & confirmat, eius generis ludibria & terricula-
„ menta; sed christianos, sed puriorum sacrorum, quam olim Ro-
„ ma adferri solebant, studiosos, & credere talia & ferociter ea por-
„ ro confirmare, & in numerum decretorum, quibus religio chri-
„ stiana aut nititur, aut vtitur, referre: haud scio, an conueniat
„ cum Christi apostolorumque exemplo. „ Ampliori porro ἐξεργασίᾳ hanc ipsam de Daemoniacis sententiam cum argumentis proposuit in diss. de Daemoniacis, quorum in N. T. fit mentio, ed altera Halae 1769. & in illis scriptionibus, vernacula lingua exaratis, quae occasione Lohmanniae illius tragoediae prodiere; recentissime suam de his mentem exposuit *in Samlungen von Briefen und Aufsätzen über die Gaßnerischen und Schröpferischen Geisterbeschwörungen* 1776. Celeberrimo iam eidemque eruditissimo Viro ob id ipsum vel litem mouere, vel in societatem criminationum illarum, quibus a variis impetitur, venire nec velim, nec possim, quousque hoc vnum operationum diabolicarum genus, quod in corpus humanum diabolo asseritur, problematis vel exegetici, vel dogmatici, vel philosophici loco habetur; illud vero male me habet, ab omni iam de diabolo doctrina abstineri velle in libris christianis, tamquam de non-ente, (C. 1. §. 7. p. 25.) & durius videtur dictum esse, si eam partem euangeliorum, in qua daemoniacorum fiat mentio, ignobiliorem, minus probatam nominat; (*den schlechtern Theil der Evangelien*, *Abhandlung von freyer Untersuchung des* Canons, P. I. p. 268.) & euangelium sec. Iohannem ea propter laudat, ab his imperitae plebis & iudaicae & gentilis vanis opinionibus & praeiudiciis abstinentem. Nescio sane, quam parua & minuta nobis exhibeantur biblia, si vnicuique pro gustu, qui in variis variat, quae placeant, arripere, quae displiceant, nec hypothesibus precario assumtis seruiant ac velificentur, negligere licuerit. Estne in Matthaeo, aeque apostolo, Spiritus Sancti donis tam extraordinariis quam ordinariis dic

pen-

pentecoſtali delibuto, minor fides, minor auctoritas, aut maior ad iudaica commenta condeſcenſus? Nonne ex communi omnium veterum conſenſu conſtat, Iohannem poſt ceteros euangeliſtas euangelium ſcripſiſſe, nec quae ab aliis diuina fide narrata eſſent, repetere opus habuiſſe, inprimis cum pro conſilio ſuo ſermonum Chriſti pleniorem ageret explanatorem atque interpretem, quam operum! conf. Ioh. Michaëlis *Einleitung in die göttliche Schrifften des N. T. II.ter Theil* p. 1244-1297. Cantilenam hanc de daemoniacis, ἐνεργουμένοις, δαιμονιολήπτοις inter noſtros multi renouarunt, vt per illos aegrotos, maniacos, epilepticos, rabioſos intelligerent, ſine aliquo vero & reali influxu diaboli aut daemonum in ipſorum corpora. Sic inprimis, Cel. D. Tellerus ſentit in *Wörter-Buch.* p. 40. ſſ. & in additamentis p. 6. 7. *beſeſſen, Beſeſſener*: & auctor: *Verſuch einer Bibliſchen Daemon. p. 190. ſſ.* In claſſem aegrotorum referri daemoniacos, non negatur, ſed de principio quaeritur, quod morbos illos effecerit, num cauſſae naturales illud ſint, an cum illis ſpiritus quidam malignus, qui organis corporis aliquid vitii intulerit, vel illud noxia ſua vi exacerbauerit, cum μεθοδειῶν diabolicarum ſpecimen haud vulgare ſit, vti in naturalibus ſtudiis & cupiditatibus hominum ſe abſcondere, ad easque operationes ſuas & tentationes accommodare, ita ſub naturae vitiis deliteſcere: & ipſe locus, quem in ſubſidium vocat Cel. Tellerus, contrarius potius, quam amicus ipſius hypotheſi videtur: a reliquis enim morbis, aegritudinibus, tormentis, flagellis diſtinguuntur δαιμονιζόμενοι, & diſcrimen eo notabilius adparet ex repetito articulo καὶ, (Matth. IV. 24. Marc. I. 34. VI. 13.) & omnium euidentiſſime, (Marc. XVI. 17. 18.) vbi inter dona miraculoſa, credentibus promiſſa, eiectio daemoniorum in nomine Chriſti, & aliquot commatibus interiectis, ſanatio aegrotorum commemorantur. (Matth. VIII. 28. Marc I. 23. V. 2. Luc. VIII. 3. 6. Matth. IX. 32. XII. 22.) — Maniacorum, epilepticorum ſymptomata in daemoniacis adparuiſſe, nullum eſt dubium, ſed recurrit prior quaeſtio, a quonam principio iſta deriuanda ſint, num Cel. Telleri aliorumque aſſertioni, naturalibus ea cauſſis tribuenti, maior & potior fides habenda ſit, quam claro & expreſſo teſtimonio Scripturae, apoſtolorum, & Chriſti ipſius, ſpiritibus impuris ea omnia adſignantium. Et quid ſibi volunt ea teſtimonia, in quibus plura daemonia inhabitaſſe

corpus hominis dicuntur, e. g Mariæ Magdalenae (Marc. XVI. 9. Luc. VIII. 2.) & illius, in quo Legio habitasse dicitur. (Marc. V. 9.) vbi prius erat sermo tamquam de vno ℣. 8. & ℣. 13. 9. de multis, qui huic vni parebant, vt legio imperatori, vnicus ille perpetuam cum sua legione videtur coniunctionem habere, quia vno nomine continentur: (Luc. XI. 26.) expulsus dæmon alios septem se peiores assumere dicitur; quid illæ sermocinationes Christi cum dæmonibus & dæmonum cum Christo? quid illa enunciatio, qua Christum Messiam, filium Dei, pronunciarunt, antequam a suis pro tali agnosceretur? (Marc. V. 7. I. 24. Matth. VIII. 29. Luc. IV. 41.) cur in aliis locis surdi, cæci, aegroti, a Christo sanati, commemorantur, in quibus de hac caussa supernaturali, quod in illis non exsisteret, altum est silentium. (Marc. VII. 31 - 37.) Non igitur in omnibus morbis dæmoniorum operationes agnouere Christus & apostoli, sed ibi tantummodo, vbi vere & realiter exsisterent. Judæos in doctrina de malis angelis extra orbitam vagatos esse, non negauerim; ex praua quadam superstitione & caussarum naturalium inscitia, quicquid singulare ac inauditum corporibus accidisset, id dæmonibus tribuisse, ipse iam monui, (C. I. §. 2.) sed de his iudæorum opinionibus nos non laboramus, sed de eo, quid Christus, quid apostoli, de dæmonibus, de vi & potestate Satanæ, de regno Diabolico edisseruerint. Et de his constat, & vnicuique lectori non præoccupato liquet, ipsos vere & ex animi sententia, nec ex indecora quadam *συγκαταβάσει* ad iudæorum commenta, de his pronunciasse. Cur toties dæmonibus silentium imperauit Dominus, cur expresse de ipso legimus, *ὅτι οὐκ ἤφιε λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν,* (Marc. I. 34.) cur eloquia Spiritus in ancilla illa pythonissa vera repressit Paulus, (Act. XVI, 16 - 18?) cur Christus de muliere illa, quæ dicitur *ἔχουσα πνεῦμα ἀσθενείας*, ligatam fuisse a Satana, ipse categorice pronunciat? (Luc. XIII. 9 - 17.) Videant, qualem honorem Christo, doctori generis humani vni & omnium verissimo habeant, & qualem apostolis & euangelistis exhibeant, qui hæc omnia *οἰκονομικῶς* & ad iudæorum praua commenta dicta esse volunt. Conf. C. I. §. 1. Pertinuisset sane, inquit Magn. D. Faber in diss. II. cit. p. 27. „ hæc institutio, dæmonia esse nihil & pura figmenta, ad euangelii „ lucem, qua superstitionis crassioris tenebræ erant dissipandæ;

Prae-

„ præsertim quum ex commercio Christi cum dæmoniacis ansam „ captarent inimici, ipsum Magiæ & Samaritanismi accusandi, quum „ alii isto sibi tempore vindicarent potestatem, dæmonia expellendi, „ (Matth. VII. 22. Marc. IX. 38. Luc. XI. 19.) „ Et quis quæso Dominum in longa illa oratione, qua Matth. XII. 21-32. interiorem quandam regni diabolici formam pandit, ab ἀκυρολογίας vitio liberarit? (C. II. §. 2. n. *) Quam facile fuisset Domino, omnem illam διαβολογίαν, si ad aniles fabulas, & iudæorum commenta pertinuisset, vno quasi halitu absorbere, tantum abest, vt illam suffragio suo sustentasset & in ipsa gloria retinuisset. (Act. XXVI. 18. Apoc. II. 10. 13.) Bonorum angelorum ministeria circa corporis custodiam sacræ litteræ euidentissime docent, (Ps. XCI. 11. 22. Ebr. I. 14. Matth. XVIII. 10.) quidni etiam mali in corpus aliquid possint? Ad exemplum Gergesenorum, (Matth. VIII. 28-34. Marc. V. 1-17. Luc. VIII. 26. ss.) quod S. R. D. TELLER proponit, respondeat S. Ven. ERNESTI *Neueste Bibl. T. III.* p. 804. Denique cum in hac quæstione vexatissima nos amittat ad Medicos, & speciatim ad Rich. MEAD, vti in omni de malis spiritibus doctrina ad philosophos C. I. §. 8-10. plures ipsi eiusdem ordinis homines, & ab eruditione, & rerum naturalium scientia, & pietate commendabiles & illustres opponi possunt, SENNERTUS, FERNELLUS, Elias CAMERARIUS, Frid. HOFFMANNUS, Gerh. Van SWIETEN, quorum testimonia collegit Reuerendiss. D. FABER in diss. II. p. 12-15. omnem hanc caussam egregie illustratura. Ad hanc subtilioris adæmonismi speciem generatim pauca monebimus:

1) Vix perspicitur vera ratio illius morositatis, quæ in admittendis his operationibus dæmonum, in Scriptura tam euidentur fundatis, intelligitur. Nil tribuam suspicionibus. Sed videant, qui illum propugnant, quid nouitatis studium, quid φιλαυτία, quid scientia inflans sine caritate, quid illiberalis cupiditas, antiquos Theologos cæcitatis, credulitatis, ignorantiæ arguendi, in eodem valeat; quasnam partes in illo propagando habeat studium vniuersalis illius religionis, cum detrimento veritatis, cum extenuatione errorum grauissimorum, cum abnegatione capitalium & fundamentalium

Christi doctrinarum coagmentatæ; quid purgandæ reformandæque doctrinæ euangelicæ prouincia, vltro sibi sumta & arrogata; quid κενοδοξία in eodem possit. Reuelabit hæc & & docebit dies ille pantocriticus, manifestatis cordium cogitationibus. Nulla capitalior pestis est, inquit J. C. Pfaffius in Præf. ad Syllogen quæstionum theologicarum denuo tritiorum, 1707: quam, præsertim in sacris, „ ἰδιογνωμοσύνη, morbus sacer Heraclito dicta, pridemque a „ Paullo proscripta; (Rom. XI. 25. XII. 16.) ἰδιοκέφαλοι enim, „ qui sibi sapiunt soli, quicquid probatur aliis, damnantes, longe „ alia, & præsertim cerebri nonnisi sui abortus adoptari prætendunt. Scripturam vero si obuertas, ita torquent, vt aliud „ quasi loqui cógant, quam sentit, omniaque, quæ ex fonte illo legitime deriuas, ab interna demum conuictione suspendunt. Nec „ sacrosanctis fidei Mysteriis parcunt, sed illa ad humanæ rationis „ calculum reuocant, ingeniique decempeda mensi angustis iudicii „ sui finibus circumscribunt. Deinde vt nostratis etiam ecclesiæ — „ — cadat auctoritas, pientissimæ Matri mille adfingunt rugas, „ eiusque Ministerio & verbum Dei abdicunt & claues regni cælo„ rum, & quid non? Denique in ipsa quoque ecclesiæ sepimenta „ grassantur, symbola sc. & ordinationes — — „ Discordiæ certe illius & aberrationis a tramite veritatis sincere & serio inuestigandæ, quæ in *Lehrbuch* & *WB.* facile intelligitur, rationes certas & spirituales, Deus & conscientia auctoris norunt.

a) Diluuii instar & gangrænæ ad modum haec de dæmoniacis interpretatio serpsit & late rempublicam theologicam inundauit fascinauitque. Patrocinantur illi doctorum, eam amplectentium, auctoritas, nouitatis lenocinium, & sapientiæ, τὰς πολλὰς infinitis parasangis post se relinquentis, phantasia, & omnes illæ rationes, quas (n. 1.) in medium attulimus. In Anglis, in Batauis, dominium quoddam præ altera & communi & orthodoxa sibi arrogauit, cuius insigne quoddam specimen vid. in Harwood *Neuen Einl. in das Studium und die Kenntniß des N. T. aus dem englischen übersezt von J. S. F.* Schulze, *Halle 1770.*

3) Sunt tamen inter ipsos illos, qui de emendanda publica doctrina consilia agitant, & in ecclesia nostra a næuis quibusdam, maxi-

mam

mam partem imaginariis, purganda tam liberaliter laborantes videri volunt, qui luce N. T. illiusque lucidissimis hac in re radiis coacti, abs se impetrare non possunt, quin communiori de dæmoniacis sententiæ subscribant. Inter hos primus nominari meretur Cel. J. B. Basedow, qui *im Versuch für die Wahrheit des Christentums*, p. 559. ita: *zu den streitig scheinenden Erzählungen der Evangelien gehöret auch die Geschichte von einigen, die bald besessene, bald wahnsinnige und kranke genennet werden. Aus einer bescheidenen und wahren Philosophie läßt sich die Unmöglichkeit einer teuflischen Besizung, oder einer anhaltenden Einwürkung böser Geister in die Seelen und Leiber der Menschen keinesweges beweisen. Ausserordentliche Arten der Raserei, der Stärke, der Bewegung und der Qual können die äusserlichen Wirkungen davon seyn. In diesem Falle wären solche unglückseelige zugleich besessen und zugleich rasend oder krank. Das Kennzeichen der Besessenheit muß uns freilich iezt unbekannt seyn, da wir keine Besessene haben. Und dannoch würde ein mit solchen Plagen verbundenes wahre Zeichen einer wahrhaftig übermenschlichen Kenntniß auch iezt, wenn es da wäre, ein Zeichen einer wahren, nicht erdichteten, nicht eingebildeten Besessenheit seyn. In spätern Zeiten darff nicht alles auserordentliche geschehen, was in frühern Zeiten geschah, in welchen die Vorsehung beschlossen hatte, Offenbarungen zu geben, Wunder geschehen zu lassen, und etwas von der unbekannten Geisterwelt bekannt zu machen. Ich untersuche noch nicht zureichend, die Bemühung einiger Theologen, welche die Meinung, daß keine Besessene gewesen sind, und sich Jesus und die Apostel in diesen und andern Benennungen nur nach denen von Vorurtheilen entstandenen jüdischen Redensarten richteten, mit der Wahrheit der evangelischen Erzählung zu vereinigen glauben. Ich vermuthe nicht, daß ihr Vorhaben ihnen gelungen sei. Irrte ich in diesem Punkte, so würde das apostolische Ansehen der Evangelien nichts verlohren haben.*

§. 3.

Quæ hactenus disputauimus, naturæ & veritatis obsessionum probatur ex corporalium declarandæ caussa dicta sunt. Confirmabuntur fortasse dæmoniacis

non N. T.

non parum, ab illis, quas iam addemus, obſeruationibus. In euangeliis δαιμονιζόμενοι mox generatim occurrunt, a reliquis ægrotis diſtincti, (Matth. IV. 24. VIII. 16. 17. Marc. I. 32. 34. 39.) mox additur plenior determinatio, vt quid in homine operati ſint dæmones, conſpiciatur; in aliis *linguae* vſum, (Matth. IX. 34. 33. Luc. XI. 19.) in aliis linguæ & *oculorum* pervertebant; (Matth. XII 22.) mox hiſtoria δαιμονιζομένων pluribus verbis deſcribitur, e. g. *pueri* illius ἀλάλυ. (Marc. IX. 17 - 39. Matth. XVII. 14 - 21. Luc. IX. 38 - 42.) Miros & inſolitos motus in hoc homine produxit dæmon, correptum, laceratum, vt ſpumaret & dentibus ſtrideret ac tabeſceret, ſæpe in ignem iecit & in aquam, vt eum perderet; tantum in eo ſibi ſumſit, vt ex impotentia diſcipulorum ferocior factus, ad magnam Domini potentiam, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ægerrime cederet, id quod ex violento illo exitu, ſigno inuiti obſequii, ſed conſtantioris etiam liberationis, luculenter patet, κράξαν ϰ πολλὰ σπαράξαν ἀυτὸν, ἐξῆλθε. Perdere tentans, detruſit puerum in aquam ignemque, vel quod in cadauer poteſtatem quandam ſibi polliceretur, vel quod ignominiam eiectionis a Jeſu metueret. Obiurgatus a Chriſto, illius potentiæ, ceſſit; & mirum eſt, eum diſcipulorum virium menſuræ tum temporis præualeret, ipſis non nocuiſſe. (Act. XIX. 16.) Aliud exemplum plenioris deſcriptionis δαιμονιζομένων ſiſtunt *Gergeſeni* iſti, a tribus euangeliſtis commemorati, (Matth. VIII. 28 - 34. Marc. V. 1 - 20. Luc. VIII. 26 - 39.) de ſitu illius regionis vid. S. R. Semleri nott. ad Wetstenii libellos ad criſin, p. 37. ſ. Mirum in his eſt, illos agnouiſſe Jeſum, & nominaſſe *filium Dei* prius, quam ab vllo homine, nedum diſcipulis, pro tali fide firma & ſtabili haberetur; horribilem exſpectationem & deſperationem formula illa abalienandi, τί ἡμῖν ϰ σοὶ, υἱὲ τῦ Θεῦ, aperte prodere non dubitaſſe; illos queri, citius Chriſtum adueniſſe, quam tempus ferret, & adueniſſe illuc, vbi ſibi ius quoddam tam in locum, quam in obiecta, porcos illius loci arrogarent; queri de tormento ab hoc Dei filio paſſo, quod ſine dubio in eo ſitum erat, quod carere corpore, aut humano aut bruto, iuberentur; dæmones (v. 31.) petiiſſe a Domino, vt porcorum inuadendorum copiam daret, quod ipſis vel hoſtibus indulſum eſt, ſpeciminis loco & præludii futuræ illius ſubiectionis,

qua

qua scabellum pedum Christi futuri sunt, (Ps. CX. 1.) Nam preces hominis vel mere naturalis, vel daemonum, vel hostium impetrare aliquid a Domino possunt: (Hiob I. II.) obsessa bruta non diu vixisse, sed in mare pracipitata mox periisse; quod homines obsessi non statim ita pereant, beneficium est a Deo; mirum est, hunc daemoniacum habitasse in locis solitariis; celebritatem igitur hominum fugere videtur genus quoddam daemonum, vbi exercitia pietatis vigent, & precum studio vacatur: daemoniacum se ipsum lapidibus contudisse, vt in obsessis iustus etiam & legitimus amor sui impediri videatur; vires, naturalem hominis potestatem supergredientes, de inuisibili quadam potestate hominem confortante, manifeste testatas esse, nam ne catenis quidem poterat vinciri, ab ipso discerptis & compedibus comminutis, ab vllo homine domari nescius; decori naturalis obseruantiam in hoc obsesso negligi fecit daemonum, illum obsidentium, legio, nam eiecto daemone ad quietem, vestium vsum & rationis rediit, & quem societatis ciuilis & oeconomicae putidum membrum, & inutile terrae pondus fecit daemon, illum liberatum eidem reddit idoneum & vtilem dominus, (Marc. V. 19.) DAMMII paralogismos & pseudhermenias de hoc homine vid. in b. CLEMMII *Einl. B.* III. p. 235. (n. Q.) solida vero & omni exceptione maiora cogitata de eodem S. R. D. ERNESTI *N. Bibl.* T. III. p. 802. ss. Alia quaedam exempla plenioris descriptionis δαιμονιζομένων, & vim obsessionis & virtutis Christi aperte declarantia, occurrunt, (Marc. I. 23 - 28. III. 11. 12. Luc. IV. 31 - 37. 41. XI. 14 - 26.) ex quibus pauca obseruabimus: agnouisse Jesum Dæmonas, & filium Dei, Sanctum Dei proclamasse; increpitos esse a Domino, ne ab ipsis annunciaretur, quod tale praeconium oeconomiae Christi, & naturae fidei, aduersaretur; ne vllum quidem δαιμόνιον ad iussum Domini possessionem suam retinuisse, sed omnia inuictae ipsius potestati cessisse; Christum cum iis locutum esse & ab ipsis responsa accepisse, & aperte pronunciasse, se digito Dei δαιμόνια eiicere; aegre expelli Satanam & palatium bene custoditum & quibuscunque præsidiis munitum tenere, nec, nisi ad vim fortioris praeualentem, cedere. *Subiecta* porro obsessionis corporalis sistuntur homines, cuiuscunque ordinis, aetatisque, pueri, (e. g. Marc. IX. 21. 24.) puellae, (Marc. VII. 24 - 30.) ethnici, iudaei, adulti.

Obsedere hominem vel vnus, vel *plures* (Matth. XII. 45. Luc. VIII. 2. coll. Matth. XIII. 8.) vt alium octo, alium sex, alium quinque, alium quatuor occupare posse daemones videantur. Iudaei, horum omnium oculati testes, veritatem horum miraculorum cum ulla re infringere non possent, magnitudine illorum perculsi, magno illa auctori, sed pessimo adscribunt. (Matth. IX. 33. 34. Marc. III. 22 - 30. Matth. XII. 22 - 32. Luc. XI. 17 - 24.) quod inane commentum & ab omni verisimilitudine abhorrens effugium, ex natura regni diabolici, se ipsum non destruentis, diluit optimus Seruator, addita grauissima illa comminatione, (Matth. XII. 31.) Acerbissimam hanc criminationem saepius in Dominum retorserunt iudaei, (Joh. VIII. 48.) putantes, sermones eius fluxisse ex vesana quadam superbia & arrogantia, aliis absurditatem huius iudicii palam declarantibus, (conf. Joh. X. 20 f.) quemadmodum id ipsum Johanni Baptistae fecere, (Luc. VII. 33.) in sua caecitate & ignoratione operationes diuinas & diabolicas diiudicare non valentes. Nec tantum in expulsione daemonum potestatem hanc suam vindicauit, sed illam in communicanda cum discipulis asseruit, magna enim potestas sit, oportet, dandi potestatem, (Matth. X. 1. 8. Marc. III. 15. VI. 7.) & quidem ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, omnium generum omnia, quae occurrerent, id sine dubio multo molestius ferentia, quam, se expelli ab ipso Domino. E prima vero legatione & praeconio reuersi LXX discipuli cum gaudio successum nunciant: (Luc. X. 17.) plura sine dubio in effectu experti, quam dominus verbis expressisset. Hoc ipsum vero gaudium, in se iustum & legitimum, ita temperat Dominus, vt in prospero successu omnem securitatem remoueat, & ab omni nimia, in his operibus, caussam salutis necessario non ingredientibus, confidentia praecaueat: ℣. 18. ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα, sine dubio laboranti rei & inclinatae auxiliaturum, & summa, qua fieri posset, pernicitate, suppetias laturum. Paruulos accusauisse Satanam in caelo, b. BENGELII coniectura est, inde ruentem, vel quia vi eiectus esset è caelo, (certe Satanas eo tempore multas accepit plagas, etiam per minores illos,) vel quia potestatem impetrabat obnitendi discipulis. Iterata vero promissione illis virtutem, & terrestrium & inuisibilium hostium potestati superiorem, pollicetur, ad omnium serpentum scorpiorumque, immo capitalis il-

lius

lius hostis principis vim, & collectas vires immotam inuictamque perstituram; maiorem vero ampliorenque laetandi materiem addit; de aeterna ipsorum electione ad salutem & gloriam, vel reclamante Satana, vel ipsis in terra nauci habitis, vere futuram, certiores faciens, quae ipsa familiari Sacrae Scripturae locutione inscriptionis in caelis, vel in libro vitae ipsorum nominum exprimitur. ℣. 20. Quae ipsa res argumento est, his donis miraculosis ordinaria, & ad salutem consequendam summe necessaria, fidem, amorem, spem, longe praeferenda esse, nam sine his vel daemonum eiectio non allegari posset tamquam caussa salutis aeternae. (Matth. VII. 22.) Non vero apostolis discipulisque tantum, qui miracula non fecere, nisi a Domino emissi, (Luc. X. 17.) aut post abitum Christi, (Joh. XIV. 12.) sed omnibus credentibus promissum est, (Marc. XVI. 17.) cuius promissionis veritatem ipso euentu comprobatam sistunt acta apostolorum, & documenta H. E. inprimis antiquioris aeui. Acta meminerunt ὀχλουμένων ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, vel conspecta Petri vmbra, è corporibus se proripientium, (Act. V. 15. 16. VII. 7.) immo iudaeorum ἀπιστίαν obstinatam recensione horum operum, a Christo olim coram vniuerso populo perpetratorum, expugnare annititur Petrus. (Act. X. 38.) Ad summum venisse, videtur vis miraculosa, (Act. XIX. 12.) Inprimis vero historiam δαιμονιζομένων insigniter illustrari putamus, ex notabili illo facto, quod Ephesi contigisse legimus. (Act. XIX. 13 - 17.) Memorabile in illo est, personas nominari, qui daemonum eiiciendorum prouinciam vltro sibi arrogarent; fuere enim septem filii Scevae, iudaei pontificis, id quod in pleniorem rei narratae fidem spectat: eiusmodi exorcistarum iudaeorum, circulatorum instar circumeuntium, inter Judaeos plures exstitisse, qui inprimis in gentis dignitate & nobilitate, vti hi in patris, quae ad illam accederet, auctoritate confiderent: ℣. 13. temeritatis suae & spuriae imitationis poenas tam acerbe luisse, insiliit enim in eos homo, in quo malus erat spiritus, eosque ita subegit & vicit, vt nudi ac vulnerati ex aedibus illis effugerent: ℣. 16. (Alia ceteroquin prostant exempla grauissimae vindictae in imitatorum seruum pecus statutae, Hebr. XI. 29. 1 Macc. V. 57. 61.) ipsos clade sua caussam christianam mirifice adiuuasse & veritatem religionis, a Paul-

lo praedicatae, confirmasse. „ Grauius habiti sunt, inquit Bengelius ad h. l. hi exorcistae, quam ille quidam, (Luc. IX 49.) „ sed iidem a Paullo non prohibiti, tamen ipsa sua clade pro caussa Christiana erant. Contumelia eorum, qui sinistre agunt, inseruit gloriae diuinae, & existimationi seruorum Dei, vera virtute „ praeditorum: „ nil sine vera fide, sine Spiritus S. gratia contra malos genios effici, ad illius robur & astutiam omne rationis lumen nihil esse, nec orationibus, nec operibus, fide non tinctis, vinci, sed subinde in iis, qui illis confidant, inualescere, id quod not. Justi Jonae, a Bengelio in Gnom. ad ℣. 13. addita, egregie docet; fateri daemonem, se cognoscere Jesum & Paullum nosse, & contemtum testari, ὑμεῖς δὲ τίνες ἐστέ; ℣. 15. agnoscere se inferiorem Jesu & Paulli viribus, & Spiritu, in ipsis operanti, sed ridere aliorum conatus, ab his non instructorum. — Haec omnia si quis serio & sincere expendat, nec ante iam conceptis opinionibus seruiat, nae parum concinne & liberaliter scripturam interpretetur, necesse est, qui in his omnibus illam populariter tantum loqui, nec veram cacodaemonum vim potestatemque in corpus humanum asserere contendat! Hoc modo, scriptura fieret cothurnus, vniuscuiusque pedi, mensurae, praeiudiciis, erroribus, hypothesibus aptus & consentaneus. Facile esset, sed fortasse longum & taediosum, & antiquiorum & recentiorum testimonia colligere, sententiae nostrae de daemoniacis adstipulantium. conf. e. g. Minucius Felix in Octauio C. XXVII. 6. p. m. ed. Lindn. Justinus M. obsessos, δαιμονιολήπτους suo etiam tempore exstitisse docuit, nomine Christi liberatos In his testimoniis multus est & copiosus Petavius Dogm. theol. T. III. Libr. de angelis III. 3. Mericus Casaubonus in tr. de Enthusiasmo, quem ex anglico latine reddi edique curauit D. J. F. Mayer, Gryphiswald. 1708. p. 20 ss. de daemoniacis multa habet, quae auctoritatibus Sennerti, Peuceri, Georg. Ragusei, Fernelii, Foresti, Pselli tuetur, exempla, in paroxysmo graeca, armenica, hebraica, distincte locuta. Non inique igitur factum putem, si in prima christianae religionis aetate, quoad veritatem δαιμονιζομένων, eorumque liberationis per apostolos & viros apostolicos, ad conscientias tam gentilium quam iudaeorum adpellatum fuit. Apud vtramque enim gentem in confesso erat, dari ob-

obsessos, caussa quadam supernaturali agitatos, & apud posteriorem eo speciosius, quo magis de vi & potestate Diaboli in corpus humanum permissione diuina, exemplo Hiobi C. II. 6. 7. edocti essent. Auctores, qui in hac historiae euangelicae parte id cum fructu fecerunt, vid. in COLLIER egregio libro: *Einleitung zum richtigen Verstand und nützlicher Lesung der H. Schrift. 1763. p. 467.* f. MER. CASAUBONUS, in admittendo concursu diabolico ad morbos, iusto fortasse liberalior videtur l. c. p. 41. Cum de morbis agimus, inquit, ac naturales caussas supernaturalibus, siue diuinis, siue diabolicis, opponimus, tamen, sicut generalem Dei voluntatem, sine qua nihil esse potest, non excludimus, ita, nec generale ministerium aut operationem diaboli, quem forte in omnibus aut plurimis morbis, quibus mortalium natura per peccatum obnoxia est, praesentem esse, agnoscimus. Vtrum tamen talis operatio & qualis sit, nostrum non est inquirere. Nullum hominem peccare, nisi aliquo modo obsessus sit, theologice dicitur, & optimi quoque ex philosophis asseruerunt, omne vitium esse fructum insaniae; id quod sanae philosophiae consentaneum esse, facile credo, praesertim postquam Hippocratem idem adfirmasse video. Interim inter immediatam obsessionem personae, aut operationem caussis naturalibus oppositam, & inter generalem concursum Diaboli, qui forte in omni malo seu physico seu morali locum habet, distinguimus. Tantum declinandorum errorum gratia. Nec abhorret idem, sanationes quasdam & curationes, quas alii phantasiae viuidiori tribuissent, Diabolo adsignare. „ facile inquit l. c. p. 132. mihi persuaderi patiar, qui in templis idolorum, peractis sollemnibus ritibus, opem senserunt, curationes illorum factas esse ope cacodaemonum, vt cultui idololatrico eo profundius immergerentur: nec Deos suos solum in genere, sed etiam templa ista venerarentur.

§. 4.

Jesum vel ex illa opportunitate verum Messiam sisti, quod eo tempore aduenerit, cum ad summa venisset potestas tenebrarum, supra diximus C. III. §. 4. In deprauatissimo illo tam gentilium quam iudaeorum statu, in deplorabili illo omnium vitiorum exercitio, in tenebris, quibus vera religio inuoluta esset, spississimis, nequitiarum

Cur hodie rariora aut nulla sint obsessorum exempla.

vel

vel crassissimo modo perpetrandarum Diabolo copia erat omnium amplissima. Et iusto Dei iudicio factum esse videtur, vt in gente, ad omnia flagitiorum genera proiecta, vel manifestissimis gratiae diuinae & irae documentis inexpugnabili, ob pertinacem & obstinatam animi indolem, flecti nesciam, potestas Diaboli tam horrendum in modum inualesceret. Quae vero ipsa occasio erat apta & consentanea reuelandae Messiae gloriae, & dignitatis insigniumque illarum praerogatiuarum, quibus populus Dei nobilitatus erat, in integrum restituendarum. Singulari igitur sapientia diuina factum est, vt tempore Christi permitteretur daemonibus, obsessiones spirituales cum corporalibus coniungere, & quales essent, quid in animam corpusque humanum tentent, ipso opere visibili notabilique demonstrare, ad effectus peccati recti cognoscendum, ad necessitatem auxilii inspiciendum, ad redemtoris gloriam, ab infausto hoc imperio nos liberantis, illustrandum. Rationes, inquit Magn. D. Faber in diss. I. de influxu adaemon. p. 36. cur solo illo, quo Christus eiusque apostoli in rebus humanis versabantur, tempore daemoniacorum frequentior fiat mentio, nec tamen Judaei ad istam rem, tanquam insolitam, stupuisse legantur, si quidem coniecturis locus detur, variae reddi possunt & solent. — Ex quo Judaei — crassiorem profanarum gentium superstitionem adsciuerant, & tempore aduentantis Messiae ad corruptionis suae fastigium peruenerant, δεισιδαιμονία, & daemonomania quoque ipsorum & animos & ora occupare coeperat; adeo vt de multis hominibus daemonium praedicarent, ob nociuam quamcunque morbi vel furoris indolem, vel alia insolentiora phaenomena. Quod ipsum cum cacodaemonis, has opportunitates eadem astutia, qua Sadducaeorum animis adaemonismum inspirauerat, captantis, adprime iuuaret in fouenda superstitione consilia: in diuersis quoque subiectis, ad quae ipsi per infirmitates physicas vel morales, e. g. melancholiam, epilepsiam, libidines &c. commodior patuit aditus, in rem praesentem venit; Messiae regnum, cuius adventum qualitercunque praesagiebat, ita vel occupaturus, vel certe superstitionis, magiae, incantationum, impietatis munimenta eidem oppositurus. En daemoniacorum natales! Deus vero, iusto iudicio in gentem perfidam animaduertens, & hostem propriis armis iugulaturus, tantisper conniuebat his machinationibus, viso, in ipsis illis daemoniacis redemtorem generis

neris humani opera diaboli, in conſpectu veluti & Sadducaeorum & ſuperſtitioſorum, deſtructum ire. Nec defuit ſucceſſus; ob quem callidiſſimus hoſtis, finita illa periodo, ſuae poteſtati in res hominum externas adeo funeſta, ad noſtram vsque aetatem ſubtiliora chriſtianorum animis & corporibus venena paranda cenſuit, ſi rariora per ſaeculorum decurſus exempla, vel etiam homines barbaros excipias, in quibus etiamnum craſſiores exercet methodos. „ Quamuis vero magna tum temporis eſſet & obſeſſorum & aegrotorum multitudo, (Act. X. 38. Luc. IV. 41.) iuſto tamen plus exaggerari non debet; cum vix nouem, quorum plenior fiat mentio, numeraueris, nec omnes, quos plebis inſcitia & ſuperſtitio pro talibus agnouit, Chriſti non accedente auctoritate, daemonizomeni habendi ſint. Interim cum Diabolus in operationibus ſuis, earumque modo, menſura, duratione à permiſſione diuina dependeat, cum omnis ipſius poteſtas per Chriſtum victorem fracta ſit & limitata, & triumphatus hoſtis ad incitas redactus nonniſi in illis, qui imperio eius ſponte & voluntarie ſubſunt, aliquid poſſit; cum non modo celebritatem hominum, ſed quam maxime ea loca, in quibus nomen Chriſti, exercitia pietatis, & Spiritus organa vigent, fugiat, horreatque; cum nec è re Diaboli illiusque regni videatur eſſe, multiplicari obſeſſiones corporales, mirandum non eſt, ſi rara ſubinde, & pro ſtatu temporum, ad quae callidiſſimus hoſtis conſilia ſua numquam non attemperat, rariſſima occurrant obſeſſorum exempla. Vexationes Satanae corporales, inquit b. Weism. in diſſ. de priuilegio populi iudaici & chriſtiani contra vexationes Satanae p. 14. omni ex ratione pendent ab arbitrio & poteſtate Dei permittentis; cum contra ſpiritualem ſuam poteſtatem, Deo quaſi inuito, certo ſenſu, & iure quaſi ſuo, exerceat. Obſeſſiones corporales hoc ipſo, quod notabiles ſunt & terribiles, a peccato potius auocant & abſterrent, (quod procul dubio in cauſſa eſt, cur nec ipſe Diabolus velit multiplicare easdem, etiamſi hoc in illius poteſtate eſſet,) cum contra occulta illa & ſpiritualis obſeſſio tota ſit comparata ad avellendas à Deo animas, ad euertendum Dei regnum; & augenda in infinitum obſtacula conuerſionis & emendationis hominum. Etiam ſi numeri hac parte rationem habeamus, quaenam quaeſo comparatio eſt inter manipulum corporaliter obſeſſorum, & inter tot mille myriades eorum, in quos plenam poteſtatem ſpiritualiter & in-

terius exercet Diabolus? „ Nec male coniectare mihi videntur, qui obsessiones corporales iam aeuo apostolico valde minutas esse existimant, quod nec oeconomiae diuinae gratiosae, nec amori illi vniuersali, generi humano in Christo euidentissime testato, nec dignitati humanae naturae, per filium Dei ἐνσαρκωθέντα tam insigniter nobilitatae, consentaneæ essent. Hinc b. Bengelius in Gnom. ad Act. V, 6. VIII. 7. obseruatu dignum est, quod Lucas in Actis numquam ponit vocabulum δαιμόνια, de obsessis loquens, quod ipse tamen in euangelio sæpius etiam posuit, quam ceteri euangelistæ. Ex quo colligas, obsessionis vim post mortem Christi esse debiliorem, (1 Joh. III. 8. Col. II. 15. Ebr. II. 14.) „ Quamuis vero innumeræ sint fraudes, imposturæ, fabulæ, superstitiones, quæ per omnia sæcula obsessionum nomine ecclesiam, forum, integras prouincias, ciuitates, pagos, priuatorum aedes misere perturbarunt, quarum multa exempla enumerant Wierus de præstigiis dæmonum, b. D. Hauber in bibl. magica, Mer. Casaubonus in tr. de Enthusiasmo p. 38. de omnibus tamen idem adfirmare nec tutum, nec solidum videtur. Sunt enim quædam, sed fortasse pauca, quæ cum solidis fundamentis, legitimis testibus, iustis & sufficientibus niti videantur circumstantiis, non statim, tamquam aniles fabulæ, repudianda sunt, sed accuratiori certe examine inuestiganda. Nec enim ab aperta falsitate quarundam ad fasitatem omnium recte concluditur, nec argumentari licet, quia e. g. gemmæ possunt fingi, adeo vt vel experientissimi aliquando decipiantur, ideo nullum verum adamantem aut sapphirum in mundo exsistere, aut cum tot sint errores, nullam superesse veritatem. Dignum est, quod notetur, obsessionis corporalis exemplum, à b. Bengelio in Gnom. ad Joh. III. 16. è Mich. Beckii disquis. hermen. p. 5. allatum. Ceterum si vel hæc vel alia recentioris & superioris ætatis obsessionum corporalium exempla, non admittantur, nil inde fundamenti ad abneganda ea, quæ historia euangelica suppeditat, redundat. Quæuis enim aetas non modo peculiaria sua habet dona, beneficia, formas, sed etiam peculiares suas tentationes, pericula, vexationes, noxas. Sic certum est exploratumque, morbos quosdam, antiquis cognitos, euanuisse, aliis, ipsis ignotis, in eorum locum succedentibus, vt ex defectu illorum nostro tempore, ad negandam eorum præsentiam antiquiori ætate non recte argumen-

mentaremur. — Quaestionem illam celebrem de duratione donorum Spiritus Sancti θαυματουργικῶν, quae inter Ven. LAVATERUM in *Aussichten in die Ewigkeit* P. I. ep. 10. qui perennitatem eorum propugnat, & S. V. D. NOESSELT in diss. de donorum Spiritus Sancti perennitate in ecclesia, 1770. qui ea angustis antiquae ecclesiae terminis circumscribit, agitata est, nostram iam non facimus; illud vero persuasissimi sumus, singulis aetatibus ea dispensare Deum & ecclesiae sapientissime prouidentem, Christum, dona viresque, quae illarum statui, genio, tentationibus, adflictionibus diabolicisque insultibus proportionatae sint & accommodatissimae. Cum igitur rara aut nulla Virorum, ab his donis miraculosis instructorum, amplius suppetat copia, aeque rara aut nulla sit illorum exercendorum occasio & necessitas, oportet, & maxime in hac re, quae sine gloriae Christi, victoris, imminutione, & Satanae victi triumphatique potestatis nimia exaggeratione, admitti non posset.

§. 5.

Ex his fundamentis, quid de GASSNERIANIS illis exorcismis sentiamus, iudicare non difficile erit. Non agnoscimus in hoc famigeratissimo viro, tantos in ecclesia strepitus excitante, πνευματικόν illum, ab excellentissimis illis virtutibus donisque Spiritus tam ordinariis, quam extraordinariis instructum, quibus Apostolos virosque apostolicos sapientissime prisca aetate ornare voluit Dominus. Qui studia, vitae agendique rationes huius opinati θαυματουργοῦ probe accurateque inspexerit, nae is parum aut nihil apostolici spiritus, multum humani, plurimum arrogantiae & φιλαυτίας in ipso reperiat. Nec illa distinctio hominum, quibuscum Diabolo aliquid commercii intercedat, in circumsessos, obsessos seu maleficatos, & possessos, scripturaria est. Gradus omnino operationes diabolicae admittunt, qui autem, cum infinitis nitantur circumstantiis, non facile determinari possunt, aeque minus ac gradus operationum gratiosarum Spir. S. in homine regenito, quae pro ea, quae hominis est, fidelitate continui incrementi aut decrementi capaces sunt. Multo minus immanis illa circumsessorum multitudo, & morborum, spiritus maligni opera excitatorum, copia, cum plena Christi de hoc hoste rei- De exorcismis Gassnerianis.

portata victoria, (1 Joh. III. 8.) cum permissione diuina, sine qua in corpus humanum nil valet, nil potest, (Hiob I. II) cum rationibus regni Christi, quod cum spiritualibus nitatur fundamentis, (Rom. XIV. 17.) spirituales illi opponantur vires, arma, tentationes, necesse est, conciliari mihi posse videtur. Chronicos enim morbos, hystericas aegritudines, epilepsiam, μελαγχολίαν, mala, ex vehementioribus πάθεσιν orta, pleraque, si non omnia, diabolica vi & influxu excitari contendit. — *Praeceptum probatiuum*, quod venditat, nec Christi exemplo, nec apostolorum praxi, nec naturae Spiritus, per quem daemonia eiiciantur, respondet, huius enim est, leuare morbos, non excitare. Quicquid igitur in curationibus illis Gassnerianis, miro illo nostri temporis phaenomeno, prodigiosum videtur & mirabile, ope arcani cuiusdam naturalis fieri, non dissenserim, maxime cum sine tactu, & vehementiori aliquando personae, morbo è supernaturalibus caussis ex hypothesi orto laborantis, conuulsione, nulla facile fiat curatio. Prostant alia quaedam exempla hominum, morbos per tactum tantummodo leuantium, quale illud est Valentini Greatreack, Hyberni, A. 1665. 1666. multa eiusmodi prodigia edentis, Marci d'Aviano, Francisci Bognone, *Florentini*, de quibus Itali quantum gloriati sint, dici non potest. Hinc factum est, vt celeberrimus hic θαυματουργὸς ab ipsis ecclesiæ suæ sociis multis, auitisque praiudiciis & superstitionibus liberis, mirum quantum exagitatus, & ab Exorcistæ munere, quod sibi ex arbitrio sumsit, imperiali auctoritate remotus sit, id quod in singularem Augustissime gloriam, temporum nostrorum honorem, innumerarum fraudum, in ipso ortu sopiendarum, in veritatis saluberrimæ vberiorem agnitionem & patefactionem vergere, asserere non dubitem. Parum enim aberat, quin prisca ætas, obscura illa sæcula, quibus insolitis eiusmodi præstigiis, superstitionibus, exorcismis, fabulis, fraudibus, ecclesia, forum, imperium & sacerdotium fascinata erant, rediissent! Nec illud prætermitti debet, recurrere subinde morbos, Gassneri exorcismis pulsos, & quidem plerosque, maiori etiam in quibusdam vi & vehementioribus paroxysmis, quod nec in Christi nec in apostolorum curationibus vsu venisse constat: Immo tot latebras, tot effugia conquisiuisse, vt in multis impotentiæ speci-

mini

minibus elabendi rima numquam deſit, omnes artis & virtutis fru-ſtratos effectus τῇ ἀπιςίᾳ ægrotorum tribuendo, aut prætextu mor-borum mere naturalium ad medicos remittendo. In ipſo cetero-quin libello, quo animi ſui ſententiam de his operationibus Diaboli in corpus humanum prodit: *Weiſe, fromm und geſund zu leben, auch ruhig und gottſeelig zu ſterben, oder nüzlicher Unterricht, wider den Teufel zu ſtreitten, durch Beantwortung der Fragen: 1) Kann der Teufel dem Leibe des Menſchen ſchaden? 2) welchen am mehreſten? 3) wie iſt zu helfen?* multa occurrunt, ſcriptu-ræ non conformia, dogmatibus eccleſiæ RCatholicæ conſenta-nea, ad reuiuiſcentiam errorum, iam dudum è chriſtiana ciuitate proſcriptorum, renouandam apta, vt ſingularem aliquam vim & virtutem, nonniſi ſpiritualiſſimis propriam, in hoc homine reſidere, vix mihi perſuaderi patiar. Ceterum qui pleniores fontes, de hac cauſſa ſobrie & ſolide iudicandi, deſideret, adeat & attente legat *Sammlungen von Briefen und Aufſäzen über die Gaſsneriſchen und Schröpferiſchen Geiſterbeſchwörungen, von Joh. Sam.* SEMLER, *Halle 1776.* quamuis vir πολυμαθέςατος hypotheſi iam dudum aſſumtæ etiam in his velificetur, illique iuſto plus, Diaboliquе in-fluxui in corpus humanum iuſto minus, tribuere videatur.

SECTIO III.

De poteſtate Diaboli in naturam.

§. 1.

Aſſeruimus hactenus poteſtatem Diaboli in animam & corpus hu-manum, cum ſuis limitibus. In reliqua opera Dei quid poſſit, reſtat, vt diſpiciamus. Scriptura etiam in his poteſtatem diaboli ali-quam

Probatur ex *Magia*,

quam esse, & dictis & exemplis & legibus probat. Nec hoc modo Dominus naturae constituitur hostis, quod rebus naturalibus ad suam voluntatem abuti, earumque vires ad alterius perniciem dirigere dicitur. Quoties enim illud ipsum ab hominibus fit? Et in Diabolo daemonibusque insignem esse, & nostra longe sublimiorem, rerum naturalium illarumque virium, nobis adhuc occultarum scientiam, quis dubitet? & huius ope miranda quaedam effectusque producere posse, ad quos obstupescamus, facile intelligitur. Nescimus quidem, quousque vis & potestas Satanae extendatur, signa tamen & portenta facere posse, ex 2 Thess. II. 9. constat, non quidem naturae ordinem immutando, quod solius Dei, creatoris, est, sed abditas rerum caussas varie componendo, conciliando, connectendo. Origines hae sunt *Magiae* supernaturalis & diabolicae, de qua pauca iam disputabimus.

§. 2.

non naturali. Intelligimus hoc nomine illam infaustam scientiam, qua ex virtute diabolica mira quaedam & insolita perpetrantur, supra cognitionis humanae limites viresque posita, vt hominibus brutisque noceatur, miri morbi immittantur, homines & bruta incantationibus ligentur, iisdem vel mala pellantur, vel aducentur, futura contingentia perspiciantur. Et esse quidem in rerum natura hanc scientiam, *Magiam*, & homines, illam exercentes, *Magos*, & nomina probant, & exempla, & leges, contra id hominum genus latae in S. S. Dari ceteroquin *Magiam* quandam *naturalem*, sine concursu & adspiratione diabolica, non abnuimus. Alter enim alteri rerum abditarum scientia praestat. Haec ipsa vero Magia naturalis ea est, quae rerum quarundam naturalium atque caelestium vires contemplata, earundemque sympathiam curiosa indagine scrutata, reconditas ac latentes in natura potestates in apertum producit; inferiora superiorum dotibus, sic copulans per eorum mutuam adplicationem, ut inde stupenda quaedam surgant mirabilia, non tam arte, quam natura, cui se ars ista ministram exhibet, haec operanti. De hac magia Excell. PLOUCQUET in diss. de praecipuis animae humanae symptomatibus p. 43. §. 133. cum imagines a phantasia generatae pendeant

a

a ſtatu ſenſorii interni, idem vero a cibo, potu, exhalationibus, inſitionibus aliisque cauſſis laedi & alterari poſſit: manifeſtum eſt, imaginationem adeo corrumpi poſſe ab eiusmodi rebus, vt morbus inde oriatur inſanabilis. Hinc reuera datur magia infamis, quae phyſice operatur, & homines aeque ac pecudes perdit. Dantur enim homines malitioſi, qui materiis è vegetabili, animali & minerali regno abutuntur ad nocendum. Qui de hisce dubitat, eodem iure dubitare poſſet de effectibus vini, opii, veneni a morſu canis rabidi in animantibus ſe manifeſtantis, aliisque phaenomenis.,, — Indi, Aethiopes, Chaldaei, Perſae hac maxime praecelluere Magia, naturae accuratiſſimi exploratores ea conducentes, quae ab ipſa praeparata eſſent, adplicando actiua paſſiuis, vt ſaepius, ante tempus, a natura ordinatum, effectum producerent, quem vulgus putauiſſet miraculum, cum tamen naturale opus eſſet, interueniente ſola temporis praeuentione, vt ſi quis in menſe Martio roſas produxiſſet, & maturas vuas, aut ſatas fabas, aut petroſelinum, intra paucas horas excreſcere feciſſet in perfectam plantam, & iis maiora, vt nubes, pluvias, tonitrua& diuerſorum generum animalia, & rerum transmutationes plurimas perfeciſſet. Phyſicæ ſublimioris gnari, herbarum, lapidum, naturæque virium ſcientia prædiri his effectibus producendis pares eſſe, nemo iam diffitetur, vt ſolo naturalium virtutum adminiculo, ex mutua earum & opportuna adplicatione opera edantur, plane admirabilia. De hac Magia nos non agimus, ſed de magia ſupernaturali, cuius 1.) exſiſtentiam, 2.) naturam, 3.) quænam diaboli ſint in illa partes, declarabimus.

§. 3.

Eſſe tale hominum genus, qui ex virtute quadam ſupernaturali mira & inſolita perpetrent, varia declarant *nomina*, ipſis in S. S. indita. Quæ ad varia diuinationum genera pertinent, ſupra vidimus. C. IV. §. 9. Reliqua iam examinabimus. Memorantur inter prohibitas artes exercentes 1) מְכַשְּׁפִים *Φαρμακοὶ*, non meri agyrtae, circulatores, circumforanei homines, nec enim hos igni adiudicaſſet Deus. (Exod. XXII. 18. Leu. XX 27. coll. Jer. XXVII. 9. Dan. II. 2.) Ill. MICHAELIS vertit: *der Mondfinſterniſſen machen will.* conf.

—ſed ex ſupernaturali, de cuius exſiſtentia agitur.

conf. C. IV. §. 9. p. 189. 2) חַרְטֻמִּים Magi, ritibus, characteribus, figuris, aliisque instrumentis, vel ad futura cognoscenda, vel mira quaedam perpetranda vtentes. (Gen. XLI. 8.) Michaelis, *Ausleger der Egyptischen Bilderschrift*. 3) חֹבְרִים LXX. *ἐπαοίδων ἐπαοιδήν*, consociantes aut ligantes daemones, serpentes, homines, bruta, incantationibus, (Deut. XVIII. 10 s. Ps. LVIII. 6. Jes. XLVII. 9.) qui certis verbis carminibusque ad mira quaedam perpetranda vtebantur, nostra aetate certis vocibus, formulisque, aut Scripturae dictis daemones expellentes, varios morbos sanantes, similiaque perficere adgredientes, *Seegensprecher*. Sic Apuleius, Porphyrius, Jamblichus loquuntur de daemonibus *καταχθονίοις*, Lyngibus Telebaritis, incantationibus in auxilium vocari solitis. Michaelis: *der Zauberlieder singet*. 4) Conueniunt cum his sine dubio: אַשָּׁפִים, מְלַחֲשִׁים מְצַפְצְפִים מְהַגִּים mussitantes, pipientes incantationes (Dan. I. 20. II. 2. Jes. VIII. 19. XXIX. 4.) De his aliisque vocibus vid. Gussetium in Comm. Hebr. p. 235. ss. quamuis non plene satisfaciat. In N. T. generali appellatione nominantur Magi, (Act. VIII. 9. XIII. 6. 8.) *Φαρμακοὶ*, (Gal. V. 20. Apoc. IX. 21. XVIII. 23. XXI. 8. XXII. 15.) quod quidem medium vocabulum est, saepe autem cum deriuatis adhibetur de medicina noxia, veneficio, quod se hominibus salubre iumentisque venditat, sed vel per se, vel etiam adiuncto expresso foedere, aut caeco cum daemoniis commercio, pestilentissimum est. Hinc idololatriae iungitur. Occurrunt porro libri magici, (Act. XIX. 19.) & de *φαρμακεία*, qua Babylon amasios suos allicit, vid. not. Beng. *Erkl. Off.* p. 913. s. Inter *exempla* quibus exsistentia Magiae supernaturalis probari solet, primi allegantur Magi Aegyptiaci, (Gen. XLI. 8. Exod. VII. 11. 12. VIII. 3. 7. 2 Tim. III. 8.) absurda est de his explicatio van der Hardt, quam C. M. Pfaff in diss. de theologia parabolica adfert p. 33. Facta illorum non videntur merae praestigiae circulatoriae fuisse, vt Thomasius, Turretinus, Werenfels, Noltenius, Ill. Michaelis, *Anmerkk.* p. 19. aut effectus magiae naturalis, naturae enim vires per studium physicae sanioris eo vsque exploratae sunt, vt cum fiducia fere dici possit, nullam artem humanam huiusmodi phaenomenis, absque contactu in distans producendis, sufficere: Nec fuerunt miracula ab ipso Deo facta, vt Joach. Lan-

Langius in H. E. V. T. p. 139. & Fleetwood in tr. de miraculis veris & falsis, Rambach in Coll. H. E. V. T. P. I. J. C. Förster *von den Wunderwerken*, putant, nam sic egisset Deus contra se ipsum, nec discerni possent miracula, quibus credendum esset, a miraculis, quibus non credendum; accedit, quod ipse Pharao ἀπιστίαν magna cum specie iuris potuisset defendere. Signa igitur illa ope subliniorum spirituum edita videntur, quos incantationibus in auxilium vocarunt. Neque tamen determinare necesse est, an verus aliquis & realis effectus a malis spiritibus productus fuerit, an vero merae fuerint præstigiæ atque illusiones. Posterius statuit Buddeus in H. E. V. T. T. I. p. 512. s. sed videtur textus plus dicere; realia igitur obiecta per vires finitas, humanis superiores, permittente Deo, adfuerint, necesse est. Non fuerunt miracula veri nominis, sed quædam mirabilia, id est effectus hominibus inexspectati, imperscrutabiles, inimitabiles, quos incauti facile pro veris miraculis habuissent. Sapientissime, hæc signa edi, permisit Deus, nam Magorum potestatem mox ita limitauit, vt impotentia Magiæ multo magis manifesta omnibus fieret, quam si non permisisset. (C. VIII. 18. f. IX. 11.) Ægyptii igitur per has artes ab initio fascinati facile potuerunt ad saniorem mentem redire, & perspecto immani discrimine inter potentiam Dei & Magorum, veritatem diuinæ legationis Mosis perspicere. Illustrarunt gloriam diuinam viresque, omnibus Diaboli machinationibus longe superiores. (Exod. VIII. 19.) Hanc de Magis Ægyptiacis sententiam, maxima probabilitatis specie se commendantem, defendunt b. Baumgartenius, S. V. Boysen, aliique plurimi. Nobis miraculosa videntur, quae Spiritibus altioris ordinis, & amplioris virium mensurae ordinaria sunt & facilia. — Occurrunt porro Magi Chaldaei & Babylonii, (Jes. XI. VII. 9. 12. Dan I. II.) Philistæi, (Jes. II. 6.) exprobratur enim populo, quod sint עננים כפלשתים variis superstitionibus dediti, quibus vel cum Philistæis certent. (Jes. VIII. 19.) ידענים אבות consulendis interdicit populo Jesaias, ita, vt ad legem & testimonium illum amittat, in quibus nullæ insint præstigiæ, fascinationes, malaeque artes: אשר אין־לו שחר De Saga Endorensi, Pythia, ἐγγαστριμύθῳ, (1 Sam. XXVIII. multa disputantur. Quamcunque sententiam eli-

gas, difficultatibus premeris. Spiritus, quem ex inferis excitauit mulier, *vel* spectrum erat, Samuelis animam referens, praestigium quoddam Satanae, quod permissione diuina Regi consulenti vera praedixit; haec communior sententia plurimis placet, conf. COLLIER *Einl.* p. 257. f. & J. C. PFAFFII dogmata protestantium ex iure canonico comprobata, p. 131. GROTII annotr. p. 227. *vel* anima Samuelis vera, è statu mortuorum educta & prouocata, quae sententia D. PATRIK DELANY est, &, vt videtur, Ven. RODSII *in Fußstapfen des Glaubens Abrahams* p. 471-475. Exemplum hoc est νεκυΐας, tam apud gentiles, quam iudaeos familiaris, quae non semper omni euentu frustrabatur, sed populo Dei per supplicii poenam interdicta, singulare quoddam cum daemonibus commercium innuens. Nam & hi veritatem saepius testati dicuntur. (Matth. VIII. 29. Act. XVI. 16-18. XIX. 15) De hac mortuorum magica euocatione, gentilibus frequentata, conf. C. IV. p. 189. — De SIMONE MAGO, Gnosticorum Patriarcha, vid. Act. VIII. 9. ss. cuius exemplum vel *Magis* gratiae ianuam apertam esse demonstrat; ELYMAM, siue BARIESUM, (C. XIII. 6-20.) Paullus adpellat diaboli filium, omni fraude ac scelere refertum, omnis iustitiae hostem. Circa solem v. 11. multum occupatum fuisse Elymam, verisimile esse putat b. BENGELIUS in Gnom. ad h. l. — Haec sunt exempla Magorum scripturaria, sunt alia, quae historia profana & ecclesiastica suppeditat: de *Selene*, Simonis M. concubina refertur apud CLEM. ROM. L. II. de recogn. quod cum in ampla quadam turri esset, magna populi multitudine ad spectaculum concurrente, per omnes illius fenestras simul prospicere visa fuerit. *Philostratus* de *Apollonio* Thyanaeo, (vrbis in Cappadocia sitae) miracula recenset, quae cum miraculis Christi, ineptissime comparantur, mortuos resuscitasse fertur, & varia stupenda praedixisse. Quin cum Ephesi in cathedra philosophica doceret, & eodem momento *Stephanus Domitianum Imp.* gladio inuaderet Romae, ille, inquam, Thyanaeus in eodem momento exclamauit: Euge Stephane, percute Tyrannum; subsistens deinde paululum, iterum quasi tripudians exclamauit: percussisti, vulnerasti, occidisti. De hoc Apollonio conf. b. CLEMMII *Einl. I. Band p. 143. f.* & S. R. LESS *Wahrheit der christl. Rel. p. 311. ss.* Recte hinc Magorum magiaeque existentiam pro-

probat C. M. Pfaffius in diss. de operationibus diabolicis p. 6. experientiâ omnium seculorum. „ Pertinent huc, inquit, amuleta „ magica, siue Talismanes, sigilla, specula, gemmae, statuae ma- „ gicae, fascinationum, incantationum, veneficiorum, praestigiarum „ genera infinita, euocationes, adparitiones, fugationes spectrorum, „ oracula diabolica, (2 Reg. I. 3. Ez. XXI. 26. Hos. IV. 12. Zach. „ X. 2.) necyomantiae veterum & recentiorum, philtra & unguen- „ ta magica, immissiones morborum mirorum, sanationes itemque „ ecstases & visiones magicae, genii familiares, obsessiones diaboli- „ cae, mira diabolica, translationes sagarum per aërem &c. tem- „ pestatum excitationes, mira in cadaueribus phaenomena, qualia „ e. g. sunt Vampyrorum, detectiones metallorum & thesaurorum „ magicae, nocumenta hominibus, bestiis, frugibus, herbis, aquis &c. „ illata, aliaque infinita, viribus naturae ordinariis effici nescia. „ Nec tamen negamus, pleraque esse fabulosa, aliqua & meris su- „ perstitionibus & imaginationibus absolui. Omnia tamen inficiari „ illiberale, pene dixerim, inciuile vel impium est. „ Qui ex va- riis illis generibus diuinorum, ἐγγαστριμύθων, fatidicorum, quo- rum antiquissima est in S. S. commemoratio, (maxime Exod. VII. XXII. 18. Leu. XIX. 31. XX. 6. 27. Deut. XVIII. 10 - 12. 1 Sam. XXVIII. Es. VIII, 19.) nonnisi nugiuendulos, praestigiatores, & ar- tifices ludendi facere quis possit, sine vllo influxu & concursu malo- rum spirituum, non video. Circumstantiae certe historicae, superstes notitia antiquorum temporum, materia substrata, poenarum diuina- rum grauites, cum extremo gradu vigilantiae aduersus delicta huius- modi coniuncta, exempla N. T, contrarium sensum millies proba- biliorem faciunt, vt fiducia dissentientium, qua tuentur suam hypo- thesin, sit prorsus imaginaria. Ne vllius seculi historia ab his ma- gicis artibus immunis est. Gnosticos ex consensu historicorum coae- uorum, ad similitudinem Coryphaei, Simonis Magi, magiam exer- cuisse, communis omnium patrum & scriptorum H. E. sententia est, quamuis dissentiente Vitringa in Obs. S. L. V. p. 166. 172. Fa- ctum vero etiam illud vidimus, vt Magiae insimularentur, ab hoc enormi vitio alienissimi, veluti *Athanasius*, Arianorum flagellum, de qua calumnia vid. Klausingii diss. *Athanasius vindicatus*, Lips. 1724. p. 28. ss. Antiquissimum fuerit, oportet, magiae stu-

dium; (Hiobi C. III. 8. (Jll. MICHAELIS sic vertit: *Hätten die Bezauberer der Tage sie zurückgeflucht? Sie, die den Crocodill hervorrufen können*, conf. ej. annot. p. 10. Hinc תרפים nil aliud, quam simulacra quædam deorum videntur; quibus superstitio ad diuinationem, cultumque idololatricum & magicas artes abutebatur. (Gen. XXXI. 30-36. 2 Reg. XXI. 21. Ez. XXXI. 26. Zach. X. 2.) conf. WITSII Ægyptiacorum L. II. C. X. p. 99. ss. His omnibus rite expensis de Magorum exsistentia vix dubitare licet, quamuis eorum numerus vel nimis augeri, vel nimium deprimi soleat. Sacram scripturam cum laruis pugnantem faciunt, qui atrocissimi huius criminis exsistentiam inficiantur, conf. Magn. D. FABRI diss. de influxu adæmonismi p. 34.

§ 4.

natura Magiæ.

Jam vero vbi ad *Magiae naturam* declarandam pergimus, difficilis est quæstionis propositæ enodatio. Est nimirum alia species Magiæ *venefica*, quæ poculis, philtris, variisque veneficiorum medicamentis perficitur; herbis enim & carminibus mala vel arcessere vel pellere putabantur Magi; tales herbæ in Thessalia nasci credebantur, iuxta Tibullum L. IV. eleg. 2.

Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni,
Quicquid & herbarum thessala terra gerit.

Sic in lege XII. tabularum iis, qui messem excantassent, pœna constituta est, vt non dubium sit, Magos etiam solis verbis & affectibus, aliisque similibus non in se ipsos modo, sed etiam in res externas sæpe mirum aliquem produxisse effectum Ad hanc Magiæ speciem pertinent procellarum & tempestatum excitatio; cf. b. BENGELIUS ad Matth. VIII. 26. porro aëris infectio; vredinis vel rubiginis productio; animalium & pecorum interfectio; hominum læsio & infestatio; morborum vel excitatio, vel imminutio, vel curatio: alia Magiæ species est *diuinatoria*, de qua supra diximus & varia est, quorsum pertinent extispicia, πυροσκοπία, ἰχθυομαντεία, ἀνθρωπομαντεία, aruspicina, γαιομαντεία, ὑδρομαντεία, πυρομαντεία. κληρομαντεία, diuinatio ex somniis, adde γοητείαν, νεκρομαντείαν, θεομαντείαν, λεκανομαντείαν, γαστρομαντείαν, κατοπτρομαντείαν, κρυσταλλομαντείαν, δακτυλομαντείαν, ὀνυχομαντείαν,

τεία, κοσκινομαντείαν; alia Magiæ ſpecies eſt *praeſtigiatoria*, qua ſpecies & imagines rerum exhibentur, opera φαινόμενα pro veris ſubſtituuntur, & homines luduntur, decipiuntur, & hæc eſt illuſoria, quibus circulatorum inſtar mirabilia quædam fiunt, non tam incantamentis & imprecationibus, dæmonumque fallaciis, quam certis fumigiorum vaporibus, luminibus, philtris, collyriis, alligationibus & ſuſpenſionibus, præterea annulis, imaginibus, ſpeculis, ſimilibusque Magicæ artis inſtrumentis: multa & manuum promta ſubtilitate & induſtria fiunt, ab hiſtrionibus, iaculatoribus, chiroſophis. Exempla quorundam, hanc artem profitentium, enumerat, *Cornelius Agrippa* ab Nettesheim in libro de vanitate ſcientiarum p. m. 80. ſs. cap. XLVIII. Idem ſpeciatim quoque agit de Goetia & Necromantia p. 74. ſs. Cap. XLV. Cur autem, inquit, Goëtici illi ſolis malis vtantur dæmonibus, ea ratio eſt, quia boni angeli difficile comparent, quia Dei iuſſum exſpectant, nec niſi mundis corde & vita ſanctis hominibus congrediuntur; mali autem faciles ſe exhibent ad inuocandum, falſo fauentes, & diuinitatem mentientes, ſemper praeſto, vt aſtu ſuo decipiant, vt venerationis honore fruantur, vt adorentur. Et quia mulieres ſecretorum auidiores ſunt, ac minus cautæ, atque in ſuperſtitionem procliues, faciliusque illuduntur, ideo illis ſe præbent faciliores faciuntque ingentia prodigia. Nec enim omnia, quæ poëtæ de Circe, de Medea canunt, quæ CICERO de Sagis in L. I. de diu. docet, PLINIUS, SENECA, AUGUSTINUS, multique alii tum philoſophi tum catholici doctores & hiſtorici, ipſae quoque ſacrae litteræ, vt vidimus, de Magis tam viris, quam feminis commemorant, anilibus fabulis merisque commentis otioſorum hominum annumerauerim, quamuis tam in defectu, quam in exceſſu heic peccari facile poſſe & actu peccatum eſſe, non ignorem. Hinc ſui ſæculi genium redolent, quæ peculiari tractatu de Sagarum impietate, nocendi imbecillitate, & pœnæ grauitate, ſcripſit Theod. THUMMIUS, Tub. 1621. & J. A. OSIANDER de Magia, cuius compendium exhibet in Exerc. XXXVII. p. 194. ſs. Ceterum de Magia conf. b. BENGELII *Reden über die Offenb. p. 485. ſs.* b. CRUSII hypomnem. in theol. propheticam P. II. p. 636 - 657. inprimis quoque Conſtantini Franc. de CAUZ, in academia roboretana Quirini, de cultibus Magicis, eorumque perpetuo ad eccleſiam

& remp. habitu, Libri duo, cum adiunctis quibusdam eo pertinentibus, ad iurisprudentiae legumlatoriae illustrationem, Viennae 1768. *Anweisung der Allergnädigsten Landesverordnung in Absicht auf die Zauberer u. s. w.* Conf. S. V. D. ERNESTI *N. Bibl. T. VIII. p. 741. ss.* Nec abludunt ab his & quae conferantur, digna sunt, Corn. AGRIPPAE scripta de philosophia occulta, de qua in L. de vanitate scientiarum p. m. 82. ita: de magicis scripsi ego iuuenis adhuc libros tres, amplo satis volumine, quos de occulta philosophia nuncupaui, in quibus quicquid tum per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo; permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contriui. Tandem hoc profeci, quod sciam, quem iis rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, sed elusione daemonum secundum operationem malorum spirituum, diuinare & prophetare praesumunt, & per vanitates magicas, exorcismos, incantationes, amatoria, ἀγώγιμα, & cetera opera daemoniaca & idololatriae fraudes exercentes, praestigia & phantasmata ostentantes, mox cessantia miracula sese operari iactant, omnes hi cum Iamne & Mambre & Simone M. aeternis ignibus cruciandi destinabuntur. „ Hinc magia, ipsis gentilibus, e. g. CURTIO L. III. C. I. non ars, sed vanissimi cuiusque ludibrium, PLINIO fraudulentissima artium audit, intestabilis, irrita, inanis. *Tiberius, Nero, Hadrianus, Caracalla, Julianus*, arcanae huius artis epoptae, & peritissimis magistris cincti, apertissima illius impotentiae documenta sistunt, testes iudicii diuini in hoc genere hominum statuendi.

§. 5.

quaenam sint in illa Diaboli daemonumque partes?

Cum igitur sint variae Magiae species, cum dentur Magi diuersi ordinis, quaenam in his *Diaboli malorumque spirituum sint partes*, superest, vt ostendamus. Omnes, quotquot sunt, Magiae species in sacris libris grauissime esse prohibitas, in aprico est, nec huius interdicti ratio vlla est probabilior solidiorque, quam quod in exercitio harum artium commercium quoddam cum Diabolo daemonibusque intercedat hominibus; quare etiam fit, vt Magia, Φαρμακεία cum

eum idololatria iungatur. (Apoc. XXI. 8.) Illud vero commercium variis modis obtinet, vel mediate, vel immediate, vel directe vel indirecte, vel subtiliter, vel crasse, vel remotius, vel propius, secundum concursum vel generalem, vel specialem, vel specialissimum. In illis incantationibus Dæmones in auxilium vocari videntur. Deus huius mundi, & *simia* in omnibus veri Numinis, amat inuocari, (Matth. IV. 9.) eundemque sibi cultum exhiberi, qui soli Deo debetur. Illæ enim formulæ verbaque, ad verum Deum non directa, nonnisi Dæmonas ferire, certum est. Et quemadmodum Dominus prope est omnibus inuocantibus eum serio & sincere; (Ps. CXLV. 18. 19. XXXVII. 4.) ita nec suos frustra inuocare sinit Diabolus, eorumque precibus, lubentissime annuit. Hinc Magiæ nonnisi student, sua culpa iusto Dei iudicio in peruersum sensum traditi, vti videre est in Judæis, qui, cum ob grauissima delicta, & necem prophetarum & Domini I. C. a Deo abiecti & repudiati essent, cultum אלהים אחרים לשדים ללא אלה ללא אל exhibuerunt, & ab eo tempore Diabolo plurimum litarunt. Saulis exemplum imitati, qui, cum Deus, ob eius inobedientiam atque impietatem commercium abrupisset, neque vlla ratione ad ipsius vota respondere annuisset, ad Diabolum illiusque instrumenta impurissima se conuertit. (1 Sam. XXVIII. 6 7.) Accedit, quod Deus post repudium, populo suo prisco datum, per iustissimum iudicium, Diabolo potestatem concedere potuerit, vt eorum mentes excæcaret, (2 Cor. IV. 4.) induraret, (Rom. XI. 7 - 10.) eos laqueis ad lubitum suum captiuos teneret, (2 Tim. II. 22.) & fortasse præstigiis & effectibus nonnullis oculos ferientibus fascinaret. Hinc b. LUTHERUS: iudæum hominem (talem, quales *post Christum repudiatum* plurimi erant,) scatere tanto superstitionum diabolicarum cumulo, vt numerum pilorum de nouem vaccis longe excedat. Id manifestum fiet vnicuique, qui ea, quæ de *Kabbala* sua & speculatiua & practica docent, recogitauerit, de qua conf. CORN. AGRIPPÆ Tr de vanitate scientiarum p. 77 - 80. Et hæc ipsa rationem suppeditant, cur in Ecclesia rariora sint Magorum exempla. Omni cum Deo communioni renunciare, fœdus baptismale enormiter violare, profundissimæ malitiæ se tradere, omnem fidem in Deum & Saluatorem eiurare, detestabiles gentilismi & repudiandas iudaismi abiecti

iecti superstitiones ex orcó reuocare, oportet, qui his artibus se tradat, & ad abominabilem hanc idololatriæ speciem, vel in media euangelii luce, grauiori iudicio, delabatur. Patrum communis sententia erat, Magis tale commercium cum dæmonibus intercedere. MINUCIUS FELIX de Vanitate idolorum C. XVI. 9. Magi, inquit, Dæmonibus adspirantibus & infundentibus præstigias edunt, & LACTANTIUS II. 14. 10. Magorum ars omnis ac potentia dæmonum adspirationibus constat, & APULEIUS de Deo Socratis p. 45. Dæmones curant vel somniis conformandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis. ATHANASII & TERTULLIANI testimonia vid. in WITSII Ægypt. p. 344 s. Nil enim magis conuenit cum Diaboli malitia, generalique proposito, quam Magia, & infamis illa cupiditas, hominibus a veri Numinis cultu abductis persuadendi obseruationem vanarum eiusmodi curiosarumque superstitionum, quæ parum forte præstant in oculis Dei plena apostasia & idololatria. Malim igitur, si qui sunt, illos effectus, caussis, naturæ vires supergredientibus, quam mere naturalibus adscribere. Nec enim optimi quique naturæ studiosi & scrutatores iis producendis pares se profitentur.

§. 6.

de grauitate criminis Magiae.

Grauitatem criminis Magiae, siue habeat effectum, siue non, siue aliquid possit, siue illusio mera sit, plura condocent: ipsa natura huius peccati, quod cum turpi derelictione Dei, nomini ipsius sanctissimo illatâ summâ contumeliâ, idololatriæ summo gradu, qui in cultu & adoratione Dæmonum ponitur, cum praua voluntate, aliis nocendi, res creatas peruertendi, & ad illicitos vsus adhibendi, coniunctum est; pœnæ in Magos diuinitus sancitae atrocitas, (Deut. XVIII. 12. Leu. XX. 27. Exod. XXII. 18.) quæ nec in N. T. dispensari posse videtur, conf. J. A. OSIANDRI Exerc. XXXVII. p. 199 - 202. (Bullam Innocentii VIII. contra Magos exhibet b. CLEMMIUS in *Einl.* T. III. p. 222 ss.) & omnis obsequii, fidei, amoris in Deum & Saluatorem vel expressa, vel tacita eiuratio; sanctissimas res, nomina, verba, ad suas nefarias libidines & cupiditates adplicandi summa temeritas. Quamuis superiori ætate in quæstionibus

bus, hoc crimen spectantibus, vehementer peccatum esse, audacter asseuerem; quid enim ab illis ἀσθενεστέροις σκεύεσιν, immo in illa aetate anili, ἀσθενεστάτοις, per torturas extorqueri poterat? criminis certe numquam commissi, nec cogniti confessio violenter expressa in multis est. Summa igitur moderatione in his opus, quam nostra & superiori aetate multi suaserunt, e. g. auctor cautionis criminalis circa processus contra Sagas, quem LEIBNITIUS excitat Theod. §. 97. aliique plurimi ex theologis & JCtis. Remedia spiritualia quam maxime, adhibenda esse existimem, nec carceres, vivicomburia, supplicia. Rariora sunt nostra aetate, vti fere omnes crassiores Cacodaemonis operationes, Magorum exempla, nec in ecclesia Dei tolerabilia, & in institutionibus nostris catecheticis bene & sollicite proscripta, fortasse vero in gentibus, a vero Dei cultu & cognitione alienis, eo frequentiora, vt eorum in vltima scripturae pagina non immerito facta sit mentio. (Apoc. XXI. 8. XXII. 15.)

§. 7.

Ad potestatem Diaboli in naturam, inprimis etiam pertinet *mirabilium* quorundam perpetrandorum facultas, quae ipsi in sacris litteris vindicatur. (2 Thess. II. 9. Apoc. XIII. 2. 11. 13. XVI. 14.) Signa haec & prodigia fiunt per Draconem, qui suam ἐξουσίαν cum antichristo communicaturus est. Et facile intelligitur, quî fieri possit, vt diaboli daemonumque ope, eminentiorum illorum atque sagaciorum spirituum, qui vastissimam rerum, in terra de Deo restantium, multitudinem intelligunt, stupenda eiusmodi & mirabilia opera edantur. Il se peut, inquit LEIBNITIUS Discours de la Conformité de la foi avec la raison §. 3. qu' il y ait des miracles, que Dieu fait par le Ministére des Anges, où les loix de la nature ne sont point violées, non plus, que lorsque les hommes aident la nature par l' art; l' artifice des Anges ne differant du nôtre, que par le degré de perfection. Quae facultas si bonis angelis competit, etiam malis, si Deus permittat, tribui posse videtur. Quamuis igitur miraculorum, proprie sumtorum, perpetrandorum facultatem Satanae non demus, miros tamen & stupendos effectus perspicacissimum hunc artificem producere posse, quis dubitet? Prostant in S. litteris tales effe-

Num miracula facere possit Satanas?

ctus, angelorum interuentu & opera præstiti, ad quos obstupescimus, e. g. strages ab angelo exterminatore in Ægypto, altera in castris assyriacis edita; & hæc opera, si naturam viresque angelicas spectes, ordinaria ipsis sunt, nobis vero extraordinaria & miraculosa. Illud extra controuersiam positum est, angelos neque bonos neque malos, nihil noui creando producere posse, nihil absque omni caussarum naturalium concursu efficere, nulla opera miraculosa, diuinis æqualia, propriis viribus edere; nec tamen eapropter ipsis omnis in dirigendis caussis naturalibus, ad effectus extraordinarios, vis & efficacia abiudicanda est, sine ulla tamen aut immutatione aut præteritione legum naturae generalium, quæ si fiat, miraculi proprie sumti & diuini natura exprimitur. Hæc si recte adtendantur, fomes illius controuersiæ, quæ de miraculis diuinis & diabolicis agitata est, exstinguitur. Omnem hanc doctrinam accurate & solide excussit S. R. D. LESS *Wahrheit der christl. Rel.* p. 243 - 396. Illud singulare est, nullam esse religionem in mundo, quæ se non miraculis confirmatam iactitet. *Turcae*, teste *Busbeqnio*, illorum varia & multa venditant, *Chinenses Confutii* miraculis gloriantur, *RCatholici* ingentem eorum numerum recensent, quibus ecclesiæ suæ auctoritas stabilita sit; quamuis vero eorum maxima pars Clericorum phantasiis debeatur, largiri tamen illud non dubitamus, a Diabolo quandoque aliquid præstari posse, quod mentes in erroribus fascinet, & simpliciores decipiat. Talia etiam in *gentilibus* inuenias. *Brenno*, gallorum duce, cum exercitu 200000 militum ad Delphos deleto, omnes sanctitatem eius loci & diuinitatem Apollinis venerabantur. Præsentiam Dei, inquit JUSTINUS L. XXIV. c. 8. & ipsi statim sensere, nam & terræ motu portio montis abrupta Gallorum strauit exercitum, & confertissimi cunei non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine & frigore saucios ex vulneribus absumsit. — *Signa* igitur, quibus miracula vera a falsis distinguuntur, probe obseruanda sunt. Omnium primo spectandus est *finis*, quem miracula intendunt, qui si Deo dignus sit, non possunt non eundem habere auctorem, e g. veritatis cuiusdam diuinae confirmatio, missionis extraordinariæ auctoramentum, stertentium hominum valida & fortis excitatio, aliique effectus, Dei virtutibus digni. Nec opus esse puto, vt quis ad hanc verorum falsorumque miracu-

raculorum diſcretionem omnes naturæ vires habeat cognitas perſpe-ctasque, vt intelligat, quid ſit ſupra illas, vel illis ſine ſpeciali Dei opera conforme. Illis enim finibus impetrandis ea quoque opera idonea ſunt, quæ oſtendunt, ſingulari quadam ratione diuinam intercedere prouidentiam, & ipſas quoque creaturas, quarum accedat miniſterium, Deo in illa cauſſa ſeruire. Porro miracula Dei, inquit HEIDEGGERUS in corp. Theol. chriſt. T. I. p. 298. ædificant, ad ſtatum realiorem, perfectiorem, ordinatiorem, amorem quippe & glorificationem ſui, & ſalutem ac benedictionem hominum tendunt; Satanæ vero mira, limitatæ per Dei voluntatem potentiæ effectus, ad extremam denique confuſionem & ἀταξίαν, qua homines corrupti & miſeri ad ſtatum corruptiorem, miſeriorem, a Deo, luce, perfectione, felicitate remotiorem deprimuntur. Vniuerſaliſſimum miracula diſcernendi ſignum non immerito habetur circumſtantiarum omnium, quæ concurrunt, amica conſpiratio; ſi manifeſtum ſit, factum eiusmodi vere contigiſſe, & vires humanas excedere; ſi cauſſa inſtrumentalis miraculi ſit iam aliunde probata, tamquam ſincera & fallaciæ expers; ſi indicia adſint, gloriam & ſanctificationem nominis diuini, opportune ac tempeſtiue, per huiusmodi factum promoueri; ſi aptum ſit & idoneum factum ad ſanctiſſimos hos fines; ſi nihil in eo his finibus contrarium appareat; ſi analogiam habeat cum miraculis indubie talibus; ſi ſapientum & exercitatorum examen non refugiat; ſi interior etiam gratia & benedictio diuina externum hoc medium comitetur; maxime vero ſi huiusmodi miraculum non tendat ad euerſionem doctrinæ ſufficientibus iam antea miraculis a Deo confirmatæ; neque ſtabiliat errores, & abuſus verbo Dei contrarios, cum Deus ſibi ipſe aduerſari nequeat.„ Signa hæc ad quæuis, & romanenſium & aliarum religionum, miracula ſi dextre adplicentur, nullum eſt dubium, quin veritas mentem piam exploratoris lucidiſſimis colluſtratura ſit radiis, vt ſobrie iudicaturus ſit, nec è poſſeſſione veritatis recte cognitæ exploratæque facile deturbetur. Certum eſt, inquit LEIBNITIUS, falſi miraculi ſignum, ſi vel naturæ vires, vel antiquius aut prius aliquod miraculum præſtando effectui ſuffeciſſent.

§. 8.

superstitiones circa hoc genus operationum diabolicarum.

Magna est *superstitionum* copia, quibus potestas Satanæ in naturam vulgo prægrandis sistitur: cum alii ipsi facultatem tribuunt, faciendi aurum, argentum, gemmas, thesauros, ad ditandos, suosque in laqueos trahendos homines: alii ipsi thesaurorum in terra absconditorum inquirendorum modum adsignant, quem magica quadam vi, & exorcismis homines ab ipso extorquere possint: ad nefanda hæc piacula multos iam coëgit auri sacra fames, sine vllo vero inde sperato fructu euentuque, immo contrario, summa paupertate, inde secuto. conf. C. M. Pfaffii diss. de inuocatione S. Christophori ad largiendos nummos 1748. Tub. Fit quidem *Mammonis*, (Matth. VI. 24.) mentio, quod nomen est Dæmonis, quo secundum syriacam linguam adpellantur diuitiæ; hoc autem non ideo est, quod Diabolus in potestatem habeat, dare vel auferre diuitias, cui velit, sed quia eis vtitur ad hominum tentationem & deceptionem. Vesana illa & impia genios tum bonos tum malos inuocandi consuetudo, vt pecuniæ copiam adferant, ex reliquiis illorum sæculorum est, quibus superstitio omnem orbem inundauit, & grauissimis pœnis, tum in ecclesia tum foro, coërcenda est. — Superstitio est, qua aqua, sal, oleum, ignis, lac, butyrum, inanimata alia exorcisantur, vt ab illis diabolus omneque maleficium diabolicum pellatur. tempestates auertantur, benedicatur certis suffumigationibus, ex certis herbis factis contra diabolum dæmonasque, medicamentis, quæ obsessis dentur. Hæc omnia pudendas olent superstitiones, thesauripetarum deliramenta, benedictiones illas magicas, incantationes, schedas superstitiosas, *Seegensprechereien*, quæ proh! dolor! tantopere & inter nos in pellendis spectris & morbis bestiarum, maleficiisque vel veris vel fictis frequentantur, vix exterminabilibus, sequente etiam subinde effectu, qui vel aliis ex caussis contingit, vel lusus Diaboli est, ad homines in superstitione retinendos. — Superstitio est, quæ tribuit Diabolo potestatem, præseruandi corpus à globorum & gladiorum impetu. Nec enim corpus humanum ita indurare posse videtur, aut ea qualitate perfundere, vt sit in se omni ictui excipiendo par, neque penetrari possit. Cum enim Deus humanum corpus ita condiderit, vt vehementi concussione lædatur, & dissolutio fiat

fiat continui, non admittendum erit, in ipsis eorum corporibus, quæ credunt obdurata ad spicula, globos, enses, esse illam duritiem, vt penetrari nequeat: grauissime peccant, qui vel vllas adhibent herbas, radices, vel verba, vel characteres, vel carmina, istiusmodi præsidium conciliatura, tum quia contra ordinem Dei esset in natura constitutum, tum quia media adhiberentur non proportionata effectui, tum quia optimum medium in Dei prouidentia plane negligeretur. — Superstitio est, qua vulgus certis hominibus potestatem tribuit, homines, pecudes, feras per certa signa verbaque ita ligandi, vt immobiles loco cuidam adsistant, nec possint vltro citroque gradum prouehere: Putidam haec omnia superstitionem produnt, cuius vestigia, recte apud imperitiores serpentia, omni, qua fieri potest, opera studioque ex ecclesia & ciuitate, animisque hominum eliminanda sunt. Sed Augiæ stabulum purget, qui ad hæc omnia eradicanda operam conferat.

SECTIO IV.

De potestate Satanae in hominem naturalem.

§. I.

Quilibet homo vel in statu naturæ viuit, vel in statu gratiæ: Vel ψυχικὸς est, vel πνευματικὸς, (1 Cor. II. 14.) vtrique huic statui tentationes suas accommodat Satanas. In statu naturæ viuunt, qui cum nondum acceperint Spiritum Dei, ex seipsis nihil habeant præter animam, rationem & vires naturales, sibi adhuc relictas, quales sunt omnes, qui per gratiam Dei eiusque Spiritum diuinitus non illuminati, nec regenerati sunt. ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες, (Jud. v. 19.) qui eam habent indolem mentemque, vt nonnisi ea

de homine naturali.

quaerant & adpetant, quae ad vitam animalem pertineant, & in iis solis felicitatem quaerant, qualia sunt voluptates, opes, honores, varius vitae splendor. Nec est huius loci, hanc vocis ψυχικῦ significationem pluribus probare, & contra ESTIUM, & S. R. D. SEMLERUM, qui ESTII interpretationem recoxit, per ψυχικὺς eos intelligentes, qui, licet iam credant in Christum, & iustificati sint, tamen, prae mentis imbecillitate, non recipiant altiora fidei mysteria, vindicare. Nexus orationis apostolicae, & praedicata ψυχικῦ, quae sunt, πνεῦμα μὴ ἔχειν, πνεῦμα τῦ κόσμυ λαβεῖν, ὐ δέχεσθαι τὰ τῦ πνεύματος τῦ Θεῦ, illa pro μωρίᾳ habere, nec ea posse cognoscere, communem huius vocis interpretationem sustinent, qua respicitur non sola affectuum & cupiditatum carnalium intemperies, sed omne id, quod in natura humana vitiosum est & corruptum, arte insuper & ingenio auctum & infucatum, hominem impediens, quo minus ea, quae Spiritus Dei sint, fide diuina & salutari recipiat. Horum vero hominum, varie constitui possunt classes, prout siue intellectum, siue voluntatem ac propensiones, siue conscientiam, siue vitam tandem atque externas actiones species. Sunt alii, qui speciem christianae pietatis externam habent, (2 Tim. III. 5.) alii externa quoque eius specie destituti sunt. Hi vel aperte improbi sunt vel honesti, & horum alii ciuilis tantum iustitiae, alii honestatis etiam naturalis, alii simul etiam pietatis naturalis studiosi. Inter aperte improbos & flagitiosos, supremum ii gradum tenent, qui verae pietatis hostes vel manifesti, vel clandestini, vel persecutores sunt, & omnium maxime obdurati: aut, quae THOMASII distinctio est, flagitiosi alii sunt in statu humano, alii bestiali, alii diabolico: Qui praeter honestatem naturalem, pietatis etiam christianae speciem habent, idque vario gradu, vel bona fide, tales sunt, vim atque indolem veri christianismi ignorantes, vel malitiosi hypocritae. Summus in illo genere gradus est pharisaismus. Hi omnes, quoad conscientiam sunt vel in statu securitatis, vel in statu seruitutis, strictius dictae. In his peccatum dominatur; omnes peccato seruiunt, vitae spiritualis expertes; mundum amant; in aliis auaritia, in aliis ambitio, in aliis voluptas dominatur; in aliis omnia illa simul ita temperata sunt, vt species quaedam virtutis & honestatis in illis adpareat plane singularis.

§. 2.

§. 2.

Hos omnes non peccati tantum dominio, sed quodammodo Satanæ quoque, diuersis gradibus, subesse, plura scripturæ loca innuunt. — (Eph. II. 1 - 3.) Magnitudinem beneficii in euangelio, ipsis, *gentilibus*, oblati in memoriam reuocat Paullus; id vt pluris æstiment, tristem eorum statum priorem describit, miserrimum, & prorsus lamentabilem: mortuos fuisse delictis & peccatis, omnis vitæ spiritualis, fidei, amoris, spei expertes, atque in illis versatos esse, pro ea, quæ sit huius mundi vita, consuetudo & genius, ad nutum arbitriumque illius principis, cuius omnis potestas in tenebris, Dei rerumque diuinarum ignoratione, & vitiis sita sit, (nam sic ἐξουσίαν ἀέρος intelligi, ad mentem S. V. D. ERNESTI, gratus amplector, Col. I. 13.) illius Spiritus, cuius efficacitas & operandi facultas in ipsis illis hominibus, euangelium oblatum repudiantibus, luculentissime pateat: nec meliorem fuisse suam aliorumque *iudaeorum* conditionem, ℣. 3. etiam ipsos versatos esse aliquando, carnis, spiritus Dei expertis, cupiditates perficientes, tam crassioribus, quam subtilioribus vitiis indulgentes, & in illo statu, extra gratiam Dei in Christo, iræ diuinæ iustissime obnoxios, dignos supplicio. — Hæc ipsa cooperatio Satanæ clarius intelligitur ex comparatione status naturæ & gratiæ. — Deus amat ordinem, decus, mensuram; Satanas confusionem: Deus est Deus amoris, (1 Joh. IV. 16.) & Satanas ἀνθρωποκτόνος: (Joh. VIII. 44.) vel pessimis hominum arridet probitas, vitæque integritas in aliis, soli daemones omnibus virtutibus inimici sunt. Statum naturalem Deus paucitatis, simplicitatis, sinceritatis, veritatis, soliditatis, honestatis, necessitatis amantissimus, sine auxiliis gratiæ, vel generalis vel specialis, sibi soli numquam reliquit; manus contra obstetricantes vbiuis admouit Diabolus, vt illius status sufficientiam, ad bene beateque viuendum, αὐθάδειαν persuaderet, res multas arte compositas, multum speciei & fuci realis verbalisque præ se ferentes, ipsa vero ne parum habentes, falsas, vanas verborum, gestuum, & actionum, honestati sæpe contrarias, otiosas, noxias, excoleret & propagaret, sibique propter hæc homines, quasi re bene gesta, cultorum politiorumque nomen sumerent. Nec facile earum artium, quibus vim

num diaboli potestati subsit?

suam

ſuam in hominibus naturalibus munire allaborat, iniri poteſt numerus. Nulla vero re magis conſpicuæ redduntur, quam inſuperabili illa in multis contumacia, & incredibili obſtinatione animi, qua Euangelium Jeſu Chriſti vulgo repudiatur. Id quod in homine tot næuis, tot defectibus, tot peccatis ex proprio ſenſu laboranti vix concipi poſſet, (2 Cor. IV. 4. Luc. VIII. 12.) niſi mentes infidelium & oculos occæcauiſſet Satanas, quo minus clariſſimis euangelii radiis perſtringerentur. Subeſſe homini naturali eiusmodi vim noxiam, quæ miſeriam, ſtatumque damnabilem, ſincere & ſerio agnoſcere non ſinat, peccata, cordique prauitatem extenuet, fidem in J. C. remoretur, communionem Dei Chriſtique, omnis gratiæ, ſalutis & gloriæ fontem limpidiſſimum, inſipidam reddat, mutationem ſalutarem animi, quam doctrina euangelii requirit operaturque, vel vt difficillimam, vel plane impoſſibilem obiiciat; obſtacula augeat, conſilia optima interuertat, differatque; ſuperba ſcientiæ opinione inflet; præiudiciis atque erroribus, animum obfirmet faſcinetque; vitiis indulgere faciat; veritatis ſalutaris, ſæpius repetendæ inculcandæque, faſtidium creet; ſecuritatem carnalem promoueat; bonos & ſpirituales motus debito fructu deſtituat, ſcrutinium ſui penitius impediat; leuitatem animi atque ſocordiam alat; negotiis huius vitæ immergat, vt frigus in exercitiis pietatis, torpor precum obrepat, ſtudium æternitatis langueat, rerum diuinarum & ſpiritualium ſenſus exſpiret; falſa & peruerſa opinione, & fiducia gratiæ impleat; & quid multa? ἀπιστίαν, vnum omnium peccatorum fontem alat, firmet, ſtabiliat; his omnibus, inquam, ſalutis veræ impedimentis, ad voluntatem hominis, cui ſemper potiores partes debentur, vel magis vel minus cooperari diabolum, & natura rei & loca ſcripturæ euidentiſſime declarant. Quicunque igitur euangelium ſpernunt, manent mancipia illius ſpiritus, & amplius capiuntur; & ſicut expreſſa Satanæ mentio fit in deſcribendo ſtatu gentium, (Act. XXVI. 18.) ita chriſtianorum, fœderi quidem gratiæ inſitorum, illud vero infidelitate vitiisque abrogantium, par eademque eſt conditio, immo certa ratione deterior culpabiliorque. Quis in peruerſa irregenitorum mente & enormibus flagitiis concurſum malarum mentium non opinetur? Quis in eo non videat Diaboli poteſtatem, quod in ſuis negligi faciat, vel ipſa naturalis probitatis, decori, pudoris, æquitatis virtutisque præcepta?

vt ideæ de honesto & turpi in homine, moribus deprauato, plane exstinctæ videantur Sic dæmones secundum *Justinum M.* σύμμαχον λαβόντες ἐν ἑκάστῳ κακὴν ἐπιθυμίαν, homines laqueis suis detinent, in statum animæ ψυχικόν ingressi.

§. 3.

Callidissimus hic spiritus singulis irregenitorum classibus, statui, & quomodo? vitæ generi, corporis κράσει, animi indoli, peculiaria attemperat retia. Omnium vero familiarissimum illud est, vt falsum *lumen* obtendat, quo minus verum videatur. *Ratio*, inæstimabile illud beneficium diuinum, quod vero ex peccato, vti omnes animi corporisque vires, insignem labem contraxit, plerumque illud est idolum, quo suis in detrimentum veritatis reuelatæ, in maioris luminis abnegationem, in noxiam quandam αὐθάδειαν imponit. Omni hinc aeuo tentatori familiare fuit, lumen, opera, artes naturales mirum in modum extollere, vt eo minus lumen diuinum admittatur. Lumen illud naturale si cum lumine Spir. S. concilietur, philosophum christianum format. At si inter se disjungantur, ad deuia flectit. Tetigimus quædam supra C. IV. §. 6. Caussa igitur Dei, insidiæ Satanæ, & lusus ingenii humani versantur in quæstione vexatissima de vsu & abusu rationis in theologia, conf. diss. b. Weismanni. Theoria huius controversiæ facile posset decidi, sed adplicatio illius, sine controuersia, multa continet iniquitatis mysteria, quæ altioris sunt indaginis, quæque tentator lubens miscet, vt possit in turbido piscari. Quid igitur per inualescentem hodie cum impetu & prædominio pseudo-rationalismum; per vniuersalismum gratiæ pelagianum magis, quam orthodoxum, per virium naturæ exaltationem nimiam, per indiscretum fanaticismi metum, terrori panico non raro similem, velit hostis, quid intendat, diuinare non est difficile. Sic tentator subornat rationem, vero lumine destitutam, & turgescentem. Agnoscit enim, se humili simplicitati trepidantium ad verbum Dei, (Es. LXVI. 2. 5.) venenum suum posse difficilius miscere, quam rationi, sibi sapienti. Nec quicquam œconomiæ gratiæ, quæ omnis eo comparata est, vt laus & gloria sit Deo & Saluatori optimo, (1 Cor. I. 29) magis repugnat, quam eiusmodi fiducia in naturæ viribus, operibus-

 que,

que, singulis, vel sanctis quoque pertimescenda. Hinc illam quocunque modo insinuat hostis, vt ad regnum Dei reddat inhabiles. Est aliquid, τοῖς ἰδίοις, iisdemque omnibus, renunciare, solique gratiae, per fidem precesque plenius subinde in se deriuandae, viuere & immori, id quod sine plena & perfecta propriae sapientiae, operum, viriumque abnegatione fieri nequit.

§. 4.

cur *princeps mundi* dicatur Satanas?

Hominum naturalium, omnium ordinum & classium, summa constituit notionem *mundi*, scripturarie sumti, & quid in hoc possit, quid agat, quid moliatur, ex nominibus operibusque innotescit. Dicitur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, (Joh. XII. 31. XVI. 11.) ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, (2 Cor. IV. 4.) κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, (Eph. VI. 12.) quin Johannes testatur, (1 Joh. V. 19.) ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. Haec omnia mundum, forma haud admodum grata & acceptabili in oculis Dei sistunt. Seculum, Dei amorisque expers, illius vicissitudines & inconstantiam sentiunt experiunturque omnes, hunc vero principem subesse, pauci intelligunt. Insignem, late diffusam, & penetrantem potestatem Satanae haec omnia indigitant, infra tamen orbem fidelium sitam. Nam ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτὸν, καὶ ὁ πονηρὸς οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ. (1 Joh. V. 18.) Nec mirari debemus, tam male audire mundum in verbo Dei; agitur enim, impellitur, fouetur tam funesto duce & principe, ad cuius nutum voluntatemque conformatur. Hinc fidelibus amore mundi rerumque mundanarum grauissime interdicitur, (1 Joh. II. 15.) cum amore patris rerumque inuisibilium & sempiternarum irreconciliabili. Hinc mundi amicitia inimicitia Dei est, (Jac. IV. 4.) & monendi sunt, qui mundo valedixerunt, ne similes huic saeculo se amplius praestent, (Rom. XII. 2.) cum in omnibus rebus, desideriis, cupiditatibus, vanitatibus, pompa, vitae splendore, diuitiarum, voluptatis, honorumque amore, Deo, Saluatori optimo, S. Spiritui, repugnet, coelestium, diuinarum, spiritualium rerum gustum adpetitumque interuertat & exstinguat, & Spiritui filiorum Dei directe oppositus sit. Peruersitatem mundi penitius intellectam summopere perhorrescemus, vera rerum diuinarum indole

dole imbuti. Hæc machina Diaboli non nisi eos effectus protrudit, qui a mente Dei & Christi plane abhorrent, & tam in vitiis, quam in adiaphoris, sic dictis, cognoscendam se praebet. In hac exercet suas methodos, in hac consilia perficit, per omnes illos actus, quos C. IV. vidimus. Nulla vero re sensum suum & διάνοιαν, & quonam interno principio animetur, apertius declarat, quam implacabili illo odio, quo in Christum, illiusque veritatem, eosque omnes, qui illam sincere & serio sectantur, fertur, (Joh. XV. 18-20. Joh. III. 12. 13.) ἄλογον enim est, insectari illos, qui columen mundi sunt & firmamentum, & sal, quo minus putrescat. Conf. b. CRUSII progr. *de Christianis sale terrae ad Matth. V. 13.* 1751. Vniformitatem quandam & harmoniam mundi in sua erga Deum eiusque ciuitatem mente, in suis institutis, placitis, praeceptis, consuetudinibus, in sententiis de fidelibus, & inueterata erga illos inimicitia facile quis animaduertat, in omnibus saeculis sibi quoad rem ipsam similem, quoad accidentia quaedam & formas in nonnullis disparem, vt recte hinc ad vnum eundemque mundi motorem, rectorem & principem concludas. Vel optima instituta, praecepta, artes & scientias veneno quodam tingere nouit Satanas, vt mundo magis seruiant, quam regno Saluatoris optimi. Philosophia sana & intra fines legitimos se continente nil vtilius, praestantius, nobiliusque excogitari potest. Quot vero omni aeuo exstitere, qui ad hunc scopulum allidérent, fideique naufragium paterentur? vt BACONIS effato nil verius sit solidiusque, leues gustus in Philosophia fortasse mouere ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere. Totus igitur mundus, cum omnibus suis schematismis, Dei communioni & ductibus se subtrahens, Diaboli seducentis directioni subiectus est & manet; nec enim eluctari in pristinam libertatem solus potest. Hinc in Diaboli potestate totus iacet mundus, donec victor Diaboli captiuos liberet. Cum vero etiam, post hanc liberationem praestitam, homines Diabolo adhaereant, hinc eius partibus adscribuntur. Haec tota prauorum societas ex proprio suo arbitrio certum sibi viuendi genus excogitauit, scopo suo conueniens, cui omnes in vniuersum assimilari oportet. Hinc mundus sectatoribus Dei est aliquid heterogenei, & continuis suis vicissitudinibus, immutationibus, desideriis numquam plene exsatiatis testatur, ab omni pacis, tranquillitatis serenae & quietis firmae

fructu & possessione esse alienissimum. cf. b. BENGELIIS in vers. N. T. germ. p. 882. Gratia hinc & pax a Deo patre, & Domino nostro J. C. qui se ipsum pro nostris peccatis dedidit, vt nos eriperet ex instante saeculo malo, de voluntate Dei patrisque nostri, cui gloria in omnem perennitatem Amen! (Gal. I. 3. 4.)

SECTIO V.

De potestate Diaboli in hominem spiritualem.

§. 1.

quid sit homo spiritualis? Homo spiritualis est qui is, per veram animi mutationem, & fidem in J. C. remissionis peccatorum, donorum Spir. S. particeps factus, gratiam tum regenerantem, tum illuminantem, tum renouantem experitur, idque agit, vt in Christo maneat, vere Deo & Saluatori viuat, & in eo, atque ex eo continuo maiora verae cognitionis, ac sapientiae, & sanctimoniae, virium spiritualium, incrementa capiat, fructus bonorum operum ferat, & bonis, quae in C. J. sunt, indies perfruatur plenius. Ex hac ipsa vero hominis spiritualis, in statu gratiae constituti, descriptione, magna oritur diuersitas regenitorum, quae solicite adtendenda est. Alii infirmi adhuc sunt & debiles, alii validi & fortes, tum quoad notitiam, fidem, habitum conscientiae, tum quoad sanctimoniae studium & propositum voluntatis: alii stabiles & firmi, alii instabiles, dubii, fluctuantes; alii ardent spiritu, diligentes, alacres, seduli, intenso studio debitaque cum adplicatione virium, officio suo in omni genere defungentes, alii segnes sunt, inertes, languentes, tepidi; alii pura rerum & credendarum & agendarum notitia praediti sunt, alii in variis versan-

versantur erroribus tum theoreticis, tum practicis. Alii pace fruuntur laeti, hilares, alii in statu adflictionum sunt & tentationum spiritualium. His omnibus insidiatur, in hos omnes pro vario animi habitu sua tela, technas, μεθοδείας, stratagemata vibrat hostis, vt a Christo auellantur, idque variis rebus perficere allaborat. Atque hoc pestilentissimo consilio vt potiatur, omnes virium, ingenii, versutiae neruos intendit. Gentiles, inquit AUGUSTINUS L. quaestionum V. & N. T. quaest. II. non quaerit Diabolus, Judaeos non quaerit, malae vitae & conuersationis homines non quaerit, sed quaerit Dei seruos & Christi, quos sibi scit inimicos, quia factum eius & praesumtionem condemnant. Aut, quod LEONIS M. effatum est, daemon tentare negligit, quos iure perpetuo se possidere sentit.

§. 2.

Jam tale Diabolo commercium, quale ipsi cum homine naturali, extra statum gratiae constituto, esse vidimus, non intercedere cum homine spirituali, facile vident omnes. Hic enim e potestate tenebrarum liberatus regno Christi assertus est, (Col. I. 13.) & quatenus vitam spiritualem & generationem ex Deo tuetur, ὁ πονηρὸς οὐχ ἅπτεται αὐτοῦ. (1 Joh. V. 18.) Regenitus enim non pessundatur extrinsecus, malignus adpropinquat, vt musca ad lychnum, sed non nocet, ne tangit quidem. In hoc igitur potestas Diaboli admodum fracta est, & quicquid in illo molitur, & in eo a Christo auertendo agit, per *tentationes* perficere tentat. Id *exempla* probant & grauissimae adınonitiones, quibus ab hostis huius insidiis praecaueamur. Instar omnium, quid in fidelibus tentet, exemplum Petri declarat, quem ipse Christus grauissima illa epizeuxi interpellat; (Luc. XXII. 31. f.) Quod in illa contentione, inter apostolos orta, (℣. 24.) & quae fidei tam inimica esset, (Joh. V. 44.) tam pestifera vis subesset, non putauisset Petrus. Senserat hostis magnam in Petro fidem, & magnam quoque labilitatem, postulauit igitur, dedi sibi Petrum, vti quondam Jobus, ex praesidio, quo ipsi adhuc frui licuisset, vt mensuram fidei, virium spiritualium experiretur, atque omnibus innotesceret, quo iure primatum inter apostolos gereret. Eo enim victo, putabat, omnes, non tantum Iudam Iscariotem, quo solo non contentus erat, vi-

quid in ipso tentet Diabolus?

victos fore. At Saluator optimus, precibus, fido & misericorde illo sacerdote dignis, seruato Petro, cuius ruina ceteros traxisset, omnes seruauit. Totus sane, inquit b. Bengelius in Gnom. ad h. l. hic sermo Domini praesupponit, Petrum esse primum apostolorum, quo stante aut cadente ceteri aut minus aut magis periclitarentur. Erat autem primus fide, non imperio. Petri vero successor praetensus, posteaquam a fidei sinceritate desciuit, fideique tamen & imperii primatum sibi vni vindicauit, totus misere in cribrum incidit. Primos fere sequuntur ceteri commilitiones; primi prae ceteris periclitantur; primi inprimis sua vigiliumque cura & precibus muniendi sunt. „ Expetiuit Petrum, vt cribraret, σινιάσαι. Cribro agitatur & circumagitur frumentum, idque faciunt homines, purgandi eius, Satanas vero perimendae fidei caussa, cum apostolos è statu gratiae pacisque deiecisset, in confusionem mentis egisset, lucidum animi statum tenebris offudisset, apostolos inter se collidisset, in turbulento eiusmodi animorum statu piscatus, extima & intima, summa & ima conturbasset. Mira erat naturae & gratiae mixtura in Petro, sine dubio iusto ampliorem virium mensuram sibi arrogante, hinc, ni precibus Domini adiutus fuisset, insidiis Satanae succubuisset. His vero pro ipso fusis, fidei lux, eclipsin quandam passa, statim iterum post contentionem, & post abnegationem effulsit. Petrus, inquit b. Bengelius, illa instabilitate, in occulto tamen erat vere Petrus, quemadmodum Iacobus & Iohannes, etsi sermonem exterius subtilem habebant, tamen vere erant filii tonitrui. „ Summa erat tum tenebrarum vis, Dominum ipsum & discipulos adorta, in plenam vero victoriam, & hostis contumeliam mox terminata. Hinc στήριξον ἀδελφούς σου: quaeuis enim tentatio, feliciter superata, nouas addit vires, nouum robur vitae spirituali, vt aliis quoque prodesse & in fidei curriculo recte decurrendo vtiles esse possimus. Confortatus a me, quo minus succumberes, idem fac aliis, qui similibus, eosque, quos lapsu tuo labefecisses, adiuua, sustenta, erige; idquod Petrum summa fidelitate exsecutum esse, Acta & vtraque epistola abunde testantur De tota hac caussa cf. C. M. Pfaffii diss. de precibus Christi pro fide Petri, ne deficeret, fusa. Tub. 1746. — De *Iuda Iscariote* supra vidimus Sect. I. §. 1. p. 208. Tentationes easdem experti sunt singuli (Matth. XXVI. 41.) venenata apud ipsos erat infirmitatis carnis, & tentationis Diabolicae mixtura,

tura, tenebræ discipulis cum offusæ erant tantæ, vt ne se ipsos amplius viderent ac cognoscerent, quod in tentatis sæpissime vsu venit: Hic labor, hoc opus erat Christi, ex iis, qui curæ eius & fidei concrediti erant, perdere neminem, nisi se ipsum perdentem, filium perditionis. (Joh. XVII. 12.) *Dauides* tentationi succubuit, (1 Paral. XXII. 1.) *Hiobus* intrepida fide, & heroica patientia vicit. (C. I. II. - XLI.) Quot impedimenta, quot malorum ministeria obiecit apostolis, in prædicatione euangelii versantibus? (1 Thess. II. 18.) quis (Act. XVII. 13. s.) caussam hanc subfuisse, suspicatus esset? immo obseruari apostolos ab angelis testatur Paulus, (1 Cor. IV. 9.) Quam acer porro, & in quasuis occasiones intentus, sit speculator piorum, necesse est, cum κατήγωρ τῶν ἀδελφῶν audiat, (Apoc. XII. 10.) De iunioribus viduabus dicitur, à Christo ad Satanam quasdam desciuisse. (1 Tim. V. 15.) Nec exempla tantum continuas Diaboli insidias, fidelibus structas, docent, sed maxime etiam monita. Memorantur (Eph. VI. 10-17.) μεθοδείας τῦ διαβόλυ, insidiæ, machinationes, strategemata diabolica, quibus ciuitatem Dei inter homines quouis modo euertere, regnum suum firmare, fideles a Christo auertere annititur, quibus ministerio tum gentilium tum iudæorum vsus, oppugnare ecclesiam solet. Memorantur ἀρχαὶ, ἐξυσίαι, κοσμοκράτορες τῦ σκότυς τῦ αἰῶνος τύτυ, (coll. Col. I. 16. Rom. VIII. 38.) formidabili adparatu hi hostes contra fideles incedunt, omnis cæcitatis, odii, miseriæ, auctores, tenebrarum patroni, mundi, eiusque insultuum contra ciuitatem Dei motores, rectoresque; exercitus, quibuscunque nociuis rebus, viribus, copiis, animo & voluntate instructus. Memorantur, πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπυρανίοις. In abstracto sic dicuntur, vt indigitetur modus agendi, incautis periculosissimus. Affectant enim spiritualia gratiæ, (1 Cor. XII. 1.) & quo magis homini spirituali fauere videri volunt, eo magis aduersantur fidei, spei, amori donisque Spiritus Sancti, vel per vim contrarium, vel per falsam imitationem, quæ, dici non potest, quanta rerum confusio in ecclesia omni æuo orta sit, tanta subtilitate & pernicitate incurrunt, vt anima fere non putet, illas substantias subesse alienas, sed ex se ipsa intus exstitisse quidpiam, quod spiritualiter eam tentet. Ἐν τοῖς ἐπυρανίοις, in iis maxime

re-

rebus, quae de caelo sunt, idemque spectant, malitiae vires exercentur. Memorantur τὰ βέλη τȣ̃ πονηρȣ̃ τὰ πεπυρωμένα v. 16. quibus cum generatim tentationes Satanae spirituales, tum speciatim aculeata dubia contra veritatem euangelii, aut cogitationes blasphemae, aut status adflictionis, in quo de gratia Dei, de beneuola eius erga nos voluntate dubitatur, aut ex alio latere nostrae vitae spirituali lethale vulnus praeparatur. Eiusmodi tela ipsi in promtu sunt & multa & pestifera, & vix vllus sanctorum exstitit, contra quem non vibrarentur. Formidabilis porro descriptio Satanae occurrit, (1 Petr V. 8) ἀντίδικος dicitur, pios & per vim & per speciem iuris petens, (Apoc. XII. 10.) & sibi vt dentur, fidei, integritatis, sanctimoniae periclitandae caussa, postulans, sanctorum praesidia & castra continuo oppugnans: insignis furor & in omnes piorum deuorandorum, perdendorumque occasiones intentus animus leonis rugientis symbolo repraesentatur, qui indefessa opera & improbo labore obambulet & quaerat, cuius sibi forte fiat quoad animam & corpus perdendi copia. Nec semel victus ita delassatur, vt non ex alio latere instet, & dum regenitus aliquas eius tentationes vicit, fortiori impetu in illum incurrat; (Matth. XII. 43 - 45.) ne munda quidem metuit Satanas, sed ea quam maxime adpetit, vt ibi requiescat, nec vno alteroue conatu, hominem inuadendi irrito facto de ipsius possessione desperat, sed acrius instat, recollectis viribus pugnat, & vt infausto fine potiatur, nil facit reliqui. Conf. C. II. §. 2. n. * p. 4. 5. ss. Et ni continuo conta has infernales copias fidelibus quam maxime decertandum esset, quam vanus & ἀπροσδιόνυσος esset metus Apostoli, (2 Cor. XI. 3.) Omnium praestantissimus animi habitus est ἁπλότης εἰς τὸν χριστὸν, qua sincera & pura fide, simplicitate & rectitudine cordis tenerrimâ, omnia ad Christum referuntur, ex eodem deducta ad eundem deriuantur, & ne minimum quidem cum peccato eiusque vlla specie, hostibusque spiritualibus commercium fouetur, vbi ex oculo simplici totum corpus fit lucidum, (Matth. VI. 22.) haec ἁπλότης Domini quaerit gloriam, & animi accurationem solicitudinemque filialem, animum, vitam, actionesque omnes ad praecepta Domini eiusque voluntatem conformandi, complectitur, cum obedientia, fide, amore, spe intime coniunctam. ἁπλότης εἰς χριστὸν, mali ignara, restituen-

dae

dæ subinde imaginis diuinæ documentum illustre est & excellentissimum. Sed vt serpens incredibili sua calliditate & veteratoriis artibus Euam ab hac simplicitate deturbauit, & ipsius mentem corrupit, vt aliena adpeteret, præcepti diuini oblita, in vetitum niteretur, ita verendum est, ne hæc ipsa ἁπλότης peruertatur, mentes ab vno illo, eodemque summe necessario auertantur, multiplicentur quasi, εἰλικρίνεια corrumpatur, & virginalis puritas amittatur ℣. 2. & ex saturitate nascatur auiditas, in christianismum si quis esset, magis nouum lautumque, & carnali menti magis adpositum, intenta. ℣. 3. 4. Idque vt fiat, Satanas indefessam nauat operam & ministerio pseud-apostolorum vtitur, euangelium Domini nostri J. C. peruertentium, carnique adcommodantium. ℣. 13-15. Ex his & exemplis & monitis, intelligitur, Satanam numquam feriari, nulla dari belli cum fidelibus interstitia, nullum esse tempus, locum, occupationem, occasionem, vbi venenum suum non ingerere, tentationemque vibrare studeat, vel in sanctis contemplationibus non abesse, inter ipsa etiam exercitia virtutis sublimioris; (1 Cor. VII. 5.) angue peius fugiendam esse omnem securitatem, & ab omni, vel grauiori lapsu, immunitatis opinionem; standum esse, fortiter pugnandum, strenue decertandum, nec vna alteraue victoria acquiescendum.

§. 3.

Jam infiniti sunt modi, quibus hominem spiritualem labefactare, & ex præsidio deturbare solet Satanas. Extraordinarii quid & insoliti habere videtur illa permissio diuina, qua non solum animam fidelium tentandi, sed etiam *corpus* adfligendi facultas data est hosti. In *Hiobo* id factum esse, omnes norunt, qui proprietatem verborum C. I. & II. tuentur, quod cur in narratione historica rei certo gestæ, & post poëtice descriptæ non recte faciant, immo facere debeant, non video. Lepram, eiusdemque speciem omnium nocentissimam & periculosissimam, corpori Hiobi intulit Satanas. conf. Jll. MICHAELIS *Uebers. des A. T. T. I. p. 4. ss. Anm.* Et tale quid in *Paullo* exstitisse, ipse innuit (2 Cor. XII. 7) ne reuelationum præstantia efferretur. Diximus quædam de hac re C. III. & quomodo?

§. 17. p. 152. Mala corporis ita tropice depingere Paullum, vt vocabulis vtatur, ab angelis sumtis, ad exprimendam quandam adflictionem a Deo inmissam, vsu apud Judaeos comprobatis, vt paene propria existimari queant, vix persuaderi mihi patiar à Ven. LÜDEKIO in diss. de discernenda propria & tropica diction p. 32. nec. WHITBYI, DODDRIDGIIQUE sententiae annuerim, ab auctore Misc. Sacr. prolixe defensae, per σκόλοπα & ἄγγελον σατᾶν laesionem quandam neruorum intelligentium, per splendorem caelestis lucis, Paullum in conuersione, (Act. IX.) irradiantem, contractam, ex qua linguae quaedam titubatio & volubilitas secuta sit, aliisque motus & conuulsiones in corpore plane singulares. b. BRUCKER in bibl. angl. ἐποχὴν in difficili & spinoso hoc loco tenet, aliisque suadet, doctam ignorantiam cum aliis interpretibus fassus. Satanas videtur Paullum, vti quondam Hiobum, sensatione quadam acerba, & cum acutissimis doloribus coniuncta affecisse s. καρδιωγμός, s. cephalalgia vehementiori, certe singulari quadam infirmitate, v. 9. qui, vti ex alto reuelationem, ita ex profundo castigationem haberet. HEUMANNUS & STOSCHIUS explicant de falso quodam doctore, Paullum calumniis, persecutionibus & quibuscunque vexationibus infestante. Huius vero generis aduersa non deprecabatur Paullus, sed heic praecipuum quiddam indigitat, quod infirmitatibus eum macerabat, & dolore ignominiaque occurrebat elationi. *Visus & auditus* Paulli ad lautissima admissus erat, *tactus* durissime maceratus. — Singularis etiam illa est regiminis diuini ratio, qua pios per malos, impios per bonos angelos affligi videmus. Sic *Hiob* & *Paullus* a Satana, *Herodes* (Act. XII.) a bono angelo percussus est. Hinc BENG. *Reden, p. 856. Man hat vor Alters diese wichtige Anmerkung gemacht, wann Gott seine Heiligen durch Gedult bewahren wolle, so geschehe es vermittelst des Satans und seiner Engel, hingegen wann die Rache an den Gottlosen auszuüben ist, da thun die H. Engel ihre Dienste, plura ib.* Et ni Satanae talis potestas, diuinitus concessa, in corpus humanum competeret, qui potuisset homo ille incestuosus, (1 Cor. V.) Hymenaeus & Alexander (1 Tim. I. 20.) in virtute Domini nostri Jesu Christi Satanae tradi, id que eo consilio, vt corpus perderetur, Spiritus in die Domini saluaretur.

varetur. Inprimis vero vim potestatemque apud fideles demonstrat Satanas per *tentationes*, quarum fere nulla sine ipso praesumenda est. Quaeuis sollicitatio ad peccandum, ad adpetendum faciendumue aliquid, quod voluntati diuinae aduersum sit, sub specie boni rectique, tentatio audit; quicquid vitae spirituali in diuersis periodis insidiatur, gratiam excutit, fidem deprimit, vim amoris & spei infringit, hac voce comprehenditur. Et id agere, id moliri hostem. nomen hinc contractum *tentatoris*, (Matth. IV. 2. 1 Thess. III. 5.) & specimina, (Gen. III. 1-6. Matth. IV. 1-11. 1 Cor. VII. 5. 2 Cor. II. 10. f.) satis euidenter probant. Miro consensu & incredibili harmonia cum peccato, quod natura insitum est, cum carnis cupiditatibus, cum mundi illecebris ad perniciem piorum concurrit Satanas, vt singulorum partes distincte explicari non possint. Nec quicquam facile cogitari potest, quod ipsi non inseruiat ad incitamentum, quo voluntas hominis ad praue agendum flectatur, & sanctimoniae studium impediatur, Nil ita bonum, innocens, salutare est, cuius ministerio non aculeata sua vibret tela, (Gen. III. Matth. IV.) occasionem ipsi subministrant tentandi non mala tantum in se & noxia, sed quaeuis aliae res, bona vel vera, vel opinata, naturae & gratiae, terrestria & spiritualia, animi, corporis, aut status externi, caelibatus, coniugium, oeconomia, diuitiae, paupertas, haec omnia fieri possunt παγὶς τοῦ διαβόλου. In his omnibus tempus captat; tentationes ad genium, cupiditates, studia, adfectus attemperat; leuioribus incaute admissis, ad grauiores, cum maiori periculo coniunctas pergit; indoli hominum vel subtiliori, vel crassiori accommodat; homines ad ea vitia, quae vigilantiae, sobrietati, precum studio contraria sunt, prouocat, iisdemque aditum ad ipsorum animos parat. — Insidiatur omnibus, cuiuscunque ordinis, status, vitae, conditionis sint, maxime vero illis, quorum seductio & praua exempla cum maiori scandalo & noxa sunt coniuncta, quorum culpa ceteris latius patet, & ad plures redundat, regibus, principibus, magistratibus, ministris euangelii, vt sec. HIERONYMUM in C. 30. Prou. minus difficile sit, aquilae viam in caelo, & colubri super petram vestigia inuenire, quam subtilitatem hostis, qua circa caelestium virorum corda, & quos in petra fidei fundatos esse conspicit, deprehendere. Hinc b. BENGELIUS (ad 1. Tim. III. 8.) Diabolus potest antistiti, malis testimoniis laboranti,

 ti,

ti, plurimum excitare molestiae, per se & per homines calumniatores. Conf. Weismanni diss. I. inaug. p. 17. n. ** Infinitae vero sunt tentationes, contra quas vigilandum est. Per omnia sollicitat hominem spiritualem, interne & externe, per iucunda & aduersa. Cum omnis vita spiritualis radicetur *fide*, hanc potissimum adgreditur, huius limpidi fontes per validos quandoque paroxysmos, & ignita tela turbantur, per adflictiones spirituales, per dubia de gratiae diuinae fructu, de fidelitate, bonitate, amore, iustitia Dei & Seruatoris J. C., per internos angores & cruciatus conscientiae; per absentiam sensus viuacioris gratiae, pacis & gaudii, fideique; per viuidiorem agnitionem residui adhuc & inhabitantis peccati; per calamitates, vel corpus, vel vitam, vel honorem, vel bona adficientes; per temeritatem, & nimiam de se suisque viribus opinionem; per securitatem; per falsam πληροφορίαν & saturitatem; per experientiam, verbo Dei non innixam, quae pestis est omnis veritatis & consolationis; per socordiam, incuriam, teporem, neglectum vigilantiae, mediorum gratiae & adminiculorum contemtum; per complacentiam in se ipso; per praefidentiam; per contemtum peccatorum infirmitatis, inde exstantiorum minorem auersationem & fugam segniorem; per διψυχίαν; precum vel intermissarum vel tepide peractarum, scrutinii sui adcuratioris, ipsiusque etiam verbi Dei vel fugam, vel languida exercitia; per varias artes, peccata tegendi, excusandi, extenuandi; per abusum euangelii & gratiae ad licentiam carnis; per amorem mundi, his vel illis speciosis praetextibus se insinuantis; per illecebras carnis, in communione mortis Christi non plene subactae; per fiduciam in operibus; per externas occupationes, perturbationes; per reuiuiscentiam peccatorum remissorum; aliaque innumera vitae spiritualis experimenta, quae omnino recenseri nequeunt. Nec enim continuae vitae animalis vicissitudines, fata prospera & aduersa, mutationes, accidentia adaequant illa, quae vitae spirituali contingunt, symptomata, numero, pondere, vi & efficacia in veram, & numquam intermorituram animae felicitatem. De his practici docent & ascetae, praeter salutares Dei probationes tela quoque Satanae & nequitiarum spiritualium detegentes, ab iisque animas fidelium praeseruantes. Nec fidem tantum, sed *amorem* & *spem*, *patientiamque* sollicitat hostis, omnes rimas percunctans, quibus regenitum adoriendi.

di, fiat poteſtas. Certior de his omnibus fiet, qui tum in ſe ipſo talia animaduerterit, tum vitas ſanctorum, quales multi dedere, e. g. REIZIUS *in der Hiſtorie der Wiedergebornen*, ILL. MOSERUS *in Samlungen zum Bau des Reiches Gottes*, b. FRESENIUS in *paſtoral-Samlungen*, attente perluſtrauerit. Inprimis cogitare iuuabit, illa ſymptomata, quae circa vltimas regenitorum vitae horas ſaepius iam contigere, & quae ſine admiratione legi non poſſunt, & documento ſunt, tam bonos, quam malos angelos in iisdem eſſe occupatiſſimos. Ceterum ſi quis locum de tentationibus expendere aueat, adeat Ill. Canc. D. REUSSII Elementa theologiae moralis C. IX. §. XXIII-XXIX. p. 507-522.

§. 4.

Diaboli fraudes in *ſingulis* quoque fidelium *coetibus* conſpiciuntur. Nec quicquam ipſi amabilius videtur & antiquius, quam excitare *ſcandala*, quibus multi ſimul peſſundentur. Haec igitur omni cura & ſollicitudine vitentur, dant enim τόπον τῷ διαβόλῳ, & venenatos habent effectus. In Geneſi occurrunt ſtupenda quaedam ſpecimina conatuum regni tenebrarum, in corrumpendis familiis piorum; quibus ſapientiſſime occurrit eccleſiae, è paruis initiis ſuccreſcentis, Dominus, eamque prophetiis admirabilibus adiuuit, quibus in immenſum eam auctum iri praedicebatur. Iuuat & expedit, talia veſtigia triumphantis veritatis diuinae, poſt validam reluctationem regni tenebrarum, noſſe, iisque ad corroborandam ſpem de futuris, fidemque vti. Sic ne vlla quidem eccleſiola exſtitit, vel exſiſtet in hac rerum imperfectione, & diuinarum diabolicarumque virium palaeſtra, cui non veneni quid admiſcuiſſet hoſtis. Eorum vero, qui τὰ νοήματα Satanae intelligunt, partium eſt, prouidere, ne confuſiones, quas inter eos, qui pietatem profitentur, inualuiſſe cum probro nominis diuini, negari non poteſt, imputentur innocentibus, quod mundus cum voluptate facere ſolet, & omnem pietatis cauſſam, tanquam abſurdam, inhoneſtam, illiberalemque diffamare. — Illud certum eſt exploratumque, dici non poſſe, quantam malorum iliada, ſub pietatis praetextu, eccleſiae a primis incunabilis intentarit aduerſarius; qui huius rei teſtes locupletiſſimos deſideret, in BASILIDIANIS, CARPO-

fraudes diaboli in ſingulis coetibus.

pocratianis, Marcionitis, (quorum auctorem Polycarpus πρωτότοκον τȣ̃ σατανᾶ adpellabat,) in Apostolicis, in Massalianis, eos inueniat licet. Conf. de his b. Moshemii instit. H. E. & I. F. Mayeri commentatio de pietistis ecclesiae veteris, Hamb. 1696. In quas quaeso formas se transmutans Diabolus miseros mortales circumducit, quam horrenda apud pseudospirituales solet operari, quam fraudulenter re omnium maxime venerabili & adpetenda, *pietate*, abuti ad errores perniciosos disseminandos, veritatemque puram salutaremque conspurcandam. Et hae omni tempore tentationum omnium acutissimae fuere, falsae nimirum spiritualitates, quibus dona Spir. S. virtutemque in apostolis conspicuam, imitatus est Simia Dei in pseud-apostolis, prophetis & doctoribus: Parum certe aberat, quin Corinthii, Galatae, Colossenses, (C. II. 18.) illis succubuissent, a recto tramite veritatis deuii, & de amittenda doctrinae puritate periclitantes, inflati virium altiorum gloria, communi fraude Satanae, qua toties iam animis, mundi illecebris non amplius patulis, imposuit, falsis illis virtutibus, veris gratiae, quibus è plenitudine Christi dotamur, oppositis. Subtiles sunt & acutae hac operationes. — Quam ingens pretium sensationibus gratiae statuendum sit, omnes norunt, qui experientiae spirituali eum vsum dignitatemque tribuunt, qui ipsi iure meritoque debetur, vt mirandum sit, eos, qui sterili & ideali ratiocinationi, quae omnium perceptionum humanarum infima est & impotentissima, si sola consideretur, immensum quantum tribuant, sensationibus & perceptionibus realibus, per quas in natura & gratia plurimae veritates hominibus innotescunt, tam incertis praetextibus, fidem & certitudinem detrahere. Et harum quoque praua imitatione hominibus imponit Satanas, vt effrenatae phantasiae ludibriis abrepti, cum supra ea, quae scripta sunt, sapere velint, ianuam aperiant ipsi, & hoc modo fascinati, pabulum praebeant superbiae & φιλαυτίᾳ, quae hosti militant in mundo, & proprium ipsius characterem referunt. Quam egregia res, quam admirabilis ille animi status habitusque est, quo simplex veritas corde seruatur puro atque illibato, quam necesse est, in rebus spiritualibus studere modestiae, ne inflemur & iudicium Diaboli incurramus. (1 Tim. III. 6.) Tentationes hae nullibi magis conspicuae sunt, quam vbi regnum Dei noua vi nouoque vigore effloreścit.

cit. Tum veritatem proſcindet, calumniabitur, confundet, mundum contra illam irritabit, pias mentes per ſcandala hinc inde data & accepta debilitans armisque ſpolians. Sic *Apoſtolorum*, ſic *Lutheri* tempore, ſic omni aeuo, in quo veritas cum pietate inualeſceret, factum eſſe vidimus. Multae ſunt ceteroquin aliae tentationes, quae vniuerſum fidelium cœtum, & ſingula membra illius ſpectant: ſuperbia ſpiritualis, falſa plerophoria, aliorum contemtus, obſtinata quaedam animi indoles, ad ſenſum ſuum omnia reformandi, φιλαδελφίας exercitia in detrimentum τῆς ἀγάπης, Zelus praepoſterus & ὀ κατ' ἐπίγνωσιν, diuinae veritatis mutilatio, eius, quae arrideat, auida receptio, ceterae auerſio, pertinax ſemel receptae ſententiae defendendae cupiditas, aliiue adfectus, quibus animi, ni vigilent, facile capiuntur, & quos in rem ſuam vertere nouit animarum deceptor. Conferri cum his & legi merentur JAC. ACONTII, Tridentini, ſtratagematum Satanae, ſ. de recte & prudenter cum in doctrina, tum in diſciplina inſtituenda, reformanda, aduerſusque Diaboli inſidias praemunienda Dei eccleſia, Libri I - VIII. ad ELISABETHAM Angliae reginam, Baſileae 1610. Perſequitur auctor, qui C. M. PFAFFIO in diſſ. de artt. fund. p. 15. veritatis & virtutis amantiſſimus audit, ea, ad quae hac §. digitum intendimus, fuſe & ample.

§. 5.

In hac de tentationibus diſputatione non praetermitti debet *fidelitatis Dei* optimique Saluatoris mentio, tentatis per tot actus gratiae medicinalis, ſanctificantis, renouantis, perficientis, ita auxiliantis, vt omnium machinationum diabolicarum vim & impetum non modo adaequent, ſed plane ſuperent. (2 Theſſ. III. 3.) Fidelitatis eſt, numquam pati, vt fideles ſuis tantummodo viribus cum veterano illo gladiatore congrediantur, quin diuinitus, ſi modo velint, fortiſſime adiuuentur. — Fidelitatis eſt, tentatori illum gradum modumque praeſcribere ac definire, quem numquam migrare liceat, vt ad donorum diuinitus conceſſorum menſuram adaequare neceſſe ſit tentationum vim & robur, ſecundum legem proportionalitatis tam in naturae, quam in gratiae regno ſtabilitam. (1 Cor. X. 13. Petr. II. 9. 2 Tim. III. 11.) Qui dat, inquit AUGUSTINUS, in Pſ. 61. poteſtatem tentatori, — fidelitas Dei in tentationibus.

tentato

tentato praebet misericordiam; — tantum permittitur ipsi tentare, quantum nobis prodest, vt exerceamur, vt probemur, vt, qui nos nesciebamus, a nobis ipsis inueniamur. Fidelitatis est, fidelibus ita prospicere, vt per tentationes tantum absit, vt aliquid damni patiantur, vt potius verae cognitionis, sapientiae, sanctimoniae, virium spiritualium continuo maiora incrementa capiant, & per experientiam, per tot pugnas feliciter decertatas, per tot victorias gloriose partas, αἰσθητήρια γεγυμνασμένα (Hebr. V. 14.) nanciscantur. Fidelitatis denique est, ne ex infinitis plura tangam, quibuscunque tentationibus eum procurare exitum, qui Deo custodienti, tuenti, adiuuanti gloriosus, fidelibus salutaris, & hosti erubescendus sit. (2 Tim. IV. 7. 8. 1 Cor. IX. 24-27. 1 Tim. VI. 12. Hebr. XII. 1.) Basilius T. I. Rom. IX. sapiens rerum humanarum dispensator, Deus, Satanae malitia vtitur, ad nostram exercitationem, sicut medicus viperae veneno ad salutarem medicamentorum praeparationem. In tentationibus maxime fidum se praestat Sacerdotem Christus, (Hebr. IV. 15.) hic est ἀρχηγὸς σωτηρίας filiorum, qui in terris suspirant, & tot tantisque calamitosae vitae aerumnis ingemiscunt, caussam eorum agendo, contra peccati reliquias praeseruando, subueniendo infirmitatibus, benedicendo, Spiritum sapientiamque infundendo, in casibus dubiis consulendo, praesidia angelica opponendo, atque sic in gloriam rapiendo. Sic gratiâ Domini contingitur meta, sic itur ad astra!

SECTIO VI.

De armis, *quibus cum Diabolo pugnandum est.*

§. I.

Ordo — Ingentem hactenus potestatem Diaboli daemonumque vidimus. Horreret animus, cum hoste, tantis viribus instructo, tam formidabili

bili vi agente, tam longo rerum vsu experientiâque edocto, tam infinitis artibus, per sex, & quod excurrit, millennia exercitis instructo, cum hoc versipelli & in quascunque formas mutabili veteratore congredi, & congredi nos homunciones, peccato captos, intra nos hoste omnium maxime pertimescendo, cum externo illo ad nostram perniciem conspirante, cinctos, nec vlla re instructos naturaliter, quam hosti illiusque exercitui opponeremus, nisi diuinitus adiuuaremur, nisi præsto essent *arma*, ex alieno quodam armamentario deriuanda, & recte vsurpanda. Atque de his paucis ita dispiciemus, vt primo spuria, tum vera genuinaque videamus.

§. 2.

Quam solers fuerit ingenium humanum, & moleste sedulum, in conquirendis dæmonum fugandorum mediis, dici non potest. Omissis iis, quæ scriptura vnice commendat, ad varias delapsi sunt opiniones & media, ipso morbo, cuius sanandi caussa inuenta sunt & vsurpata, nocentiora. Sæpe Æthiops æthiopem lauit, & superstitio superstitionem pellere annitebatur, vt in summa rei nil sit actum, nil effectum, sed Satanas homines his ipsis figmentis delusisse videatur. Me varias illas *exorcismorum* formulas innuere, qui in ecclesia inualuerunt, omnes sentient, eorum, quæ intra ciuitatem christianam gesta sunt, haud ignari. Omnino Christus & Apostoli expulere dæmonas, per exorcismos, (Matth. IV. 10. X. 1. 8. Marc V. 8. ss. IX. 25. Act. XVI. 18. XIX. 12. ss.) hæc ipsa vero facultas illiusque frequentior vsus exspirasse videtur cum donis illis miraculosis, ad plantandam ecclesiam, & in terris firmandam, necessariis. Hinc primi christiani, ab his extraordinariis ad ordinaria gratiæ media deducti, dæmonum fugandorum prouinciam, non amplius per adiurationes & exorcismos, multo minus per formulas superstitiosas & magicas, sed per preces ad Deum & Christum administrarunt, vti *Origenes* refert, cuius loca allegauit *Espencaeus* digress. L. I. C. 14. Opp. f. 160. s. Mira igitur sunt, quæ sequiori ætate excogitata sunt, media, & ex libris, thesauro & practicâ exorcismorum, flagello & fuste dæmonum satis constant, e. g. per nomina diuina, hebraica & græca, quibus miraculosam aliquam virtutem adscriberent, per merita Mariæ & Sanctorum, per Angelos, per oracula sacra, speciatim per A- **arma spuria,**

pocalypsin, per septem candelabra aurea, per septem lampades ardentes, per citharas & phialas plenas odoramentorum, per sacramenta, per indulgentias, per initium Euangelii Johannis, per reliquias adpensas; inprimis in signo *crucis* magnam esse vim aduersus quasuis calamitates, inprimis contra malorum geniorum insidias arbitrabantur iam Sæc. III. quare nemo, nisi cruce signatus, rem alicuius momenti adgrediebatur, conf. b. Moshemii Instit. H. E. p. 132. & Sæc. V. annotat, in Martyrum ossibus, & signo crucis maxima quærebatur potentia, ad dæmonum insultus & calamitates quasuis propulsandas, nec corporum tantum, sed & animi labes sanandas, conf. ib. p. 210. Etiam *Russi* signo crucis, accedente nominis Christi inuocatione, summam vim tribuunt, fugandi dæmones, indeque eo sæpissime vtendum esse docent, conf. diss. Reuerendiss. Canc. D. Reussii de ecclesia Ruthenica §. XXVI. Successu temporis, crescente superstitione, hæc media adhibita sunt ad exorcisandos dæmonas, non solum ex energumenis & obsessis, sed & ex catechumenis & baptizandis, cum crederetur, quemlibet cum certo dæmone, qui illum obsideret, nasci, immo ex libris quoque hæreticis, siue veris, siue putatitiis, expellere tentarunt. Irritas & nullis pretii & vsus arma hæc esse, quis non videat? Certe hæc aliaque plura ridet Satanas, nullis nec naturæ, nec operis operati functionibus vincibilis, nec hæc Christus Apostolique vel vsurparunt ipsi, vel suis suaserunt vnquam. *Naturâ* porro, quamuis sagacissima, nec ipsius operibus, quamuis præstantissimis, doctrina, eruditione, eloquentia, virtutibus, multum lucrabimur contra Diabolum, nam in omnibus millies nobis præstat, hæc omnia ita possidet aut affectat, vt nobis iisdem imponere, nec nos ipsum vincere possimus. Vanas illas declamationes, nec spiritu nec gratia Dei tinctas, contra se suumque regnum, minime horret; etiam de his valet, quod *Cicero* de lacrymis Rhetorum dixit: nil citius exarescit.

§. 3.

— vera & genuina, Longe alia arma commendat scriptura, & milites Christi instruit. Hostis nonnisi per omnia ipsi contraria vincendus est. Nil timet, nil reformidat, nisi victorem, τὸν ἰσχυρότερον, inuictissimum Mariæ filium. Nominis eius tremenda maiestate perculsus longissime

me fugit, & ab omni eo alienissimus est, qui communionem cum hoc rege regum & domino dominantium, illiusque Spiritu illibatam seruat. Hinc contra tenebrarum & abyssi vires pestilentissimas optimum remedium intemerata, illibata, intimis animæ medullis radicata, variis fidelitatis speciminibus confirmata *fides* est, quam continua gratiæ & pacis emolumenta, longe præstantissima, consequuntur. Hanc timet, hanc refugit, hanc horret, vti omnia, quæ ex ipsa proficiscuntur, pietatis exercitia, sermones, preces. Huc tendit egregia illa πανοπλία, quam militibus Christi, eleganti allegoria, commendat Paullus, (Eph. VI. 10-18.) Omnium primo confortentur in Domino, illiusque virtutis robore; vt intima cum Domino communione iuncti, ex gratiæ eius inexhausta plenitudine, hauriant gratiam ex gratia, robur ex robore, virtutem ex virtute. Nec enim ad gestandam hanc πανοπλίαν ætas infantilis, aut puerilis apta esset, robur itaque intra se habeant, necesse est, contra formidabilem illum hostem illiusque exercitum pugnaturi. Hæc ipsa vero πανοπλία absoluitur tribus illis, tegumentis, munimentis & telis. Inter tegumenta 1.) occurrit cinguli loco *veritas*, (℣. 14.) Innuitur hac veritate illa militis christiani virtus, qua veri & videndi & faciendi pio & liberali desiderio ducitur, quæ omnia ad decempedam reuelationis exigit, & trutinat, quæ fraudes mendaciorum patris, in veritate non perseuerantis, (Joh. VIII. 44.) detegit, errores, quocunque lenocinio illitos, non admittit, rerum diuinarum & spiritualium viua, experimentali & spirituali cognitione pollet, mundi mendacia, quibus vel consulto vel temere admissis obruitur, agnoscit & cauet. Ecquis vero, in hoc sincero veri studio atque exercitio, non egregium videat tegumentum contra Diaboli insidias, veritati cælesti tam contrarias? Veritas est conformitas repræsentationum, mentis, voluntatisque cum obiectis, cum mente & voluntate Dei. Hanc qui tenet, hanc qui sequitur, quot quæso! laqueos errorum fraudumque effugit! 2.) *thorax iustitiae*, (℣. 14.) In pectore sedes est conscientiae, quæ munitur iustitia, omnium virtutum, quæ Deo, fratribus & nobismet ipsis debemus, summa. Qui pugnam cum hoc aduersario instruit, in eaque stare & fortem se præstare cupit, mentem habeat, necesse est, recti consciam, vitiorum peccatorumque labe purgatam, nonnisi pietatis in Deum seriæ & sinceræ, amoris proximi studiosam. Hæc enim si abessent, aut

defectu aliquo laborarent, darent Diabolo occasionem, nostri eo alacrius inuadendorum, accusandorum & concidendorum. Vel vnius peccati, non plene abiecti. abnegati & repudiati amor, aut tacita quædam in illud consensio, rima esset, qua cum peccato inhabitante conspirare, conscientiæ puritatem turbare, animique serenitatem obfuscare, & lætabilem aditum ad thronum gratiæ cum παῤῥησίᾳ & πληροφορίᾳ, impedire posset. Ecquid igitur thorace iustitiæ, bona conscientia, omnium virtutum christianarum exercitio continuo & indefesso, ad feliciter decertandam hanc pugnam vtilius est, ecquid antiquius? 3.) Stet miles christianus *pedibus calceatis, alacritate euangelii pacis*, (℣. 15.) Hic iniungitur illud, vt doctrina euangelii certa, explorata, plena, firmentur pedes, ne ad quemcunque impetum hostium, loco moueantur, aut ne latum quidem vnguem cedant, illud potius fortiter defendant, salutifera illius cognitione alios imbuant, & ad quascunque gentes perferant, omnem orbem, quantum in ipsis sit, impleant, illiusque puritatem contra incertas & ineptas Judæorum sententias, orientalium gentium traditiones, græculorum argutias, nugas & tricas, Rhetorum βαττολογίας, poëtarum fabulas, ingenii humani coniecturas, fanaticorum imaginationes, seruent incorruptam illibatamque. Hoc modo hosti, in inscitia, ruditate, idololatria, ἀπιςίᾳ, superstitionibus, barbarie grassanti, & opera diabolica perficienti, itur obuiam, hoc modo strenue cum ipso confligitur. Militem Christianum per cingulum, thoracem & calceos tectum, *munit* per duo φυλακτήρια Apostolus, *scutum fidei* & *galeam salutis*. ℣. 16 17. Clypei in arte bellandi eo adhibebantur, vt corpus ad telorum iactum præstaretur tutum, quia lignei erant, ignitis telis incendi & concremari poterant. Jam *fides* clypei instar commendatur, nimirum subiectiua, firma illa de veritate euangelii persuasio, plena in Deo & Saluatore acquiescentia, fiducia, in ipsius morte, cruce, resurrectione, & regimine inconcussa, filialis voluntati diuinæ obtemperandi procliuitas stabileque propositum, ille denique animi habitus, qui a verbi diuini auctoritate, nec dubiis, nec adflictionibus, nec tentationibus dimoueri potest, in quo omnia ad Deum & Saluatorem, & ipsius gloriam, omnia ad patriam & sempiternam felicitatem referuntur. Hæc aliaque multa, quæ veræ & saluificæ fidei notionem ingrediuntur, impenetrabile aliquod scutum sunt, ne ab

ignitis

ignitis quidem Satanæ telis, ab obiectionibus contra veritatem euangelii speciosissimis, a tentationibus quibuscunque vel acutissimis, ab internis angoribus, præteritorum & iam remissorum peccatorum reminiscentia excitatis, a cogitationibus blasphemis, ab illecebris carnis, vllo modo penetrabile. Hæc vna contra machinationes diabolicas munimentum est omnium præstantissimum & nobilissimum. Hæc fides, scutum est, si recte teneatur, quo magna simplicitate infinitæ artes versutissimi hostis eliduntur, atque irritæ retorquentur. Huic enim amplissimæ promissiones datæ sunt. (Matth. XVII. 20. Marc. XI. 22. ss. XVI. 17. Joh. XIV. 12. s.) Ecquis hanc opulentiam fidei vigentis & fortis non adpetat, non anhelet, sine qua ne quicquam valemus, ecquis illos actus fidei generalis & specialis, directæ & reflexæ, non exerceat, sine quibus in regno Christi vel otiosi spectatores, vel garruli iactatores, nil efficimus, in æternitatem cum fructu nos secuturum. Hæc vna vitæ spiritualis radix, alimentum & sustentaculum est, hæc vna pugnæ huic inchoandæ, continuandæ & feliciter perficiendæ sufficit. Non abludit ab his paraphrasis Ill. MICHAELIS, *Paraphrasis und Anmerk. über die Briefe Pauli an die Galat. — Philemon p. 128. Vor allen Dingen aber rüstet euch mit dem Glauben an die ganze geoffenbarte Lehre. Dieser Glaube, oder die Ueberzeugung von der Wahrheit der H. Schrift, und das Euangelium wird euch als ein unverbrüchlicher Schild dienen. Wie dieser alle feurige Pfeile verlöschen läßt, so wird auch der Glaube alle Zweifel, die der Teufel gegen die Wahrheit erreget, zu nichte machen.* Alterum munimentorum, est *galea salutis.* Galea caput, præcipua & nobilissima corporis humani pars, tegebatur: cum illa comparatur *salus* hominibus in Christo decreta, parta, oblata, τὸ σωτήριον τῦ Θεῦ, (Act. XXV. 28.) principale illud dogma de iustitia & salute per Christum, credentibus, pie & digne acceptantibus, decreta. Inepti sunt ad hanc pugnam & male sibi consulunt, qui hanc fundamentalem doctrinam, de salute hominibus peccatoribus per solum Christum speranda, sibi vel eripi vel deprimi sinunt. Et id agit, id annititur Satanas, vt ab hac salute homines vel auertat, vel retento Christi nomine, eius vim & legitimum vsum obscuret; illud variis artibus efficere tentat, per sapientiam mundiformem; per peccati extenuationem, excusationem; virtutis

 mere

mere naturalis iactantiam; hoc vero per merita operum; per virtutem, curruptæ naturae viribus meritam, per superstitiones, per exercitia, quæ nec religionis indoli spirituali, nec ciuitatis publicæ commodis consentanea sint & apta. Hinc summa rei, in qua caput religionis versatur & cardo, salus J. C. probe tenenda, nec vlla specie, vlla arte è corde & ore vt extorqueatur, patiendum est. Hæc in conflictu cum hostibus irretortis oculis intuenda, summo studio sectanda, & per omnia obstacula, persecutiones, calamitates persequenda est. Ad hunc si summa alacritate tendimus, eiusque ea, qua docet, diligentia, timore & tremore adipiscendæ desiderio flagramus, ipse Satanas continuis suis solicitationibus, bellis, tentationibus eandem nobis reddet optabiliorem, amabiliorem, ampliorem que. Tectum munitumque militem christianum armat quoque apostolus, non modo ab insultibus se defensurum, sed hostem quoque propulsaturum. Quo consilio commendat duo ἀμυντήρια, *gladium hastamque* v. 17. Quam apte verbum Dei cum gladio comparetur, omnes norunt, qui vim & efficiam eius, quouis ancipiti gladio acutiorem, & penetrantem, vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagumque & medullarum, & hunc animi, cogitationum, consiliorumque iudicem senserunt; (Hebr. IV. 12.) Vtinam hoc semper, vbique & recte vterentur omnes, quibus pugnandum est? Ad hoc vel ipsi Dæmones contremiscunt, irrefragabilem eius auctoritatem agnoscentes. (Matth. IV. 4. 7. 10.) Hoc omnibus imaginationis lusibus, humanis auctoritatibus, philosophicis argutiis infinite præstat. Hoc instruamur, nitamur, vtamur, vincamus! In γραφαῖς simus δυνατοί. Hoc profanorum obtrectationes, sciolorum dubia, cavillatorum calumnias, errantium errores optime retundet. Hoc quascunque tentationes facile superabimus. Denique his omnibus coronidem imponat *precatio* ỽ. 18. tum vt tota hac armatura recte vtamur, tum omnes Diaboli impetus profligemus, indies maiori virium mensura dotemur, officiis nostris recte defungamur, communionem cum Deo & Saluatore exerceamus, & arctius subinde nostram illi mentem deuinciamus, fiduciam, in ipsius auxilio & gratia vnice ponendam, ostendamus, fidem, amorem, spem declaremus & alamus.

§. 4.

§. 4.

Sunt adhuc alia quædam, quibus tentationibus diabolicis obuiam itur. Dæmonum insultibus opponit angelorum præsidia Deus. (Ps. XXXIV. 8. Dan. X. 13. 20. Matth. IV. 11. Jud. ℣. 9.) gratiæ multo efficacioris mensuram, (2 Cor. XII. 7.) preces Christi pro adseclis suis intercedentis, (Luc. XXII. 31. 32.) triumphos fidei confirmatæ & constantis, (Rom. XVI. 20. Apoc. II. 10. III. 8.) & vt præclare notat Reuerendiss. D. D. FABER in diss. de influxu adæmonismi p. 27. quæuis instituta in mundo visibili atque inuisibili, physica, moralia, spiritualia, politica, œconomica, quibus molimina Satanæ impediuntur, limitantur, coërcentur, euertuntur Ex parte hominum præter ea, quæ §. 3. vidimus, insignem vtilitatem præstant *vigilantia* & *sobrietas*, (1 Petr. V. 8.) seria & sincera *abnegatio* sui, eorumque omnium, quæ studium sanctificationis remorantur, siue sint per se mala, siue sint imperfectiones vitiosæ, in statu per se bono, siue pertineant ad abusum rerum in se ipsis innocentium, siue aliunde obstent officiis nostris & bonis perfectionibus. (Apoc. XX. 11.) MACARIUS Homil. XXVI. p. 350. §. XII. τὸ δὲ κυριώτατον ὅπλον τῦ ἀθλητῦ καὶ ἀγωνιςῦ τῦτό ἐςιν, ἵνα εἰσελθὼν εἰς τὴν καρδίαν ποιήσῃ πόλεμον πρὸς τὸν σατανᾶν, καὶ μισήσῃ ἑαυτὸν καὶ ἀρνήσηται τὴν ψυχὴν αὐτῦ, ὀργισθῇ τε καὶ ἐπιπλήξῃ, καὶ ταῖς συνήθεσαις ἐπιθυμίαις ἀντιτάξηται, καὶ ἀντιπαλαίσῃ τοῖς λογισμοῖς, καὶ μαχεσθῇ αὐτῷ. Doctrinam hanc de abnegatione plenius propositam vid. in diss. WEISM. fontes genuini iudicii solidi & prudentis in doctrina de abnegatione, vitandisque sollicite & religiose vtriusque extremi erroribus. Tub. 1734: *fuga omnis peccati* & prouida cura, vt in ipso ortu & radice suffocetur, iuxta tritum illud:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Viua porro *abrenunciationis baptismalis*, qua Diabolo illiusque operibus, pompæ mundi, (spectaculis gentilium,) & quibuscunque vanitatibus valedicitur, recordatio, & fida obseruatio. Maximi enim

cum

habendum eſt *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν* (1 Petr. III. 21.) Denique ſtrenuum *earum virtutum exercitium*, quæ vitiis diabolicis directe ſunt oppoſitæ. Sic vera animi demiſſione & humilitate ſuperbiam, paupertate ſpiritus operum iactantiam, *αὐταρκεία* auaritiam, carnis mortificatione voluptatem, gloriæ cæleſtis certa exſpectatione & firma ſpe honorum mundi vanitatem, taciturnitate *βαττολογίαν*, &c. cauebimus & ſuperabimus. Sic certamen fidei glorioſe terminabimus. Et quid multa? Diſcant homines Scripturam S. & in ea verbum Dei toto pectore venerari, lumen fidei, in legitimo iſtius vſu omnibus promiſſum, falſæ & lubricæ ſapientiæ humanæ longiſſime præponere, experientiam ſanctorum, omnium ſciolorum temerariis palpationibus, quas in tenebris ſuis tentant, anteferre, fidem Deo præſtare in cognitione vſuque veritatum apertarum & ſimplicium, ſapientiam chriſtianam non in inflata ſcientia, ſed in virtute religionis collocare, ab inani denique curioſitate, ab audacibus iudiciis, a ſuperfluo cum profanis hominibus commercio, a libris pernicioſis ac huiusmodi veneno tinctis, ceterisque ſeductionis & contagii ſubſidiis, ſibi quam diligentiſſime cauere, & tum *εὐχαριςῶμεν τῷ πατρὶ, ὃς ἐρρύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξυσίας τῦ σκότυς.* (Col. I. 13.)

αὐτῷ ἡ δόξα!

PORISMATA.

Dabimus hæc promiſcue, prouti nata ſunt ſponte.

1) Ex his omnibus, quæ hactenus de conſiliis & poteſtate Satanæ vidimus, *redemtio* Chriſti ab his inextricabilibus tenebrarum viribus, ſummum nanciſcitur pretium, in aeonas aeonum concelebrandum. (Col. I. 13. 1 Joh. III. 8.) Hoc opus, hic labor erat, captiuos in libertatem aſſerere, & ab omni eo, quod ex diabolico ſemine ipſis ineſſet, liberare & purgare. Quantum igitur poteſtas Satanæ, & miſeria inde orta extenuatur, tantum gloriæ victoris detrahitur.

2) Quem-

2) Quemadmodum Deus, si primos gratiæ motus irresistibiles excipias, non agit, nisi consentiente & cooperante libero hominis arbitrio, neminem cogens; ita nec Diabolus quemquam ad peccatum cogere potest, & tentare cum effectu, nisi consentiente hominis voluntate. Hinc peccatorum suorum culpam nemo in Diabolum reiiciat, sed in se ipso quærat. MACARIUS de libertate mentis C. III. p. 183. ἐφ' οἷς ὁ ἄνθρωπος ἐργάσηται κακοῖς πρὸς τοῦ σατανᾶ ὑπαγόμενος, οὐχ ὁ σατανᾶς μᾶλλον, ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἄνθρωπος τὴν τιμωρίαν εἰσπράττεται, ὡς μὴ βίᾳ συνελαθεὶς, ἀλλ' ἰδίῳ θελήματι πεισθεὶς τῇ κακίᾳ.

3) Ad Axioma illud Christi: (Matth. XII. 30.) ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει. egregie annotat b. BENGELIUS in Gnom. ad h. l. Non valet neutralitas in regno Dei. Actiuitas illa, quæ homini naturalis est, aut in bono aut in malo exercetur, præsertim apud eos, qui verbum Dei audiunt. Christi autem res & caussa est simplex & casta, quæ quum tot habeat alienos & aduersarios, tamen omnes vincit, neque cum iis colludit. (Luc. XII. 51.)

4) Contra vniuersalem illam religionem, cuius cum detrimento veritatum quam maxime fundamentalium fabricandæ architecti quidam nostra ætate exstiterunt, haud leue creatur præiudicium apud eos, qui *omnem* veritatem reuelatam toto pectore amplectuntur, quod in ea locus de Diabolo malisque angelis vel plane eliminetur, vel ad paucissima dogmata restringatur. Reliquis ad iudaismi & gentilismi impuros fontes amissis, & in luce euangelii perfectiori, quali nos perfruamur, quæ cognoscantur & retineantur, indignis habitis.

5) Cum ipsa Christi, Domini, sanctissima humanitas diuinitus ducta fuerit per viam probationis ac tentationis, multo minus postulare possumus nos peccatores, vt in via ad Deum immunes maneamus a seria huius generis exploratione. Præterea cogitandum, tentationem Christi Domini pertinuisse ad officium mediatorium, (Ebr. II. 8.) sustinuit ergo eam in gratiam nostri, vt nobis robur ad certamen hoc partim impetraret, partim conferret. Et quemadmodum nobis in admittendis his tentationibus assimilatus est, ita assimilemur ipsi in victoria.

6) Sicuti Satanæ permissum fuit, post illustrem illam glorificationem, (Matth. III. 13 - 17.) in Jesum incurrere; ita numquam frequentiores & acutiores erunt tentationes Satanicæ, quam post notabilem aliquem gratiæ sensum perceptum, aut post victoriam ab ipso reportatam. Numquam igitur securitati aliquid dandum.

7) Quando Ill. FORMEY *in dem christlichen Philosoph.* Th. III. Abh. XXI. p. 375 - 387. ex celebri illo loco, (Luc. X. 18.) ex ipsius sententia allegorice interpretando, idololatriæ, a Diabolo in terris stabilitæ, lapsum per euangelii lucem procuratum probat, res ipsa in se est certissima, sed ex h. l. inprimis si nexum videas, non demonstrabilis. conf. C. IV. Sect. II. §. 3.

8) Qui ea, quæ Cap. V. Sect. II. & III. docuimus, sola Scripturæ nec Patrum, nec auitarum opinionum & in compendiis systematibusque theologicis retentorum adhuc & inueteratorum præiudiciorum auctoritate, serio expenderit, illi diiudicandos proponimus flosculos quosdam, quibus potestatem Diaboli in corpus & naturam recentissime impugnat S. R. D. SEMLERUS *in Samlungen von Briefen und Auffäzen über die Gaßnerischen — Geisterbeschwörungen.* Halle 1776. in præf. ita: *Es ist kein Wunder, daß unsere Christen, bei allem Unterschied der Zeit und der Hülfsmittel, welche Gottes Regierung so reichlich unter uns ausgetheilet hat, noch so weit zurük sind, in wahrer göttlicher Erkänntniß des Evangelii, welches Gott so unvergleichlich verherrlichen und bekannt machen sollte, daß iener* alte Wust des Aberglaubens, *der den Teufel zum* Mitherrn *und* Mitregenten *der* sichtbaren Natur *gemacht hatte*, (id quam inique dictum sit, iudicent lectores ex C. V. Sect. III. §. 1. sic omnes, rebus creatis & caussis naturalibus abutentes, Dei in gubernando mundo essent condomini,) *längst unter den Christen ganz verschwunden seyn müßte. Die ganze Macht schändlicher Unwissenheit, die Finsterniß des heidnischen und jüdischen Aberglaubens, hat mehr geherrschet unter den sogenannten Christen, biß sogar in unsre Zeit, als selbst zu der Zeit, da Jesus mit seiner göttlichen Lehre alle* geglaubte *Werke des Teufels zerstörete, und Menschen aus einer erbärmlichen Finsterniß in das Reich des Lichts und wahrer Erkenntnis versezte. Ein wunderlicher roher Eifer beschüzt den verfluchten Teufel selbst wider die Christen, welche nicht Kinder bleiben wollen in der christlichen*

lichen Religion — Es ist kein Wunder, daß sehr viel von diesem Teufelsdrek *auch unter den Protestanten übrig blieben, und zur Lehre sogar mitgerechnet worden. — Freilich ist es mein Ernst, ich fordere, es soll in dem Artikel des theol. Compemdii, von Engeln und bösen Geistern, also auch in der Casuistischen Theologie alles ausgestrichen werden, was von leiblichen Handlungen und Thaten des Teufels ist bejahet, geglaubet und gelehret worden. Es ist alter heidnischer Irrthum, und es verfälschet die wahre rechte christliche Religion. — Diese Begriffe von Teufeln und Geistern gehören zu ienen δόγμασι und παραδόσεσι der Menschen, welche πτωχὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου sind, und wir erheben sie zu geoffenbarten Glaubenslehren. — p. 10. Ich bin freilich ganz anderer Meinung, als so viele Theologi, vor und in meiner Zeit, in Absicht der Erzälungen, die in den Urkunden der jüdischen, und nachher der christlichen Lehre und Religion angetroffen werden, von einem Satan, Teufel, von Daemonen, bösen Engeln, ihren Classen oder Abtheilungen, zu dieser oder iener Wirkung. Ich nenne diß alles, wie es ia zunächst wahrhaftig erweislich ist, Vorstellungen und Meinungen der Juden, welche auf keine Weise einer Belehrung und Unterweisung Gottes so zugeschrieben werden können, daß die Juden zuerst solche Ideen aus Gottes Offenbarung herbekommen hätten — Ich will, als ein christlicher Theologus, solchen* ganzen Teufelskram, und alten schäbigten Plunder, *gerade austreiben — aus dem Herzen und der sogenannten christglaubigen Seele, die übrigens von Gott und Jesu Christo nicht den 10den Theil so viel und so ernsthaft und so oft denket, als von dem* theologischen Unthier, *Teufel, Satan, Beelzebub, und was es noch für heidnische Müzen und Namen geben mag, darunter immerfort die sogenannte christliche Welt mehr von Teufel besessen seyn will und mag, als die grosse helle Erkenntniß Gottes zum einzigen Charakter des rechten wahren Christentums gelten lassen.* Num hi Germanismi illis Latinismis præstent, quos in hac doctrina toties carpit, videant illi, qui ex integra caussa iudicant. Ignosci possent hæ tumultuationes, si contra absurdas illas superstitiones, orbem in mediis sæculis inundantes, tantummodo dirigerentur, sed integram de malis angelis doctrinam è systemate veritatum cognitu necessariarum proscribi, intolerabile videtur,

 maxime

maxime cum in aliis capitalibus & arcem religionis christianæ constituentibus doctrinis, in loco de satisfactione Christi, eandem sibi licentiam, illas ad suum ingenium refingendi, sumserit Vir eruditissimus.

9) Longe verissima est illa WERENFELSII obseruatio, *de scopo interpretis* S. S. p. 367. „ Si cui, inquientis, ratiocinationes suæ optime cohærere videntur, illas quam primum in aptum systema coegit, quod tamquam diuinum adorat: in S. S. nil nisi hoc rationi tam gratum systema quærit, & quicquid non bene in illud quadrat, non desinit in illas partes flectere & torquere, donec aliquo modo quadret: qua in re *Faust. Socinum* præcipue peccasse, frequens Theologorum est querela. „ In idem vitium incurrere Adæmonistas, facile videt quiuis, qui eorum interpretationes, (Joh. XII. 31. XIV. 30. XVI. 11. 2 Cor. IV. 4. Eph. VI. 10-17.) recogitauerit.

10) Ingenii anglicani luxuriantis specimen est inter multa alia etiam illud, quod Londini 1766. prodiit: CRITO, or essays on verious subiects. Vol. I. cuius systema ephemerides litteratæ Erlangenses ita repræsentant: *Alles Böse auf unserm Welttheile entstehe von den feindseeligen Handlungen gewisser höhern geistischen Wesen. Unter der Larve eines Vertheidigers der Bibel behauptet er, das ganze Wesen ihrer Lehre bestehe darinn, daß sie uns von ienen Feindseeligkeiten der gegen unsre Erde übelgesinnten Geister und von den Bemühungen eines andern geistischen Wesens (Christus) dieselbe wieder gut zu machen, unterrichte. Jesus, dieser hohe Geist, seie deßwegen in der Gestalt eines Sterblichen auf die Welt gekommen, um die Menschen von der Tirannei ienes feindseeligen Geistes zu befreien, so wie ein Held eine Nation von den Grausamkeiten eines Barbaren errette. Alles übrige, die Lehre von der Versöhnung Christi, von seinem prophetischen Amte erkläret er für unbiblisch und sinnlos. Er ist von seiner Meinung von den Geisterkriegen so eingenommen, daß er sogar mit einigen alten Philosophen beinahe glaubt, unsere ganze Atmosphäre sei voller Daemonen.*

11.) Cum illi, qui doctrinam Scripturæ de Diabolo malisque spiritibus orthodoxam veramque tuentur, recentioribus adæmonistis audiant defensores, patroni, amatores, cultores Diaboli dæmonumque

numque: hoc quid aliud est, quam argumentum, ab inuidia ductum. Verendum vero, ne iuribus huius amicitiæ aliquando fruantur illi, qui Diabolum dæmonesque è systemate rerum extrudunt, non sine summa contumelia, violentia, & inaudita torturâ, planissimis scripturæ, Christi apostolorumque verbis illata.

12.) Sannis & ludibriis, quorum recentiorum adæmonistarum libri fœcundissimi sunt, nil proficitur. *Versuch einer biblischen* Dæmonologie p. 15. f. *Alle Warnungen vor dieser* Dæmonologie, *werden neue Beweise seyn, daß der jüdische Teufel unter den Christen noch immer seine eifrige Vertheidiger findet. Wenn meine billige Wahrheit liebende Leser, die Beschreibung des jüdischen Teufels nicht aus der Acht lassen, so werden sie mit mir ihre Lust sehen, wie der eine hier, der andere dort seinen Teufel* aufpuzen, *bald über den jüdischen Teufel wegsezen, bald unter denselben erniedrigen, sich des jüdischen Teufels schämen, und denselben doch vertheidigen, und zu* seinem Teufel *machen wird.*

13.) In controuersiis de existentia, operationibus & potestate Satanæ, hodie noua vi recurrentibus, videre est illud, quod vulgo dicitur: *paruus error in principio, fit maximus in fine.* Hinc *minima* in regno Dei tanta diligentia, attentione & studio sunt curanda.

14.) Qui ex 1 Cor. VIII. 4. adæmonismi præsidium exsculpere tentant, summam, qua laborant, argumentorum scripturariorum indigentiam produnt. Cf. Jll. Canc. Reussii diss. cit. p. 46-48. Magna tamen fiducia idem repetitur, & tamquam inuicto robore præditum celebratur ab Anonymo: *Demüthigste Antwort — auf die demüthige Bitte um Belehrung an die grossen Männer, die keinen Teufel glauben, 1776. pag. 49. sq.*

15.) Nec nos adprobamus illam *picturam*, quam *Constantinus M.* in sublimi quadam tabula ante vestibulum palatii poni iussit, qua Diabolus, sub Draconis forma, crucis cuspide confossus, telis per medium ventrem confixus, & in profundos maris gurgites proiectus sistitur, cf. Cel. Semleri progr. pasch. de vario & impari veterum studio, in recolenda historia descensus ad inferos, p. 14. n. 21. Intelligentiores id genus imagines nil iuuant, imperitioribus sæpis-

 sime

ſime nocent, & phantaſiam infrugiferis ideis implent, cuius rei ſpecimen in GRETSERO videre eſt. ib.

16.) Cum notio iudaici & paganici Diaboli, Chriſti, apoſtolorumque euidentiſſimis teſtimoniis obtruditur, contra primas artis cogitandi regulas impingi putem, quaſi vanum, falſum, ſuperſtitioſum eſſet illud omne, quod Judæi, inprimis ante repudium, a Deo Iſraëlis, acceptum, tenuerunt. οἷς ἐπιςεύθησαν τὰ λόγια τῦ Θεῦ, (Rom. III. 2.) qui multa a veteribus prophetis, ἄγραφα quidem, ſed ea propter non falſa, (Matth. II. 23. Jud. ℣. 9.) acceperunt, qui quidem veriſs falſa admiſcentes, & phantaſiæ iuſto plus tribuentes, non tamen omnem veritatem eiurarunt, ſed eidem modo peregrina induxerunt. Et quis quæſo gentiles, tam græcos, quam latinos, quorum opera & admiramur, & imitamur, ſapientes ἀναντιῤῥήτως tales, pulchri & guſtus exempla, in hac vna re, in dæmonum vi & poteſtate in res humanas, tam inſigniter deliraſſe, eandemque ſine iuſtis & legitimis cauſſis, cum indocta & imperita plebe admiſiſſe putet? Si ea, quæ imaginationi humanæ debentur, diuelleris ab veritate certa, primæua, antiquitus tradita, inuertendum erit argumentum, & in adæmoniſtas inſolentiores noſtri aeui retorquendum. Accedit denique illud, plura, quæ Chriſtus apoſtolique de omni hac cauſſa docuere, ne reperiri quidem in iudæorum gentiliumque ſcriptis, ὐ κατὰ ῥητὸν, ὐδὲ κατὰ διάνοιαν.

17.) Qui in ipſa formula baptiſmali adæmoniſmi præſidium quærunt, & mentem eccleſiæ, ad ſuam ὑπόθεσιν torquent, & propriam conuictionem fallunt.

Errata.

Pag. 3. lin 27. lege *Deus*. p. 6. l. 13. l. *deflectamus*. p. 12. l. 33. l. *nullam*. p. 41. l. 4. l. *fieret*. p. 67. l. 29. l. τετίρηκεν. p 70. l. 11. l. ὑπερθύμυς. ib. l. 22. l. δῖος νεφεληγέταο. p. 76. l. 24. l. *peius*. p. 93. l. 17. l. *pro*. p. 115. l. 4. l. שר המנונה





